Coll. Rom. Soc. Jesu Cat. Inscr. B.S.

SVBTILISSIMAE CONTRADICTIONES IN PROLOGVM PRIMVM ATQVE SECVNDVM Sententiarum Scoti.

Auctore R. P. F. Iacobo Perio Piſtorienſi Theologo, & Prędicatore generali Ordinis Minorum Regul. Obſeruantiæ, ac Sereniſsimi Magni DVCIS ETRVRIAE *Confeſſario.*

OPVS PERVTILE OMNIBVS DOCTRINAM SCOTI PROFITENTIBVS, Aliorumque Theologorum per modum Dialogi digeſtum, ac triplici Indice ornatum.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE



FLORENTIAE,

pud Petrum Cecconcellium. *Superiorum permiſſu* M. D. C. XXI.
AD MEDICAEA SYDERA.

COSMAE MEDICEO SERENISSIMO, ET POTENTISSIMO, Simulque Pijſſimo Etruriæ Magno Duci IIII.

Frater Iacobus Perius Piſtorienſis Min. Obſer. Theol. Et à Sacris Confeſſionibus eiuſdem Alt. Ser. Cum ſumma humilitate, cultu, & obſequio ſe, libellumque hunc dicat.

P*ATEAT mihi omnium humillimo Altitudo tua Sereniſſima, & patebit acceſſus libello huic meo, qui alacer ad te venit, quia ita meus à ſtudio, & labore, vt quidem tuus, ob eximiam, ægregiamque benignitatem erga me tuã. Domi ſi quidem tuæ natus eſt, in hoc peroportuno, ſcilicet, ſecluſoque diuerſorio ad pia ſtudia, inter hæc clauſtra (maiori pietate dicam, an pompa) fabricato, vnde ad te properat hoc æternæ in te meæ obſeruantiæ pignus, hoc beneficientiæ perpetuum erga me tuæ monimentum. Eſt libellus Contradictionum ſubtiliſſimi, acutiſſimique Doctoris noſtri Scoti in Prologum, in Primum, atque Secundum ſententiarum. Alieniori facile argumento, quam vt ad te mittatur, ad te veniat in populis regendis, ac rebus grauiſſimis tui fæ-*

liciſsimi ſtatus, vel potius totius Orbis Chriſtiani pertractandis prorſus occupatum; attamen vero, quia de rebus magnis eſt, non abre viſum fuit, ad Magnum magna dirigere, quia Magnum magna decent. Et ad illum Sereniſsimum Etruriæ Ducem in quo quæcunque ſunt magna ſunt à magnitudine incipiunt, à plenitudine ipſa, ab ipſo ordiuntur Summo. Video quæ ante te, quæ in te, & admirans exclamo, ò verè Magnum, verè Sereniſsimum Etruriæ Ducem, in quo, & ſingula, & vniuerſa, quæ ad Ampliſsimum ſpectant, Sereniſsimumque Heroem, ea inueniuntur in eo, in eo cognoſcuntur omni ex parte maxima. Videt te oculus meus, neque tamen linceus, ſed quaſi lippus, ac te conſpicit ex apice illo Sereniſsimorum, ex Ferdinando illo, qui fuit à Coſma vtriſque inclitæ celeberrimęque memoriæ. Viuit, ſpirat, adbuc eſt in ore omnium pater ille tuus Sereniſsimus, optimus Ferdinandus, dum in ætatis flore primeuo, & animi, & corporis dotibus florentiſsimus, in ſacra purpura quaſi ad clauum ſedit Eccleſiaſticæ illius Petri Nauiculæ. Sed video ego, teque admiror præſentem in omnibus Atauis, Protauiſque tuis, qui ſago, vel toga præſtantiſsimi Ciuium reliquorum fuere. Hæc tua, hec tuorũ magnitudo vocat ad ſe magna, immo, & minima quæquæ præſertim, & me humillimum cum lucubrationibus meis, in quibus agnoſcas te Sereniſſimum, Altiſsimumque Ducem, agnoſcas me humillimis quibuſuis longe humiliorem, & in humilitate mea glorianter, quia mea tibi complacita eſt humilitas, & exilitas mea. Hæc facit me quicquid ſum, ſed maius eſt quod facit Pietas, Charitaſque tua, dum eouſque me euehit, quod venerari te poſsim, vt Chriſti Principem, amare te debeam, vt totius Etruriæ Magnum Ducem, & ſic me, libellumque meum tibi dicare non ſum veritus. Audeam ego tantum? non ego, ſed regiæ virtutes, in quibus natus, in quibus enutritus, in quibus totus, totus es, tantum addunt animi mihi omnium puſillanimo. Earum prima eſt Pietas, præſidium, decuſque tuum. Iuſtitia eſt altera; De fortitudine nihil dicam. Hæc certa, hæc manifeſta apparet, dum vires exerceas in Barbarorum, Infideliumque perniciem. Clementiam præteribo, atque ad vnam liberalitatem conuertam me totum cum Pietate coniunctam, in qua boni non ſpoliantur patrijs, auitiſque bonis, ſed conſeruantur, ſed augentur, dum in viros bonos interim, in pauperes, in egenos es beneficus, es adeo benignus, vt effætis iam agris, & annona cariore, ipſe fueris, & ager fæcundiſsimus, & annona vberrima Etruriæ tuæ vniuerſæ. Hoc regnare eſt,

hoc

hoc intelligere ſe à Deo populis eſſe datum, non minus quam ſibi populos eſſe datos. Ita regnatur in animis, ita regnat in homine Deus, ita regnat homo, ita in animo regnat meo, ò Sereniſſime, ò Altiſſime Dux Magne, qui meam non es dedignatus tenuitatem, ſed eouſque extuliſti humilitatẽ meam, vt a ſacris confeſſionibus tuis me eſſe volueris. Accepiſti me, qua tua fuit Altitudo animi, conſerua me tuum, qui me tibi cum meis omnibus, cum libello hoc meo, & dicaui, & dico. Perge in hoc oſtendere Magnitudinem tuam, ſis ipſe tibi Magnus, & quæ tibi offeruntur parua, fac magna, qui potes, fac tuta, qui ſoles. Hoc expectat a te, hoc de te Altiſſime, Sereniſſimeque Dux Magne, pollicetur ſibi, & Auctor, & Opuſculũ; ſic cõplectaris vtrumq; nõ propter ſe, ſed ꝑpter te tuamq; clementiã Sic complectere totam ſodalitatem meam in qua fuit, eſt, & erit tanta propenſio tua, tuorumque: hanc protege, hanc ſerua, hanc adauge Sereniſſime Dux Magne. Dum hæc pro te, pro ſereniſſima familia, Domoque tua vniuerſa, & ego cum hac humillimas fundo, ac perpetuas ſupplicationes, & preces ad Deum, qui te ſeruet æternum, cumque debita humilitate, tibi veſtem exoſculor. Ex Conuentu Omnium Sanctorum Florentiæ pridie idus Nouembris 1620.

AD LECTOREM.

CVM à diueerſis Theologis iſtius Religionis Seraphicę Paulo, ſcilicet ſcriptore, Gratiano Brixiano, Ioa: à Vigerio, Franciſco Licheto, Iacobino Bargio, Antonio à Pupillo, Paduano Barolita, & ex lectionibus auditis Venetijs. An. 1588. ab excellentiſſimo Theologo, Prędicatore famoſo, olim Diffinitore, & Cuſtode in Prouincia Tuſcię. P. F. Luca de Cutiliano quam plures contradictiones Scoti, tum literales, tum virtualiter tales, tum etiam dictis Sanctorum, & Philoſophorum, oppoſitiones exaratas maximo ſtudio, & labore, Pręceptoriſque mei amantiſſimi auxilio collegerim, illas intimis condiſcipulis communicare mihi complacui, ex quarum communicatione ad aliorum fortè manus peruenerunt. Id mei ſcolares intelligentes, inſtanter petierunt, & pręcipuè cùm eſſem indignus Guardianus, & Lector in loco noſtro Nemoris (vnde vocatus, & in Confeſſ. S. M. D. Etrurię, nullis meis meritis, at ſola benignitate Celſitudinis ſuę electus) vt ad ipſorum, aliorumque iuuenum vtilitatem in palam eſſe ſinerem; Hinc fraterna charitate, non ambitione motus, literam Scoti perſcrutando, illas expurgaui, multaſque alias addidi, triplicem indicem texui, Rerum notabilium, Locorum ſacræ ſcripturæ, Doctorum, ac Philoſophorum, & ſic additas, atque expurgatas in lucem dari permiſi. Interim benigne Lector eas hilari vultu reſpicias, & ſi tibi placitas eſſe nouero, vita comite, ex 3. & 4. Scoti plures alias elicere conabor. Vale.

APPROBATIO.

HIS viſis controuerſijs, ac diligenter de verbo ad verbum decurſis per me Fratrem Baſilium à Petra Sancta Ord. Min. Regul. Obſ. Prouinciæ Tuſciæ Lectorem Theologum generalem in Conuentu Omnium Sanctorum de mandato A.R.P. F. Nicolai de Spinellis Senenſis, Theologi excellentiſſimi, Concionatoris egregij, eiuſdem Ord. & Prouinciæ Miniſtri benemeriti, conſideratis inquam, contradictionibus literalibus ex litera Scoti pluribus in locis apparentibus ſuper Prol. Primum atque Secundum elaboratis, cum maximaque facilitate Scoticę doctrinæ per R. P. F. Iacobum Perium à Piſtorio Theologum eximium, Concionatorem generalem, atque Sereniſſimi Coſmę ſecundi Magni Ducis Etrurię confeſſarium ingenioſe ſolutis, eas non in oculto manere, ſed cum nihil contra fidem, & bonos mores contineant, imo cum vniuerſis ſpeculatiuis, & pręcipuè Scotiſtis maximā vtilitatem ſint allatura, in lucem prodire iudico. In cuius rei teſtimonium, mea propria manu ſubſcribo. Datum Florentię in Conuentu Omnium Sanctorum die 27. Nouembris 1619.

Ego F. Baſilius qui ſupra manu propria

L I C E N T I A

M I N I S T R I.

AD ſupradicta Patris Fratris Baſilij de Petra Sancta Lectoris Generalis huius noſtri Conuentus Omnium Sanctorum Florentiæ habita relatione. Tibi præfato Patri Fratri Iacobo de Peris Piſtorienſi Lectori Theologo, Prædicatori Generali, Sereniſſimique Magni Ducis Etruriæ Confeſſario, facultatem facimus, quantum in nobis eſt, vt prædictas Scoti literales Contradictiones admodum vtiles, pręlo dare poſſis. Datum Florentię in Conuentu Omnium Sanctorum die 29. Nouembris 1620.

F. Nicolaus Spinellius Min. Prou.

Manu propria.

DIALOGVS INTER IACOBVM, ET LVCAM.

Queſt. prima Prologi.

Iacobus. CVM teſte Ariſtot. 1. Methaph. omnis homo natura ſcire deſideret; ego hunc appetitum habens, primum, & ferè ſecundum Scoti, te doctore, generaliquè Lectore in loco noſtro S. Franciſ. Vineæ Venetiarum audierim, opto, vt nonnullas hincinde emergentes contradictiones explanes, vt mihi, cæteriſque patriæ noſtræ ſtudentibus Doctrina Scotica prodeſſe valeat.

Lucas. Arbitrabar, diſcipule mi, te memoriæ mandaſſe illas quas legendo propoſueram, nihilominus, vt iuſtæ petitioni tuæ ſatisfaciam, dicta Scoti, in quibus tibi videtur contradicere, aſſer, egoq; Ioan. Scotum Doctorem ſubtiliſſimum ſibi conſtantem, tibi patefaciam.

1. *Iacobus.* Incipiã. Scotus 1. Prol. Q. mox cõtra duas rationes à principio inquit. Virtute intellectus poſſibilis, & agentis ſequi poſſe actus intelligendi cuiuſcunq; reſpectu intelligibilis. Oppoſitum huius habet lib. 1. d. 2. Q. 2. vbi ait. Notitia cuiuſcumque obiecti nata eſt gigni ab eo, & d. 3. Q. 7. & 8. vult Scotus ad intellectionem etiam obiectum concurrere; igitur liquet ſolum intellectum haud ſufficere.

Lucas. Duobus modis iſti difficultati ſatisfieri poteſt. Prior eſt, Scotus 1. Prol. Q. omnem actionem requiſitam ad actum intelligendi non enunciat, at ſolum actionem potentiæ, ob idq; actionem obiecti non negat. Alter eſt. Scotus 1. Prol. Q. arguitiuè, non determinatè, nec abſolutè procedit. Nam mens Doctoris ſubtilis eſt ad actum intelligendi conuenire etiam obiectum, iuxtà Aug. 9. de Trin. dicentem. A cognoſcente, & cognito gignitur notitia.

Prol. Q. in tertia ratione pro Philoſophis ait. Terminos primorum principiorum, quia communiſſimi, nobis primo fore notos. Oppoſitum huius habet d. 3. lib. 1. Q. 2. vbi aſtruit ſpeciem ſpecialiſſimam fore primo cognitam.

Reſp. Hac diſtinctione ad cognitione duplici ſcilicet confuſa, & diſtincta præſens contradictio reſoluitur. Termini primorum principiorum vtiq; ſunt primo noti cognitione diſtincta, & abſoluta 1. Prol. Q. Species verò ſpecialiſſima cognitione confuſa, ita ſentit Scotus 3. d. Q. 2. lib. 1.

3. *Iacobus.* Scotus 1. Prol. Q. ad A. inquit. Omni agenti per cognitionem neceſſaria eſt diſtincta cognitio ſui finis ſcilicet Dei. Oppoſitum huius habet 3. d. 1. Q. 1. vbi tenet Deum in via minimè poſſe cognoſci.

Lucas. Reſp. Verba illa noſtri Doctoris ſcilicet diſtincta cognitio, ſic habent intelligi, ideſt quod ſciat certè hoc eſſe finem ſuum, & non aliud, non tamen requiritur illud agnoſci diſtinctè; Non ergo ibi accipitur diſtincta cognitio, vt opponitur contra confuſam, at pro determinata finis cognitione, vt ſcilicet agens ſciat A. & non B. finem ſuum fore.

4. *Iacobus.* Scotus 1. Prol. Q. ad A. ait. Philoſophus ſoli rationi naturali innitendo, vel errabit circa finem in particulari, vel dubius remanebit. Oppoſitum ſic apparet. Nam Philoſopus ſecundum rationem naturalem vltimum finem perfectè quietare potentiam beatificabilem habet ponere; cum beatitudo bonum perfectum ſit, debet illam ponere, vt patet 10. Etic. in ente perfectiſſimo; Igitur non errat, nec dubius eſt, vt dicit Scotus.

Lucas. Reſp. Si Philoſophus homini eſſe poſſibile poſſe agnoſcere primum obiectum ſcilicet Deum beatificantem agnouiſſet, non vtique in errorem, nec in dubium incidiſſet; ſed hoc homini eſſe poſſibile haud actenus via naturali noſcere poteſt.

5. *Iacobus.* Scotus 1. Pgol. Q. ad B. refert. Nullius ſubſtantiæ finis proprius agnoſcitur niſi ex actibus eius nobis manifeſtis. Oppoſitum in eadem Q. inquit; cuius verba ſunt. Ex hac etiam ratione videtur quod falſa ſit iſta propoſitio, finis ſubſtantiæ non cognoſcitur, niſi ex actibus ſuis.

Lucas. Reſp. Semet declarat Doctor, quando, poſt illa verba, quod ſit falſa illa propoſitio, ait. Quia ex cognitione naturæ in ſe poteſt eius finis cognoſci demoſtratione quia. dic ergo conſequenter.

6. *Iacobus.* Scotus 1. Prol. Q. ad B. poſtim recenſet reſpectu vltimi finis viſionis ſcilicet diuinæ, & fruitionis rationem naturalem non eſſe. Oppoſitum habet in 4. d. 49. Q. 8. & Q. 12. in principio, vbi naturaliter beatitudinem, ſeu finem noſtrum nititur monſtrare.

Lucas. Reſp. Et primo inquam; An circa finem ſit ratio naturalis ſemper fuiſſe ſecundum aliquos Scotiſtas, in via Scoti problema. Nam 1. Prol. ad B. circa hoc dubitauit, & in 4. locis citatis circa id rationes poſuit naturales. Ioan. Baſolus lib. 4. d. 49. Q. 5. dicit, rationes illas Scoti in 4. eſſe perſuaſiones tantum quaſdam, & ſolubiles. Hoc enim verum eſt, cum 1. Prol. Q. ſoluantur. Poteſt etiam addi rationes illas Scoti in 4. eſſe merè creditas, & illo verbo Scoti ponderato ſcilicet. Sublata imperfectione ſtatus iuſtius quo ad cognitionem.

7. *Iacobus.* Scotus 1. Prol. Q. contra Henricū, & ad B. ſepe ſepius habet hominem ad virtutes Teologicas ſcilicet Fidem, Spem, Charitatem, aliaſq; veritates reuelatas non habere naturalem actionem. Oppoſitum huius in eadem

dem met Q. inuit Scotus referens illud Aug. lib. 1. de Prædeſtinatione Sanctorum. Proinde poſſe habere fidem, ſicut poſſe charitatem naturæ eſt hominum.

Lucas. Reſp. Scotum 1. Prol. enumeraſſe Theologicas virtutes, reuelataſq; veritates viribus naturæ non poſſe agnoſci. Nam lumen Sacræ Scripturæ reuelatum euacueretur. Dictum vero Sancti Aug. interpretatur de inclinatione paſſiua, quam ad tales habitus diuinos habet homo, quos induſtria propria non valet attingere; quod verbis ſequentibus ad citata inuit dicens. Habere autem fidem, quemadmodum habere charitatem gratiæ eſt fidelium.

8. *Iacobus.* Scotus 1. Prol. Q. ad D. Rei ſenſibilis quidditatem pro noſtri intellectus obiecto non immeritò ſtatuit. Oppoſitũ huius ponit Q. 3. Quol. mox ab initio, quo ens comune enti reali, & rationis obiectum fore noſtri intellectus aſtruit.

Lucas. Reſp. Quidditatem rei ſenſibilis obiectum motiuum noſtri intellectus pro ſtatu pręſenti Scotus poſuiſſe 1. Q. 1. eſtq; eius ſentẽtia vbiq; in doctrina Scoti; ens verò, reali enti comune, & rationis, quod eſt æquiuocum, & multiplex, obiectum noſtri intellectus, at comunitatis, in 3. Q. Quol. apponitur. Dices. Ens reale aſſigniatur à Scotus lib. 1. d. 3. Q. 3. primum obiectum noſtri intellectus, ergo non quidditas rei materialis. Dico Scotum locutnm fuiſſe 3. d. 1. de obiecto inclinaiionis, nam ens reale eſt ad quod intellectiua potentia inclinatur. Ens verò reale finitum, & abſolutum eſt primum obiectum potentię motiuę, ſed non ad præſens, at vt intellectus tantum, quo intellectus eſt. Ens autem reale finitum eſt primum obiectum noſtri intellectus terminatiuum.

9. *Iacobus.* Scotus 1. Prol. Q. dicit ad E. Naturaliter nõ cognoſcimus ens eſſe primum obiectum intellectus noſtri, & hoc ſecundum totam indifferentiam entis ad ſenſibilia, & inſenſibilia. Oppoſitum huius habet Scotus lib. 1. d. 3. Q. 3. vbi ponit ens in quantum ens noſtri intellectus, vt intellectus obiectum adequatum fore.

Lucas. Reſp. Huic difficultati tribus modis. Prior eſt. Ens in quantum ens eſt noſtri intellectus obiectum ad quod potentia inclinatur, vt iam dictum eſt; at non eſt motiuum. Alter eſt. Iſta ſimul ſtant ſcilicet intellectum habere pro obiecto adequato ens in quantum ens, & naturaliter quod libet ens ſub ente contentum non agnoſcere. Si quidem ad obiecti cognitionem tantum non expoſcitur potentia, verum quoq; obiecti pręſentia in ſe, ſeu in aliquo repræſentatiuo, vt docet Scotus lib. 1. d. 3. Q. 6. Adhuc requiritur tale obiectum actiuè concurrere ad cognitionem, vel aliquod ſuplens vicem obiecti Scotus lib. 1. d. 3. Q. 7. Tertius modus eſt, negare intellectum ſeparatum naturaliter poſſe ens in quantum ens cognoſcere, & ſi ens in quantum ens pro obiecto adequato habeat. Inſtabis 1. Prol. ait Scotus. Cui naturaliter eſt nota aliqua potentia ei naturaliter eſt notum illius potentiæ obiectum. At intellectus ſeparatus, propria induſtria, ſub propria ratione, ac diſtinctè ſe cognoſcit. Itaq; naturaliter notum erit ei ens in quantum ens, cum eius ſit adequatum obiectum. Reſp. Sententia Scoti ſic eſt gloſanda. Cui eſt nota aliqua potentia ſub ratione diſtincta, & ſub illa ratione, qua obiectum aſpicit, eiq; notum erit tale obiectum. Verum in propoſito, & ſi intellectus ſeparatus ſub ratione diſtincta, & propria cognoſcat, tamen non ſub ea ratione, & habitudine qua reſpicit ens in quantũ ens.

SVBTILISSIMAE
CONTRADICTIONES
IN PROLOGVM
PRIMVM ATQVE SECVNDVM
Sententiarum Scoti.

[illegible]

OPVS PERVTILE OMNIBVS
DOCTRINAM SCOTI PROFITENTIBVS

Aliorumque Theologorum per modum Dialogi digestum, ac nitidius [illegible].

FLORENTIAE,

[illegible] Superiorum permissu. [illegible]
[illegible]

COSMAE MEDICEO SERENISSIMO, ET POTENTISSIMO,

Simulq́ue Pijſſimo Etruriæ Magno Duci IIII.

Frater Iacobus Perius Piſtorienſis Min. Obſer. Theol. Et à Sacris Confeſſionibus eiuſdem Alt. Ser. Cum ſumma humiltate; cultu, & obſequio ſe, libellumque hunc dicat.

PATEAT mihi omnium humillimo Altitudo tua Sereniſsima, & patebit acceſſus libello huic meo, qui alacer ad te venit, quia ita meus à ſtudio, & labore, vt quidem tuus, ob eximiam, ægregiamque benignitatem erga me tuã. Domi ſi quidem tuæ natus eſt, in hoc peroportuno, ſcilicet, ſecluſoque diuerſorio ad pia ſtudia, inter hæc clauſtra (maiori pietate dicam, an pompa) fabricato, vnde ad te properat hoc æternæ in te meæ obſeruantiæ pignus, hoc beneficientiæ perpetuum erga me tuæ monimentum. Eſt libellus Contradictionum ſubtiliſsimi, acutiſsimique Doctoris noſtri Scoti in Prologum, in Primum, atque Secundum ſententiarum. Alieniori facile argumento, quam vt ad te mittatur, ad te veniat in populis regendis, ac rebus grauiſsimis tui fe-

licißimi ſtatus, vel potius totius Orbis Chriſtiani pertractandis prorſus occupatum; attamen vero, quia de rebus magnis eſt, non abre viſum fuit, ad Magnum magna dirigere, quia Magnum magna decent. Et ad illum Sereniſsimum Etruriæ Ducem in quo quæcunque ſunt magna ſunt à magnitudine incipiunt, à plenitudine ipſa, ab ipſo ordiuntur Summo. Video quæ ante te, quæ in te, & admirans exclamo, ò verè Magnum, verè Sereniſsimum Etruriæ Ducem, in quo, & ſingula, & vniuerſa, quæ ad Amplißimum ſpectant, Sereniſsimumque Heroem, ea inueniuntur in eo, in eo cognoſcuntur omni ex parte maxima. Videt te oculus meus, neque tamen linceus, ſed quaſi lippus, ac te conſpicit ex apice illo Sereniſsimorum, ex Ferdinando illo, qui fuit à Coſma vtriſque inclitæ celeberrimęque memoriæ. Viuit, ſpirat, adhuc eſt in ore omnium pater ille tuus Sereniſsimus, optimus Ferdinandus, dum in ætatis flore primeuo, & animi, & corporis dotibus florentiſsimus, in ſacra purpura quaſi ad clauum ſedit Eccleſiaſticæ illius Petri Nauiculæ. Sed video ego, teque admiror præſentem in omnibus Atauis, Protauiſque tuis, qui ſago, vel toga præſtantiſsimi Ciuium reliquorum fuere. Hæc tua, hec tuorũ magnitudo vocat ad ſe magna, immo, & minima quæquæ præſertim, & me humillimum cum lucubrationibus meis, in quibus agnoſcas te Sereniſſimum, Altiſsimumque Ducem, agnoſcas me humillimis quibuſuis longe humiliorem, & in humilitate mea glorianter, quia mea tibi complacita eſt humilitas, & exilitas mea. Hæc facit me quicquid ſum, ſed maius eſt quod facit Pietas, Charitaſque tua, dum eouſque me euehit, quod venerari te poſsim, vt Chriſti Principem, amare te debeam, vt totius Etruriæ Magnum Ducem, & ſic me, libellumque meum tibi dicare non ſum veritus. Audeam ego tantum? non ego, ſed regiæ virtutes, in quibus natus, in quibus enutritus, in quibus totus, totus es, tantum addunt animi mihi omnium puſillanimo. Earum prima eſt Pietas, præſidium, decuſque tuum. Iuſtitia eſt altera; De fortitudine nihil dicam. Hæc certa, hæc manifeſta apparet, dum vires exerceas in Barbarorum, Infideliumque perniciem. Clementiam præteribo, atque ad vnam liberalitatem conuertam me totum cum Pietate coniunctam, in qua boni non ſpoliantur patrijs, auitiſque bonis, ſed conſeruantur, ſed augentur, dum in viros bonos interim, in pauperes, in egenos es beneficus, es adeo benignus, vt effætis iam agris, & annona cariore, ipſe fueris, & ager fæcundiſsimus, & annona vberrima Etruriæ tuæ vniuerſæ. Hoc regnare eſt,

hoc intelligere ſe à Deo populis eſſe datum, non minus quam ſibi populos eſſe datos. Ita regnatur in animis, ita regnat in homine Deus, ita regnat homo, ita in animo regnat meo, ò Sereniſsime, ò Altiſsime Dux Magne, qui meam non es dedignatus tenuitatem, ſed eouſque extuliſti humilitatē meam, vt a ſacris confeſsionibus tuis me eſſe volueris. Accepiſti me, quæ tua fuit Altitudo animi, conſerua me tuum, qui me tibi cum meis omnibus, cum libello hoc meo, & dicaui, & dico. Perge in hoc oſtendere Magnitudinem tuam, ſis ipſe tibi Magnus, & quæ tibi offeruntur parua, fac magna, qui potes, ſac tuta, qui ſoles. Hoc expectat a te, hoc de te Altiſsime, Sereniſsimeque Dux Magne, pollicetur ſibi, & Auctor, & Opuſculũ; ſic cõplectaris vtrumq; nõ propter ſe, ſed ꝓpter te tuamq; clementiā Sic complectere totam ſodalitatem meam in qua fuit, eſt, & erit tanta propenſio tua, tuorumque: hanc protege, hanc ſerua, hanc adauge Sereniſsime Dux Magne. Dum hæc pro te, pro ſereniſsima familia, Domoque tua vniuerſa, & ego cum hac humillimas fundo, ac perpetuas ſupplicationes, & preces ad Deum, qui te ſeruet æternum, cumque debita humilitate, tibi veſtem exoſculor. Ex Conuentu Omnium Sanctorum Florentiæ pridie idus Nouembris 1620.

AD LECTOREM.

CVM à diueuerſis Theologis iſtius Religionis Seraphicę Paulo, ſcilicet ſcriptore, Gratiano Brixiano, Ioa: à Vigerio, Franciſco Licheto, Iacobino Bargio, Antonio à Pupillo, Paduano Barolita, & ex lectionibus auditis Venetijs. An. 1588. ab excellentiſſimo Theologo, Prędicatore famoſo, olim Diffinitore, & Cuſtode in Prouincia Tuſcię. P. F. Luca de Cutiliano quam plures contradictiones Scoti, tum literales, tum virtualiter tales, tum etiam dictis Sanctorum, & Philoſophorum, oppoſitiones exaratas maximo ſtudio, & labore, Pręceptoriſque mei amantiſſimi auxilio collegerim, illas intimis condiſcipulis communicare mihi complacui, ex quarum communicatione ad aliorum fortè manus peruenerunt. Id mei ſcolares intelligentes, inſtanter petierunt, & pręcipuè cum eſſem indignus Guardianus, & Lector in loco noſtro Nemoris (vnde vocatus, & in Confeſſ. S. M. D. Etrurię, nullis meis meritis, at ſola benignitate Celſitudinis ſuę electus) vt ad ipſorum, aliorumque iuuenum vtilitatem in palam eſſe ſinerem; Hinc fraterna charitate, non ambitione motus, literam Scoti perſcrutando, illas expurgaui, multaſque alias addidi, triplicem indicem texui, Rerum notabilium, Locorum ſacræ ſcripturæ, Doctorum, ac Philoſophorum, & ſic additas, atque expurgatas in lucem dari permiſi. Interim benigne Lector eas hilari vultu reſpicias, & ſi tibi placitas eſſe nouero, vita comite, ex 3. & 4. Scoti plures alias elicere conabor. Vale.

APPROBATIO.

HIS viſis controuerſijs, ac diligenter de verbo ad verbum decurſis per me Fratrem Baſilium à Petra Sancta Ord. Min. Regul. Obſ. Prouinciæ Tuſciæ Lectorem Theologum generalem in Conuentu Omnium Sanctorum de mandato A.R.P. F. Nicolai de Spinellis Senenſis, Theologi excellentiſſimi, Concionatoris egregij, eiuſdem Ord. & Prouinciæ Miniſtri benemeriti, conſideratis inquam, contradictionibus literalibus ex litera Scoti pluribus in locis apparentibus ſuper Prol. Primum atque Secundum elaboratis, cum maximaque facilitate Scoticę doctrina per R. P. F. Iacobum Perium à Piſtorio Theologum eximium, Concionatorem generalem, atque Sereniſſimi Coſmę ſecundi Magni Ducis Etrurię confeſſarium ingenioſe ſolutis, eas non in oculto manere, ſed cum nihil contra fidem, & bonos mores contineant, imo cum vniuerſis ſpeculatiuis, & pręcipuè Scotiſtis maximā vtilitatem ſint allatura, in lucem prodire iudico. In cuius rei teſtimonium, mea propria manu ſubſcribo. Datum Florentię in Conuentu Omnium Sanctorum die 27. Nouembris 1619.

Ego F. Baſilius qui ſupra manu propria

LICENTIA

MINISTRI.

AD ſupradicta Patris Fratris Baſilij de Petra Sancta Lectoris Generalis huius noſtri Conuentus Omnium Sanctorum Florentiæ habita relatione. Tibi præfato Patri Fratri Iacobo de Peris Piſtorienſi Lectori Theologo, Prædicatori Generali, Sereniſſimique Magni Ducis Etruriæ Confeſſario, facultatem facimus, quantum in nobis eſt, vt prædictas Scoti literales Contradictiones admodum vtiles, prælo dare poſſis. Datum Florentiæ in Conuentu Omnium Sanctorum die 29. Nouembris 1620.

F. Nicolaus Spinellius Min. Prou.

Manu propria.

DIALOGVS INTER IACOBVM, ET LVCAM.

Queſt. prima Prologi.

Iacobus. CVM teſte Ariſtot. 1. Methaph. omnis homo natura ſcire deſideret; ego hunc appetitum habens, primum, & ferè ſecundum Scoti, te doctore, generaliquè Lectore in loco noſtro S. Franciſ. Vineæ Venetiarum audierim, opto, vt nonnullas hincinde emergentes contradictiones explanes, vt mihi, cæteriſque patriæ noſtræ ſtudentibus Doctrina Scotica prodeſſe valeat.

Lucas. Arbitrabar, diſcipule mi, te memoriæ mandaſſe illas quas legendo propoſueram, nihilominus, vt iuſtæ petitioni tuæ ſatisfaciam, dicta Scoti, in quibus tibi videtur contradicere, aſſer, egoq; Ioan. Scotum Doctorem ſubtiliſſimum ſibi conſtantem, tibi patefaciam.

1\. *Iacobus.* Incipiã. Scotus 1. Prol. Q. mox cõtra duas rationes à principio inquit. Virtute intellectus poſſibilis, & agentis ſequi poſſe actus intelligendi cuiuſcunq; reſpectu intelligibilis. Oppoſitum huius habet lib. 1. d. 2. Q. 2. vbi ait. Notitia cuiuſcumque obiecti nata eſt gigni ab eo, & d. 3. Q. 7. & 8. vult Scotus ad intellectionem etiam obiectum concurrere; igitur liquet ſolum intellectum haud ſufficere.

Lucas. Duobus modis iſti difficultati ſatisfieri poteſt. Prior eſt, Scotus 1. Prol. Q. omnem actionem requiſitam ad actum intelligendi non enunciat, at ſolum actionem potentiæ, ob idq; actionem obiecti non negat. Alter eſt. Scotus 1. Prol. Q. arguitiuè, non determinatè, nec abſolutè procedit. Nam mens Doctoris ſubtilis eſt ad actum intelligendi conuenire etiam obiectum, iuxtà Aug. 9. de Trin. dicentem. A cognoſcente, & cognito gignitur notitia.

2. *Iacobus.* Scotus 1. Prol. Q. in tertia ratione pro Philoſophis ait. Terminos primorum principiorum, quia communiſſimi, nobis primo fore notos. Oppoſitum huius habet d. 3. lib. 1. Q. 2. vbi aſtruit ſpeciem ſpecialiſſimam fore primo cognitam.

Lucas. Reſp. Hac diſtinctione ad cognitione duplici ſcilicet confuſa, & diſtincta præſens contradictio reſoluitur. Termini primorum principiorum vtiq; ſunt primo noti cognitione diſtincta, & abſoluta 1. Prol. Q. Species verò ſpecialiſſima cognitione confuſa, ita ſentit Scotus 3. d. Q. 2. lib. 1.

3. *Iacobus.* Scotus 1. Prol. Q. ad A. inquit. Omni agenti per cognitionem neceſſaria eſt diſtincta cognitio ſui finis ſcilicet Dei. Oppoſitum huius habet 3. d. 1. Q. 1. vbi tenet Deum in via minimè poſſe cognoſci.

Lucas. Reſp. Verba illa noſtri Doctoris ſcilicet diſtincta cognitio, ſic habent intelligi, ideſt quod ſciat certè hoc eſſe finem ſuum, & non aliud, non tamen requiritur illud agnoſci diſtinctè; Non ergo ibi accipitur diſtincta cognitio, vt opponitur contra confuſam, at pro determinata finis cognitione, vt ſcilicet agens ſciat A. & non B. finem ſuum fore.

4. *Iacobus.* Scotus 1. Prol. Q. ad A. ait. Philoſophus ſoli rationi naturali innitendo, vel errabit circa finem in particulari, vel dubius remanebit. Oppoſitum ſic apparet. Nam Philoſopus ſecundum rationem naturalem vltimum finem perfectè quietare potentiam beatificabilem habet ponere; cum beatitudo bonum perfectum ſit, debet illam ponere, vt patet 10. Etic. in ente perfectiſſimo; Igitur non errat, nec dubius eſt, vt dicit Scotus.

Lucas. Reſp. Si Philoſophus homini eſſe poſſibile poſſe agnoſcere primum obiectum ſcilicet Deum beatificantem agnouiſſet, non vtique in errorem, nec in dubium incidiſſet; ſed hoc homini eſſe poſſibile haud actenus via naturali noſcere poteſt.

5. *Iacobus.* Scotus 1. Pgol. Q. ad B. refert. Nullius ſubſtantiæ finis proprius agnoſcitur niſi ex actibus eius nobis manifeſtis. Oppoſitum in eadem Q. inquit; cuius verba ſunt. Ex hac etiam ratione videtur quod falſa ſit iſta propoſitio, finis ſubſtantiæ non cognoſcitur, niſi ex actibus ſuis.

Lucas. Reſp. Semet declarat Doctor, quando, poſt illa verba, quod ſit falſa illa propoſitio, ait. Quia ex cognitione naturæ in ſe poteſt eius finis cognoſci demoſtratione quia. dic ergo conſequenter.

6. *Iacobus.* Scotus 1. Prol. Q. ad B. poſtim recenſet reſpectu vltimi finis viſionis ſcilicet diuinæ, & fruitionis rationem naturalem non eſſe. Oppoſitum habet in 4. d. 49. Q. 8. & Q. 12. in principio, vbi naturaliter beatitudinem, ſeu finem noſtrum nititur monſtrare.

Lucas. Reſp. Et primo inquam; An circa finem ſit ratio naturalis ſemper fuiſſe ſecundum aliquos Scotiſtas, in via Scoti problema. Nam 1. Prol. ad B. circa hoc dubitauit, & in 4. locis citatis circa id rationes poſuit naturales. Ioan. Baſolus lib. 4. d. 49. Q. 5. dicit, rationes illas Scoti in 4. eſſe perſuaſiones tantum quaſdam, & ſolubiles. Hoc enim verum eſt, cum 1. Prol. Q. ſoluantur. Poteſt etiam addi rationes illas Scoti in 4. eſſe merè creditas, & illo verbo Scoti ponderato ſcilicet. Sublata imperfectione ſtatus iuſtius quo ad cognitionem.

7. *Iacobus.* Scotus 1. Prol. Q. contra Henricũ, & ad B. ſepe ſepius habet hominem ad virtutes Teologicas ſcilicet Fidem, Spem, Charitatem, aliaſq; veritates reuelatas non habere naturalem actionem. Oppoſitum huius in eadem

dem met Q. inuit Scotus referens illud Aug. lib. 1. de Prædeſtinatione Sanctorum. Proinde poſſe habere fidem, ſicut poſſe charitatem naturæ eſt hominum.

Lucas. Reſp. Scotum 1. Prol. enumeraſſe Theologicas virtutes, reuelataſq; veritates viribus naturæ non poſſe agnoſci. Nam lumen Sacræ Scripturæ reuelatum euacueretur. Dictum vero Sancti Aug. interpretatur de inclinatione paſſiua, quam ad tales habitus diuinos habet homo, quos induſtria propria non valet attingere; quod verbis ſequentibus ad citata inuit dicens. Habere autem fidem, quemadmodum habere charitatem gratiæ eſt fidelium.

8. *Iacobus.* Scotus 1. Prol. Q. ad D. Rei ſenſibilis quidditatem pro noſtri intellectus obiecto non immeritò ſtatuit. Oppoſitũ huius ponit Q. 3. Quol. mox ab initio, quo ens comune enti reali, & rationis obiectum fore noſtri intellectus aſtruit.

Lucas. Reſp. Quidditatem rei ſenſibilis obiectum motiuum noſtri intellectus pro ſtatu pręſenti Scotus poſuiſſe 1. Q. 1. eſtq; eius ſentẽtia vbiq; in doctrina Scoti; ens verò, reali enti comune, & rationis, quod eſt æquiuocum, & multiplex, obiectum noſtri intellectus, at comunitatis, in 3. Q. Quol. apponitur. Dices. Ens reale aſſigniatur à Scotus lib. 1. d. 3. Q. 3. primum obiectum noſtri intellectus, ergo non quidditas rei materialis. Dico Scotum locutum fuiſſe 3. d. 1. de obiecto inclinationis, nam ens reale eſt ad quod intellectiua potentia inclinatur. Ens verò reale finitum, & abſolutum eſt primum obiectum potentię motiuę, ſed non ad præſens, at vt intellectus tantum, quo intellectus eſt. Ens autem reale finitum eſt primum obiectum noſtri intellectus terminatiuum.

9. *Iacobus.* Scotus 1. Prol. Q. dicit ad E. Naturaliter nõ cognoſcimus ens eſſe primum obiectum intellectus noſtri, & hoc ſecundum totam indifferentiam entis ad ſenſibilia, & inſenſibilia. Oppoſitum huius habet Scotus lib. 1. d. 3. Q. 3. vbi ponit ens in quantum ens noſtri intellectus, vt intellectus obiectum adequatum fore.

Lucas. Reſp. Huic difficultati tribus modis. Prior eſt. Ens in quantum ens eſt noſtri intellectus obiectum ad quod potentia inclinatur, vt iam dictum eſt; at non eſt motiuum. Alter eſt. Iſta ſimul ſtant ſcilicet intellectum habere pro obiecto adequato ens in quantum ens, & naturaliter quod libet ens ſub ente contentum non agnoſcere. Si quidem ad obiecti cognitionem tantum non expoſcitur potentia, verum quoq; obiecti pręſentia in ſe, ſeu in aliquo repræſentatiuo, vt docet Scotus lib. 1. d. 3. Q. 6. Adhuc requiritur tale obiectum actiuè concurrere ad cognitionem, vel aliquod ſuplens vicem obiecti Scotus lib. 1. d. 3. Q. 7. Tertius modus eſt, negare intellectum ſeparatum naturaliter poſſe ens in quantum ens cognoſcere, & ſi ens in quantum ens pro obiecto adequato habeat. Inſtabis 1. Prol. ait Scotus. Cui naturaliter eſt nota aliqua potentia ei naturaliter eſt notum illius potentiæ obiectum. At intellectus ſeparatus, propria induſtria, ſub propria ratione, ac diſtinctè ſe cognoſcit. Itaq; naturaliter notum erit ei ens in quantum ens, cum eius ſit adequatum obiectum. Reſp. Sententia Scoti ſic eſt gloſanda. Cui eſt nota aliqua potentia ſub ratione diſtincta, & ſub illa ratione, qua obiectum aſpicit, eiq; notum erit tale obiectum. Verum in propoſito, & ſi intellectus ſeparatus ſub rationę diſtincta, & propria cognoſcat, tamen non ſub ea ratione, & habitudine qua reſpicit ens in quantũ ens.

10. Iacobus. Scotus 1. Prol. Q. habet. Effectum productũ magis Deum neceſſario agere quam libere, & contingenter concludere, atq; inferre. Oppoſitum huius tenet lib. 1. d. 8. Q. 5. vbi in Philoſophos decertans ratione ex effectibus deſumpta, ceù cauſis ſecundis, Deum ad extra agere liberi, & contingenter probat.

Lucas. Reſp. Doctor ſubtilis 8. d. 1. lib. non id probat, quod ſenſerint Philoſophi, at id ſolum, quod in via veritatis eſt firmandum manifeſtat; Prima verò Prol. docet id, quod non verè, & naturaliter debuerat Philoſophus aſſumere, ſed id, quod de facto, etſi perperam aſſumere.

11. Iacobus. Scotus 1. Prol. Q. ad H. inquit. Paſſionem poſteriorem per priorem monſtrari poſſe, cuius verba formalia ſunt iſta. Medium inter extrema, quandoq; eſt eſſentialiter ordinatum, puta quodquid eſt alterius extremi, vel paſſio prior reſpectu poſterioris paſſionis, & tale medium eſt ad concludendum vniuerſaliter extremum de extremo. Oppoſitum huius habet lib. 1. d. 39. vbi expreſsè tenet alteram entis paſſionem per alteram haud moſtrari poſſe.

Lucas. Reſp. An vna paſſio per aliam monſtretur, poſtquam, quid ſentiam, dixero, contradictioni apparenti ſatisfaciam. Ille Metaphiſicus Ant. Andreas 1. Metaph. Q. 1. entis paſſiones demoſtrari aſſerit. Etſi dicatur, ens nõ habet diffinitionẽ, quomodo eius paſſio moſtrabitur. Reſp. Paſſionem poſteriorem per priorẽ demonſtrari. Si queras. Inter paſſiones, quænam ſit prior. Reſp. Vnum; aliæq; omnes per hanc demonſtrantur, additquè inter paſſiones ordinem eſſe dandum, & ſubdit, quod. Vnum, ſit prima paſsio oſtenditur ex Ariſt. 4. Metaph. cuius iſta eſt ſententia. Ens, & vnum dicunt eamdem naturam; ſubdidit etiam. Eodem ſunt paſsiones entis, & vnius. Ex ijſq; colligit Ant. Andr. Vnum eſſe paſsionem magis intrinſecam enti, quam aliæ, & conſequenter primam, qua omnes aliæ monſtrentur. Quæ oppinio, etſi probalis, attamen comuniter à Scotiſtis non recipitur. Petrus Tatar. Doctor Pariſ. 1. Metaph. Q. vn. not. 2. aliter ſatisfacit ponendo tres cõcluſiones deſumptas à Scoto d. 39. lib. 1. Prior eſt. Omnes paſsiones entis ſimplices equè ſunt immediatæ, & vna per aliam non poteſt demoſtrari. Altera. Paſsio entis abincta non poteſt demoſtrari, quia eſt immediata. Tertia eſt. In paſsione abiuncta extremum nobilius, vt independens, per aliud valet extremum ignobilius ideſt dependens, demoſtrari. Hinc nitentes paſſionem entis per ens, vel quidditatem entis, vnamquè paſsionem per aliam demonſtrare (vtendo verbis prædictis Viri) ſunt Friuoli Scotizantes. Dicta verò Ariſt. ab Ant. And. citata nihil contra iſtum modum dicendi faciunt. Nam qua ratione dicit, Vnum, primam fore paſsionem, omniaquè ad Vnum reduci; pari modo de Vero, dicam, & de Bono. Nam inter haſce entis paſsiones reuera non eſt ordo, vt aliàs videbitur. Itaquè in via Scoti paſsionem alia paſsione minimè oſtendi eſt defendendum, idquè teſtatur Ioan. Scotus loco citato 1. lib. d. 39. Etſi Doctor ſubtilis 1. Prol. & alibi videatur dicere vnam per alteram paſsionem oſtendi, loquitur conditione, vel exemplo, non determinate, veluti in 1. d. 39. Amplius. Duplex eſt demoſtratio vna in cognoſcendo altera in eſſendo. Paſsio ſolummodo medium eſt aliam paſsionem demoſtrandi in cognoſcendo; at non in eſſendo, & cognoſcendo ſiumli, quod ad veram demoſtrationem requiritur.

12. *Iacobus.* Scotus 1. Prol. Q. ad H. inquit. Terminos reuelatorum neceſſariorum naturaliter cognoſcimus, nempè, Deum, & Trinum. Oppoſitum in eadem met Q. 1. habet, vbi negat, Deum Trinum poſſe naturaliter agnoſci. Nam id ſolum ex reuelatione cognoſcitur.

Lucas. Reſp. Naturaliter quidem cognoſcimus tales terminos in cõfuſo, modoq; indiſtincto, non autem diſtinctè, & in particulari. Si dubitando quis dicat. Quando naturaliter cognoſcuntur ij termini, Deus, & Trinus, quomodo tunc accipiuntur, pro vocibus, vel pro conceptibus, aut pro rebus? Non 1. nec 2. modis, vt docet Scotus clarè 1. Q. Prædicamen. & 1. lib. de Interpetr. Q. 2. Itaq; ſi accipitur pro rebus, aut Deus propriè Deitatem ſignificat, aut confuſè, ſi primo modo, ergo Deitas diſtinctè naturaliter eſt nota. Si ſecundo modo, id non videtur poſſe ſtare, ſi quidem hoc prædicatum, Trinum, conuenire tali conceptuj in confuſo accepto, non valet. Reſp. Deus ſignificat in confuſo ideſt hoc nomen, Deus, notat aliquod ens in confuſo, quod Deum nominamus. Ais, prędicatum hoc ſcilicet, Trinum, non conuenit Deo confuſè accepto. Immediatè concedo; quod verò ſibi non conueniat mediatè, nego. Quandoquidem prædicatum tale primo in ſe, & ſub propria ratione Deo conueniat. Secundo verò poteſt etiam Deo in conceptu confuſo conuenire. Rurſum. Huius nominis, Deus, ſignificatum eſt ipſa Deitas in ſe; dum inferebas, naturaliter poſſe cognoſci, non rectè infertur. Nam plus ſignificare contingit, quam intelligere, vt docet Scotus 22. d. lib. 1. Ex quo ſequitur, quempiam huic nomini Deus potuiſſe imponere Deitatem in ſe, & ſub ratione propria ſignificare, non tamen cognoſcere illud ſignificatum.

13. *Iacobus.* Scotus 1. Prol. Q. ad H. ait. Cognoſcens extrema propoſitionis neceſſariæ, poteſt cognoſcere medium eſſentialiter ordinatum inter illa. Oppoſitum huius patet in doctrina ſua. Nam affirmat vltimam differentiam pro ſtatu iſto minimè ſciri. Tunc ſic. In præſenti ſtatu, hæc extrema ſcilicet homo, & riſibilitas cognoſcuntur, non tamen ſubiecti diffinitio eſſentialis, quæ ponitur medium inter illa extrema eſſentialiter, cognoſcitur. Nam vltima differentia ignorata, & diffinitio eſſentialis haud erit ſcita.

Lucas. Reſp. Scoti dictũ 1. Prol. Q. de medio, quod haberi poteſt pro ſtatu iſto, intelligi debet; admittoquè vltimam differentiam non cognoſci, tamen cognitis extremis illis, inueſtigari poteſt diffinitio cum vtroquè extremo conuertibilis, idquè erit via diuiſionis, eo modo docet Ariſt. 2. Poſt. Præterea, ſi diſtinctè ea extrema cognoſcantur, ſubito ſciri poteſt medium ordinatum inter illa, quod ponitur cauſa adequata paſſionis inhærentiæ ad ſubiectum. Quod quidem veritatem de medio particulari non capit; quod medium ponitur ad vtrunq; extremum medium inferius, cum eſſentialiter non valeat inter extrema talia communia ordinari.

14. *Iacobus.* Scotus 1. Prol. Q. ad H. inquit. Eiuſmodi veritatis. Aliquod ens eſt Trinum, & Vnum poteſt eſſe cognitio virtute creaturæ, ac virtute eſſentiæ, etſi vna imperfecta, quæ eſt virtute creaturæ, altera perfecta, quæ eſſentiæ ratione dicatur, ſicquè vnius propoſitionis vna erit cognitio naturalis, altera ſupernaturalis. Oppoſitum huius habet Scotus 1. Prol. Q. Secundę Philoſophorum rationi ſatisfaciendo, arguit in D. Thomam affirmantem eadem concluſionem Naturalem, vel Theologicam,

gicam, duobus poſſe oſtendi medijs, dicens. Si concluſio haberi poteſt naturali medio, non erit itaquè ſimpliciter neceſſaria cognitio ſupernaturalis.

Lucas. Reſp. Quamuis hæc concluſio ſcilicet. Aliquod ens eſt Trinum virtute creaturæ poſſit agnoſci. Nam termini illius ex ſenſibilibus concipiuntur, nunquam tamen virtute creaturę erit certa, & euidens; at euidentiam ex natura rei à conceptu proprio illo habet, qui quidem virtute Deitatis habetur; nec per aliquod naturale medium poteſt demoſtrari, licet itaquè Scoti ratio in D. Thomam ponentem eamdem concluſionem potuiſſe medio naturali, ac ſupernaturali euidentiam habere concludat, non autem concludit hic; nam ponitur tantum ex medio ſupernaturali habere euidentiam; ſicque patet ad contradictionem.

15.*Iacobus.* Scotus 1. Prol. Q. ad R. (rationē D. Thomę ad Theologię neceſſitatē probandam inducens) ait. Finis hominis eſt ſupernaturalis. Oppoſitum habet eadem met Q. vbi inducit D. Thomam dicentem. Vltimum finem hominis eſſe naturalem.

Lucas. Reſp. Hominis vltimus finis dicitur naturalis, ideſt, ad quem homo naturaliter inclinatur, idquè bis, vel ter, hac Q. Scotus firmat. Simpliciter autem non eſt naturalis, immò ſic eſt merè ſupernaturalis. Etiam. Hominis finem eſſe naturalem actiuè, aut paſſiuè intelligi poteſt, paſſiue certè naturalis eſt. Nam homo natura eſt capax ad vltimū finem ſuſcipiendum. Actiuè autem non eſt naturalis, cum actio in homine non ſit ad finem vltimum.

16.*Iacobus.* Scotus 1. Prol. Q. ad L. dicit. Intellectus poſsibilis perficitur naturaliter cognitione quacunquè, & ad quamcunquè naturaliter inclinatur. Oppoſitum huius habet Q. 19. Quol. vbi ait. Ad formam ſupernaturalem non eſt aptitudo naturalis.

Lucas. Reſp. Differentia grandis eſt inter potentiā, & aptitudinē, vt patet Q. 18. Vniuerſalium. Nam aptitudo eſt inclinatio alicuius ſecundum ſe in aliquid, vel magis non repugnantia; Potentia autem eſt ordo ad actum. Poteſt igitur potentia eſſe ſine aptitudine, vt poſsibile eſt graui eſſe ſurſum, non tamen eſt aptum ibi eſſe; quia repugnat ei ſecundum ſe; & aptitudo eſt ſine potentia, vt cęcus eſt aptus natus ad videndum, &c. His notatis, dico, Scotus inquit 1. Prol. Q. Intellectus eſt potentia naturalis cuiuſcunquè formæ reſpectu; non dicit, eſt aptitudo, quæ aptitudo non eſt ad formam ſupernaturalem, vt 19. Quol. ait Scotus. Rurſus. Forma ſupernaturalis duobus modis animaduertitur, aut in ſe abſolutè, vel in comparatione ad potentiam paſſiuam, hoc modo non eſt ſupernaturalis, ſed naturalis, illo verò eſt ſupernaturalis. His ſtantibus, Scoti dictū in Quol. non ligat. Dicens enim ad formā ſupernatulem non eſt aptitudo; nihil in nos, cum hæc forma non ſit ſupernaturalis, vt dictum eſt. Rurſus. Quamuis ad formam ſupernaturalem aptitudo non ſit naturalis, tamen eſt ad eam potentia, quæ ad hoc ſufficit. Etiam. Duplex eſt aptitudo actiua ſcilicet, & paſſiua. In Quol. Scotus loquitur de aptitudine actiua, quæ ad formam ſupernaturalem haud eſt. De aptitudine autem paſſiua 1. Prol. Q. intelligit; quæ ad talem formam ſupernaturalem profectò eſt.

17.*Iacobus.* Scotus 1. Prol. Q. reſpondendo ad Q. ait. Supernaturalitas attenditur, quando receptiuum comparatur ad agens ſupernaturale, quod eſt naturale impreſſiuum alicuius formæ in paſſo. Oppoſitum huius habet

lib. 2.

lib. 2. d. 3. Q. 9. Scotus. Angelus habita ſpecie intelligibili Deitatis hanc naturaliter poteſt cognoſcere propoſitionem. Deus eſt Trinus, & Vnus, ergo hæc veritas non eſt ſupernaturalis, quia ab agente naturali ſcilicet Angelo docente; & lib. 2. d. 11. ait. Angelus poteſt docere hominem pro ſtatu iſto, & de articulis fidei; ſicquè non erit ſupernaturalitas ab agente tantum ſupernaturali, vt Scotus 1. Pro!. Q. vult.

Lucas. Reſp. Nonnulli è medio, hanc contradictionem auferrè volentes dixerunt. Quamuis Angelus præhabita Deitatis ſpecie intelligibili naturaliter cognoſcere poſſit hanc, Deus eſt Trinus, & Vnus, tamen non poteſt eam naturaliter docere; cum cauſare non valeat noſtro in intellectu immediatè, pro ſtatu iſto, aliquam cognitionem alicuius veritatis merè intellectualis. Hæc ſententia parum valet. Nam, etſi Angelus immediatè non poſſit docere, non poteſt negari, quin docere homines per aliqua ſigna non poſſit, vt lib. 2. docet Scotus. Ideo aliter reſp. Angelum naturali indagine, hanc non potuiſſe cognoſcere veritatem, Deus eſt Trinus, & Vnus, nec conſequenter eam docere potuiſſe. Rurſus. Etſi Angelus hanc, nempè Deus eſt Trinus, & Vnus, naturaliter cognoſceret, quod eam poſſit docere, proinde non ſequitur. Quoniam non eſt idē cauſare viatoris in intellectu reſpectu alicuius meræ veritatis intelligibilis certitudinem, & aliqua ſigna ordinatè docendi proponere; priori modo nō poteſt, licet poſteriori modo poſſit. Si quiſpiam dicat. Ad minus poterit Angelus cauſare certitudinem huius. Aliquod ens eſt Trinum, & Vnum. Nam cum deduci ex imaginabilibus poſſit, non eſt merè intelligibile. Reſp. Quamuis hanc docere poſſit Angelus hominem propoſitionem. Aliquod eſt Trinum, & Vnum, non poteſt tamen eiuſdem cauſare euidentiam. Nam eiuſdem veritatis euidentia ab aliqua purè intelligibili immediata dependet. Etiam. Poſito, at non admiſſo, Angelum illius veritatis certitudinem cauſare potuiſſe, non tamen rectè ſequitur aſſenſum reſpectu illius præbere potuiſſe, ſicquè igitur dictum Scoti 1. Prol. Q. intactum perſeuerat. Ad Scotum lib. 2. d. 3. Q. 9. dico. Angelus minime hanc naturaliter cognoſcit propoſitionem. Deus eſt Trinus, & Vnus, at eam reuelatione tantum habet. Scoti lib. 2. d. 11. aliud dictum, quomodo Angelus valeat hominem docere exponetur fortè 2. Q. Prologi.

18. *Iacobus.* Scotus 1. Prol. Q. ad M. dicit. Intellectus poſſibilis pro ſtatu iſto natus eſt moueri ad cognitionem ab intellectu agente,& phantaſmate. Oppoſitum huius d. 3. lib. 1. Q. 6. & vbiquè in doctrina ſua habet Scotus. Poſſibilem intellectum ab obiecto in ſe, aut ſpecie in intelligibili relucente moueri ad cognitionem.

Lucas. Reſp. Clarum eſt in via Scoti. Intellectum poſſibilem, quando ad cognitionem venit, ab obiecto in ſe, vel relucente in ſpecie moueri. Prima verò Prol. Q. cum ibi proprius locus non ſit talem materiem determinandi, communiter locutus eſt. Rurſus. Duplex eſt motio mediata ſcilicet, & immediata. Intellectus poſſibilis mediatè mouetur à phantaſmatibus, ita intellexit Scotus 1. Prol. vbi nihil aliud voluit, niſi pro ſtatu iſto, opus eſſe recurſum ad phantaſmata habere. Ideo dicendum erat phantaſmata intellectum poſſibilem mouiſſe, in eoquè partialiter tantum ſpeciem intelligibilem cauſaſſe. At ſi de motione immediata fiat ſermo, non mouetur iam poſſibilis intellectus à phantaſmate, ſed ab obiecto, vel in ſpecie intelligibili relucente; hunocquè in modum alibi loquitur Scotus.

Scotus

19. *Iacobus.* Scotus 1. Prol. Q. ad N. inquit. Eſſentia diuina eſt motiua noſtri intellectus. Hæcque verba ſunt eius. Nam obiectum natum cauſare notitiam huius, eſt eſſentia ſub propria ratione cognita; ipſa autem ſub tali ratione cognoſcibilis eſt obiectum nobis ſupernaturale. Oppoſitum huius 14. Quol. habet Scotus, vbi ait. Eſſentiam diuinam non poſſe eſſe intellectus creati obiectum motiuum.

Lucas. Reſp. Scotus 14. Quol. Q. Meritò vult, quod Eſſentia diuina non ſit intellectus creati motiuum naturale, cũ ſit hoc impoſsibile, cũ naturaliter ſolum intellectum diuinum moueat. Prima verò Prol. Q. vult Scotus, quod Eſſentia diuina intellectum noſtrum poſſit mouere liberè, contingenterquè non debet intelligi Eſſentia purè, at Eſſentia volens, vel Eſſentia cum voluntate; ſicquè ſedatur contradictio.

20. *Iacobus.* Scotus 1. Prol. Q. ad P. dicit. Intellectus agens eſt ſufficiens in anima agens reſpectu cognitionis; ſicquè videtur attribuere intellectui agenti actiuitatem reſpectu actus intelligendi, vel intellectionis. Oppoſitum huius 15. Q. Quol. & vbiquè in doctrina ſua habet Scotus, quod ſcilicet intellectus agens nullam habeat actiuitatem ad producendam intellectionem, at tantum concurrit ad producendam ſpeciem intelligibilem.

Lucas. Reſp. Cũ 1. Prol. Q. Non ſit locus talis materię determinandę, comuniter locutus eſt. Nam in via Scoti clariſsimum eſt, intellectum agentem ad intellectionem non concurrere. Rurſus. Intellectus agens dicitur cauſare intellectionem mediatè, partialiter tamen, in quantum is partialiter cauſat ſpeciem intelligibilem. Quod verò intellectus non ſit cauſa totalis, nec obiectum, ſed ambo ſint duæ cauſæ partiales, vnam totalem integrantes, alibi eſt dicendum.

21. *Iacobus.* Scotus 1. Prol. Q. ad Q. Videtur exponere illud 2. Phiſ. Natura eſt principium motus, & ſtatus, quod ſcilicet. Natura ipſa dicatur de principio intrinſeco. Oppoſitum huius habet Scotus lib. 2. d. 18. vbi ait. Natura, quę eſt principium motus, & quietis, dicitur de principio paſſiuo, quod ſcilicet habet naturalem inclinationem ad motum, & quietem, vt patet de graui, quod naturaliter inclinatur ad motum, & ad quietem reſpectu centri.

Lucas. Reſp. Quamuis. Natura definita ab Ariſt. 2. Phiſ. Principiũ motus, & quietis, intelligatur de principio paſsiuo; non negat tamen quin etiam de principio actiuo dici poſsit. Vel aliter. Scotus 1. Prol. Q. non intendit exponere Ariſt. ſed tamen intelligit loqui de principio actiuo naturali intrinſeco, quodcunquè ſit illud. Dicitur enim grauia non tantum dici entia naturalia, eo quod habeant naturalem inclinationem ad motum, & quietem, ſed etiam, quia habent principium intrinſecum ſui motus, & quietis, ſcilicet grauitatem ipſam. At accidit principio naturali paſsiuo habere principium ſui motus; patet de medico ſe ſanante.

22. *Iacobus.* Scotus 1. Prol. Q. ad Q. dicit. Etſi potentia paſsiua animæ noſtræ non poſsit completè reduci ad actum, niſi per agens ſupernaturale, poteſt tamen diſponi ad ipſum actum. Oppoſitum huius apparet ſæpe in doctrina Scoti, & præcipuè in materia de beatitudine. Nam anima, vel aliquod agens naturale non poteſt cauſare ad claram Dei viſionem aliquam diſpoſitionem.

Lucas. Reſp. Scotus 1. Prol. Q. Loquitur de diſpoſitione, quæ ex determination e

eſt

eſt agentis ſupernaturalis, quę diſpoſitio ab agente naturali cauſari non poteſt; quod patet à ſimili. Deus attritionem ordinauit eſſe medium ad gratiam, talis attritio poteſt cauſari ab anima ex puris naturalibus, vt patet à Scoto l. 4. d. 14. Q. 2. in ſumma, quando Scotus dicit. Diſpoſitio ad actum ſupernaturalem poteſt cauſari ab agente naturali tantum, habet intelligi de diſpoſitione, quæ ex ſola eſt determinatione agentis ſupernaturalis, cuius meminit Scotus lib. 1. d. 17. & lib. 4. d. 1. Q. 1. & alibi ſæpe.

23. *Iacobus.* Scotus 1. Prol. Q. ad V. ait. Riſibile, vt de homine ſciatur, requirit medium ſpeciale, at non exponit quid ſit tale medium ad paſſionem de ſubiecto moſtrandum. Verum lib. 2. d. 3. Q. 6. in ſolutione vltimi principalis. Et 7. Metaph. Q. 13. ſe determinat, & dicit, quod tale medium eſt diffinitio ſubiecti. Oppoſitum huius habet Ariſt. 2. Poſter. vbi ait. Ratio primi termini eſt medium, tunc inquam. Primus terminus eſt paſſio. Nam paſſio eſt maior extremitas, itaquè terminus primus.

Lucas. Reſp. Relictis aliorum opinionibus circa iſtam materiam de medio demoſtrationis, ſuſtinendum cenſeo cum Scoto diffinitionem ſubiecti medium eſſe. Non ob id reicienda eſt aliorum ſententia, & tribus modis tollenda eſt contradictio. Prior eſt. Diffinitio paſſionis poteſt eſſe medium demoſtrationis, at non potiſſimæ. Alter modus eſt; Ariſt. loquitur de primo termino quo ad naturam, & non quo ad prædicationem; per rationem, intellexit rationem primi termini quo ad naturam. Tertius modus eſt. Potuit Ariſt. intellexiſſe de priori termino quo ad prædicationem, at per eius rationem haud intellexiſſe eiuſdem diffinitionem, ſed eius cauſam in eſſe, & in cognoſci, quæ diffinitio eſt ſubiecti.

Queſt. ſecunda Prologi.

1. *Iacobus.* SCOTVS 2. Prol. Q. de primo, dicit. Solus Deus poteſt hominem docere. Oppoſitum huius habet Scotus lib. 2. vbi ait. Angelus poteſt verius docere hominem, quam faciat homo.

Lucas. Reſp. Angelum hominem docere duobus modis poteſt intelligi, immediatè, vel mediatè, immediatè non poteſt Angelus hominem docere ea, quæ ſunt fidei, niſi prius ipſe Angelus eas doceatur, & hoc modo loquitur Scotus 2. Prol. Q. Mediatè verò, & per ſigna, & ſine ſignis poteſt hominem docere, idquè in lib. 2. tenet.

2. *Iacobus.* Scotus 2. Prol. Q. per totum, ait. Veritas Sacræ Sripturæ auctoritate Communitatis probatur. Oppoſitum experientia docet. Nam probatio per vulgum ſæpe in errorem ducit, & veritas apud paucos reperitur, cum pauci ſint ſapientes. Plures ſunt Pagani, quam Chriſtiani, plures mali, quam boni. Multitudo clamabat contra Chriſtum. Crucifige, & paucę mulierculę lamentabantur. Communitas clamat contra adulteram, & ſolus Ieſus eam liberauit. Ergo non videtur, quod à Communitate veritas alicuius probari poſſit.

Lucas. Reſp. Scotus argumento deſumpto à Communitate non intendit veritatem

tem Sacræ Scripturę monſtrare, ſed perſuadere nititur. Etiam reſponderi poteſt per verba Scoti. Nempè, & maximè, quæ Communitas famoſa, & honeſta, cum maxima diligentia approbata recepit. Quod non contingit in exemplis datis.

3. *Iacobus.* Scotus 2. Prol. Q. via 7. ait. Fides noſtra vera eſt, atquè apparet ex longiſſima diuturnitate. Oppoſitum huius habet Ariſt. 7. Ethic. vbi inquit. Non eſt magis perfectum album, quod eſt diuturnum, quam vnius diei.

Lucas. Reſp. Ratio quam inducit Scotus 2. Prol. Q. quę ex doctrina Sancti Aug. lib. de vtilitate credendi trahitur, perſuaſio quædam eſt; non demoſtratio. Etiam Scotus, & Aug non probant fidei perfectionem ex eius ſtabilitate niſi à ſigno,& à poſteriori; ſicque aliud eſt ex ſtabilitate fidei veritatem, vt à ſigno arguere, aliud eſt ex ſtabilitate eius perfectionem deducere. Dices. In 7. via 2. Prol. Q. ad probandum noſtræ fidei longitudinem inducit Scotus dictum Gamalielis. Act. cap. 5. Si ex hominibus eſt conſilium hoc,aut opus, diſoluetur; ſi verò ex Deo eſt, non poteritis diſſoluere. ne forté, & videamini Deo repugnare. Hæc Gamalielis auctoritas ita poterit adduci, ad Maumeticam fidem firmandam, quæ ante tot ſecula initium ſumpſit, adhucquè viget. Reſp. Etſi Maumetica ſecta tamdiu duret, ob id non eſt bona. Nam à Ioan. in Apocal. ſub nomine beſtiæ, viſa eſt aſcendentis de terra, vtquè mala ab eo eſt prædicta, & licet multiplicetur apud prauos, nullo pacto erit bona. Et forté eam ſinit Deus in exercitium, ac fidelium ſtimulum, vt prophetauit Eſaias. Veh Aſſur virga furoris mei, & baculus ipſe eſt in manu eorum indignatio mea. Vel dic etiam cum Aug. in Pſal. 54. de duratione malorum. Omnis malus aut ideo viuit, vt corrigatur, aut ideo viuit, vt per illum bonus exerceatur.

4. *Iacobus.* Scotus 2. Prol. Q. ad D. loquens contra falſa miracula Antichriſti, ait. Sibi reſpondendum eſſe. Si tu es Deus, dic mihi, quid faciam, vel quid cogitabo, vel quid appetam pro tali hora. Oppoſitum huius ſic deducitur. Nam hoc experimentum citatum à Scoto hic, tutum non videtur, cum ipſe Scotus lib. 4. d. 10. Q. 8. reſp. ad principalia, habeat, quod Angelus, tam bonus, quam malus poteſt videre intrinſeca animę noſtræ, ſcilicet intellectiones, & omnes volitiones, niſi à Deo impediatur; ergo non benè aſſignauit Scotus experimentum fiendum.

Lucas. Reſp. Experimentum datum hic à Doctore, non datur abſolutè, tanquam tutum, ſed de congruo. At ſecurum experimentum poſuit ibidem, quando ait. Si tu es Deus fac me videre Eſſentiam nudè, & poſt viſionem memoriam certam habere viſionis, & certitudinem, quod illa fuit viſio Eſſentiæ diuinæ, & tunc credam tibi. Ab iſto itaque experimento non eſt recedendum.

5. *Iacobus.* Scotus 2. Prol. Q. ad E. in calce totius quæſtionis concedit, quod multi ſunt actus, de quibus ignoramus, an ſint peccata mortalia, vel né. Oppoſitum huius habet Scotus in 4. d. 30. Q. 1. vbi ſic dicit. Dico tamen breuiter, quod nullus eſt perplexus in lege diuina, etiam quocunque actu proprio poſito, dum tamen non maneat aliquod peccatum mortale per quod ſiat perplexus.

Lucas. Reſp. Scotus 2. Prol. Q. habet intelligi. Dato vt actus tales ſint dubij; ex hoc tamen via ſalutis non eſt dubia. Sufficiebat enim Doctori noſtro eo loci docere, quomodo Theologia ſit ſufficienter tradita; conceſſo

etiam,

etiam, quod illi actus eſſent dubij, eius tamen intentio non erat affirmare actus illos dubios eſſe, at ſolum intendebat id, nempè, non eſt dubia via ſalutis; & ſic doctrina Teologica ſufficienter, & ad plenum eſt tradita. An autem tales actus ſint dubij. Reſp. Non, vt enim habet Scotus in 4. loco citato. Nam de quocunque actu peritus, ac idoneus Theologus ſat iudicabit, an ſit contra legem dictum, aut factum, aut concupitum, & ita diſcernet, an ſit peccatum, vel non, &c.

Queſt. tertia Prologi.

1. *Iacobus.* SCOTVS 3. Prol. Q. de primo, ad A. dicit. Theologia ergo in ſe eſt talis cognitio, qualem notum eſt facere obiectum theologicum in intellectu ſibi proportionato. Oppoſitum huius habet Scotus. lib. 1. d. 3. Q. 8. vbi vult non tantum obiectum ad cognitionem concurrere, at etiam, & potentiam.

Lucas. Reſp. Quamuis Scotus 3. Prol. Q. cauſam cognitionis videatur ſubiecto aſcribere, tamen non debet intelligi, quod ſit totalis cauſa. Nam obiectum theologicum ad intellectum creatum comparatum, eſt cauſa cognitionis principalis, ſed non totalis, vt docet Scotus 8. d. 1. Etiam poſſet dici, quod cum 3. Prol. Q. non ſit locus determinandi, an ab obiecto, vel potentia ſit cognitio, Scotus communiter ſit locutus, ſecundum illam ſententiam tenentem, intellectum creatum, reſpectu cogitionis intuitiuæ Dei, ſolum ſe paſſiuè gerere. Addas, quod Scotus 3. Prol. Q. loquitur de actione ſpectante ad tale obiectum, at non loquitur de actione totali ad cognitionem pertinente. Nota; cognitio intuitiua obiecti diuini, vt eſt in intellectu creato, & diuino, duobus modis differunt. Prior eſt, quæ eſt in intellectu diuino, naturaliter cauſatur ab ipſa Eſſentia neceſſario mouente intellectum diuinnm. Quæ autem eſt in intellectu creato, liberè, ac contingenter à voluntate diuina cauſatur. Altera eſt, prima cognitio, ſcilicet, diuini intellectus eſt comprehenſiua; cognitio autem intuitiua intellectus creati eſt tantum apprehenſiua.

2. *Iacobus.* Scotus 3. Prol. Q. de ſecundo, ad A. diffiniens ſubiectum, vnam eiuſdem conditionem ponit, quę eſt, virtualiter continere. Oppoſitum huius habet Q. 3. Vniuerſalium, vbi tres ponit conditiones. Prior eſt, præſupponitur quid, & quia. Altera eſt, vt paſſiones demonſtrentur de ſubiecto. Tertia eſt, vt omnia ad ſubiectum reducantur.

Lucas. Reſp. Conditiones, quæ à Scoto Q. 3. Vniuerſalium nominantur, & aliæ, quæ in Reportatis habentur, ſcilicet, vt primum occurrens intellectui in ſcientia, vt poſſit eſſe ſubiectum principiorum illius ſcientiæ; conueniunt omnibus ſubiectis indifferenter, at hæc conditio. Continere virtualiter, hic poſita à Scoto conuenit tantum ſubiecto, quando ſubiectum eſt ſpecies ſpecialiſſima, etiam quando ponit Scotus 3. Prol. Q. Subiectum continere virtualiter, ad iſtam conditionem omnes alię neceſſario ſequuntur. Bene enim ſequitur. Continet virtualiter, ergo omnia alia propter ipſum conſiderantur, ergo eſt id, quod occurit primo notum, ergo eſt dignificatiuum, &c. Fortè dubitabis. Ariſt. 1.

Poſter. deſcribens conditiones ſubiecti, continentiam virtualem non aſsignat, quare Scotus eam ponit? Reſp. De ſubiecto, quod eſt vnum genere, mentionem facit Ariſt. Doctor autem ſubtilis 3. Prol. Q. de ſubiecto ſpecie ſpecialiſsima meminit.

3. *Iacobus.* Scotus 3. Prol. Q. de ſecundo, ad A. ait. Et nihil aliud continet niſi per rationem eius. Oppoſitum pluribus locis notat. Nam voluntas diuina poteſt cauſare immediatè notitiam in intellectu, quam poteſt cauſare obiectum. Ergo falsò dicitur. Nihil aliud continet, niſi per rationem eius.

Lucas. Reſp. Certè voluntas diuina notitiam concluſionis ſine præmiſsis poteſt cauſare, ſed non poteſt cauſare immediatè notitiam euidentem, ſicut facit ſubiectum. Rurſus. Scotus 3. Prol. Q. hic loquitur naturaliter, ſecluſo omni ſpeciali influxu primæ cauſæ, vel quod ſemper cognoſcitur per rationem eius, quia niſi ratio ſubiecti reluceret in prima cauſa, Deus non poſſet cognoſcere virtute Eſſentiæ paſſionem illius ſubiecti.

4. *Iacobus.* Scotus 3. Prol. Q. ad A. dicit. Non enim ſequitur, ſi commune poteſt cauſare habitum, quod ſpeciale poſsit, & è conuerſo. Oppoſitum huius habetur ſæpe in doctrina Scoti. Nam quodlibet inferius eſt præſtantius ſuo ſuperiori, ergo poterit cauſare quicquid cauſat ſuperius.

Lucas. Reſp. Inferius continere veritates ſuperioris duobus modis intelligitur, mediatè, vel immediatè; mediatè continet, & cauſat, immediatè, non. Amplius. Scotus 3. Prol. Q. non negat inferius veritates ſuperioris continere, cum perfectius ſit ſuo ſuperiori, at negat inferius haud potuiſſe veritatem illam cauſare, quam ſuperius cauſat, vt effectus adequatus, ideſt, vt illa veritas ſuperioris ſit effectus adequatus inferioris. Quod non ſit effectus adequatus, patet. Nam poteſt cauſare illam, & aliam præſtantiorem, ideſt ſuam, quæ præſtantior eſt illa.

5. *Iacobus.* Scotus 3. Prol. Q. de tertio, ad E. diuidit Theologiam in neceſſariam, & contingentem, & addit. Eſt diuiſio totius integralis in ſuas partes integrales. Nam dicit. Primæ partes integrales Theologiæ ſunt duæ, ſcilicet, veritates neceſſariæ, & veritates contingentes. Hę duæ partes ab Athanaſio in ſymbolo exponuntur. Nam poſt myſterium Trinitatis deſcribit propoſitiones contingentes, ſcilicet. Sed neceſſarium eſt ad æternam ſalutem, vt Incar. q. d. &c. Oppoſitum huius diuiſionis in doctrina Scoti claret; & ferè omnes Philoſophi firmant. Nam totum integrale non prædicatur de ſuis partibus integralibus, at Theologia prædicatur de Theologia neceſſariorum, & contingentium, ergo non erit totum integrale, conſequenterquè, vt totum integrale haud ſecabitur.

Lucas. Reſp. Teologia duobus modis capi poteſt. Prior eſt, pro veritate theologica cognita, ſicquè partitur in neceſſariam,& contingentem, eſtquè diuiſio totius integralis in ſuas partes. Alter eſt, quando capitur pro habitu Theologiæ, qui eſt inclinans quempiam ad aſſentiendum veritatibus theologicis, ſicquè quando diuiditur in neceſſariam, & contingentem, eſt diuiſio totius in modo, in ſuas partes in modo: huncquè ſenſum facit. Habitus theologicus diuiditur in habitum, quo aſſentitur veritatibus theologicis contingentibus; & erit vna vnitate generis remoti; ſi hæc ſententia tibi non ſatisfaciat, recurras ad id quod habet Scotus lib. 2. d. 3. Q. 4. & lib. 3. d. 2. Q. 1. vbi docet, quomodo

in

in diuiſione totius homogenei concurrit diuiſio totius vniuerſalis, cum diuiſione totius integralis. Iſtaquè aduertens ad propoſitum hic applicabis.

6. *Iacobus.* Scotus 3. Prol. Q. de tertio, ad D. dicit. Omnes illæ veritates in quibus Deus comparatur ad extra, ſunt contingentes. Oppoſitum huius habet Scotus lib. 1. d. 35. vbi ait. Deum intelligere lapidem, eſſe perfectionem ſimpliciter, & neceſſario intelligere lapidem, in hac tamen veritate Deus comparatur ad extra.

Lucas. Reſp. Veritates prædicari de Deo ad extra dupliciter intelligitur, vel relatione requirente exiſtentiam extremorum pro aliqua parte temporis, vt Deus creat animam, Verbum eſt incarnatum, &c. Nam omnes tales exigunt exiſtentiam temporis determinatam, & ſic ſunt ſimpliciter contingentes, & de talibus loquitur Scotus 3. Prol. Q. vel relatione nō requirente extremorū exiſtentiam, ſed tantū apprehenſionem ſimplicium, pro aliqua parte temporis determinata, ſicut, Deus intelligit lapidem, &c. Quę tantum eſſe requirit obiectiuum; de his non loquitur Scotus in Prol. & ſunt omnes neceſſariæ.

7. *Iacobus.* Scotus 3. Prol. Q. ex dictis, ad F. dicit. Nullus effectus oſtendit Deum Trinum, quod etiam Scotus 1. Prol. Q. ait. Oppoſitum huius habet Scotus lib. 1. d. 3. Q. 1. vbi oſtendit ex creaturis Deum cognoſci.

Lucas. Reſp. Effectus ducunt nos in cognitionem Dei, quantum ad generalia, & etiam quantum ad conceptus proprios habitos ex communibus, ſicq; loquitur Scotus 3. d. 1. Verum, quantum ad conceptus proprios, qui tantum ſciuntur, & habentur ex fide, nempè, vt ſit Trinus, & Vnus, Creator, contingenter agat. Effectus magis ducunt nos in oppoſitum, & errorem, vt docet Scotus 1. & 3. Prol. Q.

8. *Iacobus.* Scotus 3. Prol. Q. ex dictis, ad F. Nihil continet veritates theologicas, vt effectus, demoſtratione quia. Nam nullus effectus demoſtrat Deum Trinum, quod eſt potiſſima veritas theologica. Oppoſitum huius deducitur ex Scoto lib. 2. d. 3. Q. 9. vbi habet. Deus poteſt cauſare ſpeciem in intellectu Angeli diſtinctè repręſentantem Eſſentiam diuinam, cuius virtute, Angelus poterit in ſe diſtinctam notitiam cauſare de Eſſentia diuina. Itaquè illa ſpecies, quamuis ſit effectus Dei, poteſt tamen virtualiter cauſare notitiam de Deo.

Lucas. Reſp. Scotus 3. Prol. Q. Vult non poſſe dari aliquod cauſatum naturaliter, quod ſic contineat virtualiter; ſpecies autem illa foret cauſata ſupernaturaliter: at hæc ſententia nulla eſt. Nam Scotus lib. 3. d. 14. Q. 1. & alibi, ait. Cæcus illuminatus ſupernaturaliter, videret naturaliter, ita proportione de hac ſpecie diceretur. Ex quo aliter reſpondeo. Voluntas diuina cauſando talem ſpeciem ſuplet vicem obiecti theologici, quia niſi talis ſpecies cauſaretur, eſſet impoſſibile intellectum Angeli naturaliter Deum diſtinctè cognoſcere. Verum hæc ſolutio patitur; quoniam cauſata tali ſpecie, & concurrente ſolum voluntate diuina ſecundum influxum generalem, adhuc Angelus cognoſceret Deum diſtinctè. Hinc tandem videor mihi reſpondendum. Species illa non repręſentat, quatenus illius eſſentiæ eſt effectus, ſed in quantum eſt immago illius obiecti diuini. Hęc reſponſio trahitur à Scoto 2. Metaph. Q. 3. dicente. Species lapidis repreſentat lapidem, at vt effectus, magis repręſentat Deum, quam lapidem.

9. *Iacobus.* Scotus 3. Prol. Q. ex dictis, ad F. In nulla ſcientia traditur ita diſtincta cognitio

cognitio de non per ſe ſubiecto, ſicut de per ſe eius ſubiecto; tunc enim non eſſet ratio, qualiter illud ſubiectum eſſet magis eius ſubiectum quam aliud. Oppoſitum habet Scotus lib. 1. d. 2. Q. de Propoſitione per ſe nota, vbi inquit. Methaphiſicus perfectius cognoſcit lineam, quam Geometra. Geometra enim noſcit. Quod linea eſt longitudo, ſed non concipit ad quod genus diſtinctè pertineat, vel ſit abſoluta, vel ſit reſpectiua, ſicut facit Methaphiſicus. Si ergo Methaphiſicus perfectius cognoſcit lineam, quam Geometra. Itaque aliquod verius cognoſcitur vbi non eſt ſubiectum, quam vbi eſt ſubiectum.

Lucas. Reſp. Scoti dictum 3. Prol. Q. verum eſt, vbi fit comparatio vnius ſcientiæ particularis ad aliam particularem, at non verificatur, vbi eſt comparatio ſcientię particularis ad ſcientiam in communi, ad quam ſtat reſolutio omnium particularium ſcientiarum; ſicquè videtur tenere Scotus d. 1. Idquè etiam accidit in potentijs, quandoquidem vna potentia diſparata non videat obiectum alterius, at ſuperior potentia diſtinctius videt obiectum potentiæ inferioris, quam faciat ipſa potentia inferior.

10. Iacobus. Scotus 3. Prol. Q. ex dictis, ad G. dicit. Cognitio quod quid eſt, eſt perfectiſſima. Oppoſitum habet Scotus lib. 3. d. 23. citans Ariſt. lib. 11. de animalibus, dicentem. Nobilius eſt parum attingere de nobilioribus obiectis, quam multa de alijs. Ex quo ſequitur. Perfectius eſt cognoſcere Deum ſub ratione attributali, quam cognoſcere hominem eſſe animal, ergo, cognitio eius quod quid eſt, non eſt perfectiſſima, vt dicit Scotus 3. Prol. Q. & Ariſtot. 7. Methaph. t. 4.

Lucas. Reſp. Scoti dictum 3. Prol. Q. quod eſt Ariſt. 7. Methaph. t. 4. veritatem habet, vbi cętera ſunt paria, comparando vnius quiditatem, ad non quiditatem eiuſdem, id eſt, ad aliud prędicatum, quod non ſit quiditatiuum, ſeu per reſpectu eiuſdem. Nam perfectius eſt cognoſcere, Deus eſt ens, quam Deus eſt bonus. Si verò comparetur vnum prædicatum quidditatiuum, vt homo eſt animal, ad alterum prædicatum alterius generis attributale, vt Deus eſt bonus; tunc Scoti deductio non valet, cum cætera non ſint paria.

11. Iacobus. Scotus 3. Prol. Q. ad H. dicit. Infinitas, (loquendo de attributis) in eſt eiſdem propter identitatem eorum cum eſſentia. Oppoſitum huius habetur ſæpè in doctrina Scoti, nempe attributum ex ſe formaliter infinitudinem habere.

Lucas. Reſp. Infinitum tribus modis dicitur. Prior eſt à ſe, per ſe, & ex ſe, ſicq; ſola Eſſentia diuina eſt infinita. Alter eſt, infinitum dicitur ex ſe, & per ſe, at non à ſe, & ſic attributa ſunt infinita. Tertius modus eſt, infinitum non dicitur à ſe, nec ex ſe, nec per ſe, ſed tantum realiter, & ita, relationes originis ſunt infinitę. His poſitis. Scotus dum dicit 3. Prol. Q. Infinitatem ineſſe attributis ex eſſentia, ibi ſe declarat dicens, ſicut ex radice fundamento omnis perfectionis intrinſecæ, formaliter verò attributum habet infinitatem formaliter diſtinctam, ab infinitate Eſſentiæ. Nota, in via Scoti, attributa ſunt infinita intenſiuè formaliter, non autem ſunt infinita extenſiuè, vt docet Scotus in 4. vel loquitur, vt communiter in Prol. Q. 3. alibi ſecundum propriam opinionem.

12. Iacobus. Scotus 3. Prol. Q. ad I. dicit. Nulla ſcientia eſt de ente per accidens, quod eſt dictum Ariſtot. 6. Methaph. Oppoſitum huius habet Scotus 3. Prol. Q. & alibi, vbi ponit pro ſubiecto ſcientiæ ſubalternatæ, aliquod per accidens,

accidens, vt in Perſpectiua, lineam viſualem, in Muſica, numerum ſonorum, ergo, de ente per accidens videtur eſſe ſcientia.

Lucas. Reſp. Ioannes, à vigerio ſuper 3. Prol. Q. dicit. De ente per accidens eſſe ſcientiam in ſubalternata ſcientia, non autem in prima ſcientia, & ſubalternante, additquè, ſic Ariſt. habet intelligi. Verum hæc reſp. deſtruit Ariſtot. Nam 6. Methaph. excludit ens per accidens quocunquè modo, & in quacunquè ſcientia de illo non poteſt haberi notitia. Ex quo aliter reſpondeo. Numerus ſonorus, ſeu Linea viſualis duobus modis poſſunt animaduerti. Vno modo formaliter, ſicquè ſunt entia per accidens, nec ita ſunt ſubiecta alicuius ſcientiæ. Altero modo circumloquutiuè, ſcilicet, per ea aliquod ſubiectum nobis innominatum curcumloquendo, & tali pacto ſunt entia per ſe, & de eis eſt ſcientia. Dices Scotus 3. Prol. Q. ait. Scientia ſubalternata eſt de aliquo ente per accidens. Hęc ſunt verba eius. Ideo ſi ſcientia ſubalternata ſit de aliquo vno per accidens, preſupponit duas tractantes de partibus illius totius ſeparatim. Dico, Scotus 3. Prol. Q. Loquitur conditionaliter, vt patet, idquè valde ponderabis. Nam eo loci multi aſſerunt de mente Scoti, quod tamen ipſe ſub conditione dixit.

13. *Iacobus.* Scotus 3. Prol. Q. ad M. dicit. Perfectiſſimus conceptus, quem poſſumus habere de Deo naturaliter eſt conceptus entis infiniti. Quod quidem etiam firmat Scotus lib. 1. d. 3. Q. 1. Oppoſitum huius apparet ex doctrina Scoti. Nam pluribus in locis ait. Conceptus quidditatiuus eſt prior, & perfectior, nõ quidditatiuo, ergo conceptus infinitatis non eſt prior, & perfectior. Nam vita intellectualis eſt intimor Deo infinitate; exiſtentia actualis eſt intimior infinitate, ergo, &c.

Lucas. Reſp. Scotus 3. Prol. Q. non loquitur, nec comparationem facit de incomplexis conceptibus, at loquitur de complexis, verbi gratia. Huiuſcemodi conceptus complexos comparat ad inuicem, ſcilicet. Ens bonũ, ens verum, ens intellectiuum, ens infinitum, in illo vltimo exemplo, eſt tantum vnio entis, & modi, non formalitatum, ſicut in alijs exemplis. Ideo vltimus iſte conceptus eſt ſimplicior alijs, cum tantum vna ſit formalitas cum modo, in alijs autem ſunt duæ formalitates. Etſi alij conceptus igitur ſint perfectiores, copulatiuè tamen non ſunt perfectiores, & ſimpliciores ſimul. Ideo Scotus non vult hunc conceptum eſſe perfectiorem, quem poſſumus habere, at cum ſit perfectior, & ſimplicior ad haſce partes ſimul ſumptas excedit alios conceptus. Hac ſententia benè animaduerſa poterunt reſolui fermè omnia argumenta pro hac materia. Amplius. Conceptus entis infiniti, eſt perfectior omnibus alijs quoad theologalia perſuadendum. Vnde ex infinitate Dei admiſſa, magis perſuadebo Trinitatem, & omnipotentiam in Diuinis, quam ex quocunque alio conceptu. Rurſus. Duplex eſt perfectio, altera ſumpta à natura, & altera à modo. Conceptus dicti de Deo ante infinitatem, ſunt perfectiores perfectione deſumpta à natura, quæ fundamentaliter eſt infinita. Conceptus autem infinitatis eſt perfectior perfectione deſumpta à modo. Nam tali perfectione modali, alij conceptus non ſunt perfecti, niſi per hunc. Dices Scotus lib. 1. d. 8. Q. 3. inquit. Perfectiſſimus conceptus, qui de Deo poſſit haberi, eſt conceptus boni, itaquè non infiniti. Dico Scotus 8. 1. comaparat tantum bonum ad alios conceptus attributales, & non ad infinitatem, quæ non eſt attributum. Etiam. Scotus 8. 1. loquitur de conceptibus naturalibus,

libus, quos habemus de Deo conceſſis ab omnibus, de quorum numero eſt bonitas. Nam nullus Philoſophorum dubitauit Deum eſſe bonum, ſed multi dubitauerunt de infinitate.

14.*Iacobus.* Scotus 3. Prol. Q. ad L. dicit. Oportet dari obiectum primum (theologiæ noſtræ) infinitum ens primum notum, de quo noto immediatè cognoſcantur primę veritates. Oppoſitum huius habet Scotus 1. Quol. Q. vbi inquit. Prima veritas de Deo eſt hæc. Eſſentia diuina eſt, & tamen hæc veritas pręſupponitur illi primo noto, nempe ens infinitum.

Lucas. Reſp. Scotus dum dicit. Ens infinitum eſt de quo tanquam primum notum immediatè cognoſcuntur veritates: dictum eius eſt verum reſpectu conceptuum complexorum, qui naturaliter Deo conueniunt. Prima autem Quol. loquitur de incomplexis, vt ibi patet.

15.*Iacobus.* Scotus 3. Prol. Q. ad M. dicit. Ens infinitum neutram prędictarum conditionum habet, quia non continet habitum noſtrum virtualiter in ſe, nec multo magis (vt nobis notum) continet ipſum habitum. Oppoſitum huius habet eadenmet Q. 3. Prol. vbi ait. Ens infinitum, non eſt primum ſubiectum dans euidentiam, ſed ſubiectum primum continens omnes veritates, natum dare euidentiam, ſi ipſum cognoſceretur, quibus in verbis alteram conditionem enti infinito Scotus concedit.

Lucas. Reſp. Primum ſubiectum, quamuis contineat in ſe omnes veritates virtualiter, tamen in comparatione ad nos nihil continet. Hæc ſententia parum valet. Nam ſic etiam habet ſecundam conditionem, quæ eſt dare euidentiam, quoniam ſi non dat euidentiam in comparatione ad noſtrum intellectum, in ſe tamen habet, vnde poſſit dari, ſeu continere talem euidentiam, quod nihil eſt. Ideo aliter reſp. Scotus 3. Prol. Q. inferius loquitur de verò ſubiecto, ſcilicet de Deo, quia dicit idem ſubiectum Theologiæ noſtræ, & in ſe. Modicum autem ſuperius dum dixit, quod neutram conditionem habeat, non loquitur de Deo ſubiecto, verum de illo primo noto, nempè, ente infinito, & ſic nulla eſt contradictio.

16.*Iacobus.* Scotus 3. Prol. Q. ad N. dicit. Inter propoſitiones contingentes dari ordinem, & colligitur eo in loco, ex littera eius. Nam Eſſentiam diuinam eſſe ſubiectum Theologiæ contingentium, colligitur inquam. Deus vult aliud à ſe, eſt prima contingens, ad quam pendent omnes alię, quia Deus eſt illud primum ſubiectum, cui primo ineſt prædicatum, primæ contingentis. Oppoſitum huius habet Scotus d. 8. 1. Q. 5. reſpondendo ad argumenta Philoſophorum, vbi ſic ait. Etſi quæras, quare igitur volutas diuina, eſt magis determinata ad vnu contradictoriorum, quam ad aliud. Reſp. Indiſciplinati eſt omnium quærere cauſas, & demonſtrationem, ſecundum Ariſt. 4. Metaphy. Principij enim non eſt demonſtratio. Immediatum autem primum eſt, voluntatem velle hoc, ita quod non eſt aliqua cauſa media inter illa, ſicut immediatum eſt, calorem eſſe calefactiuum, licet hoc ſit natura illud, ibi autem liberum, & ideo huius, quare voluntas diuina vult hoc, nulla eſt cauſa, niſi quia voluntas eſt voluntas, quia nulla eſt cauſa prior. Hæc Scotus.

Lucas. Reſp. Ioannes à Vigerio ſuper 3. Q. Prol. ex hac auctoritate, 8. d. 1. male intellecta, tenet, voluntas vult, ſimpliciter eſt prima veritas contingens. Hoc eſt falſum, quoniam tunc Eſſentia non eſſet ſubiectum contingentium, quia ſibi primo non competeret primum prædicatum

primæ

primæ contingentis. Franciſcus à Lich. & Paulus ſcriptor animaduertentes ſuper 3. Prol. Q. verba illa Scoti, vel prædicata plurium primarum contingentium (ſi plures ſunt primæ) dicunt. Nulla abſolutè eſt prima propoſitio contingens. Verum quacumquè in materia datur prima contingens propoſitio, hac in materia nempè. Deus vult Franciſcum ſaluari. Ea eſt prima contingens, ab illaquè pendent omnes hæ. Deus vult ipſum mereri. Religioſum eſſe, &c. In Incarnationis materia, hæc eſt prima. Deus vult Verbum incarnari, ab hacq; Verbum erit ambulans, Verberabitur, flagellabitur, morietur, &c. Alij verò putant. Deus vult aliud à ſe, eſſe primam contingentem, ad quam pendent omnes aliæ. Sicq; videtur velle Scotus, vt ſuperius dictum eſt. Ad Scotum autem 8. d. 1. lib. Reſp. Voluntas eſt primum quo reſpectu velle, at non primum quod, ideo Franciſcus ait. Deus vult, eſt prima contingens. Rurſus 8. d. lib. 1. Non eſt proprius locus diſputandi, quæ ſit prior iſtarum, Deus vult, an voluntas vult. Eo enim loco ſufficit Scoto, vt altera harum ſit prior, ideſt, non habeat cauſam priorem, quod inſinuat Scotus vltimis verbis illius auctoritatis, ſi benè aduertatis. Relinquitur igitur. Deus vult, abſolutè eſſe cõtingentium primam veritatem, ex illis verbi Scoti 3. Prol. Q. Eſſentia diuina eſt primum ſubiectum Theologiæ contingentium.

17. *Iacobus.* Scotus 3. Prol. Q. ad N. dicit. Totius igitur Theologiæ in ſe, Dei, & beatorum, primum ſubiectum eſt Eſſentia diuina vt hæc, cuius viſio à beatis eſt, ſicut in Methaph. cognitio entis. Oppoſitum huius deducitur ex quam plurimis locis doctrinæ Scoti. Nam habet in 3. d. 1. & in Metphaphiſica, & in Logica, & alibi, cognitionem entis eſſe naturalem, ergo viſio beatorum in patria erit naturalis, quod eſt falſum.

Lucas. Reſp. Dictum Scoti 3. Prol. Q. Cuius viſio à beatis eſt, ſicut in Methaph. cognitio entis, ita exponitur. Veluti Methaph. cognitio terminatur ad ens, tanquam ad terminum incomplexum, ſic viſio Deitatis beatorum, terminatur ad Eſſentiam diuinam, tamquam ad incomplexum. Ideoquè beata viſio non eſt Theologia, ſed eſt quaſi perfecta incomplexa apprehenſio ſubiecti præcedens naturaliter ſcientiam Theologiæ. Dices. Si viſio Eſſentiæ à beatis non eſt Theologia, ergo Theologia noſtra erit præſtantior viſione beatorum, patet. Nam viſio beatorum eſt quaſi perfecta incomplexa, & Theologia noſtra complexa. Complexa autem eſt perfectior incomplexa. Reſp. Comparatio debet fieri in vniuoco, ſicquè debet fieri comparatio notitiæ complexæ, ad complexam, modo ſit ad incomplexam. Rurſus. Beati habent ambas notitias, ſcilicet complexam, & incomplexam, & quamuis notitia incomplexa excederetur, non tamen totalis viſio beatifica, quæ ambas includit, nec Scotus dicit, illa viſio incomplexa eſt totalis viſio beatifica.

18. *Iacobus.* Scotus 3. Prol. Q. ad N. ait. Theologia contingentium quadrupliciter dicitur, in ſe, in intellectu diuino, in intellectu beato, & in nobis. Oppoſitum huius habet Scotus eamet 3. Prol. Q. vbi colligitur, quod Theologia de Deo, & Theologia in ſe conuertuntur. Quod paulo inferius declarat ibidem, dicens. Theologia in ſe eſt de his, quæ ſoli Deo ſunt naturaliter cognita.

Lucas. Reſp. Theologia in ſe, & Theologia in intellectu diuino conuertuntur, idquè verum eſt in veritatibus neceſſarijs, at de contingentibus non verificatur, & ſic euaneſcit contradictio.

19. *Iacobus.* Scotus 3. Prol. Q. ad O. dicit. Ad nullam ſcientiam per ſe pertinet aliqua veritas, niſi ſit de ſubiecto primo, vel de parte eius ſubiectiua, vel integrali, vel eſſentiali, vel de aliquo ad ſubiectum eſſentialiter attributo. Quibus in verbis quinquè conditiones ſubiecti deſignantur. Oppoſitum huius habet 3. Q. Vniuerſalium, Scotus, vbi tres tantum conditiones aſſignantur.

Lucas. Reſp. Scotus non intelligit 3. Prol. Q. Subiectum ſcientiæ habere debuiſſe omnes illas conditiones ibi enumeratas. Nam ſunt multa ſubiecta, partes ſubiectiuas, & integrales non habentia, vt eſt Deus. Aliquod ſubiectum non habet partes eſſentiales, vt ens. Ex quo patet Scotum non voluiſſe illa quinquè ſcientiam omnem debere conſiderare. Idquè benè notato. Nam principiò demonſtrat paſſionem de primo ſubiecto, ſcilicet, mobilitatem de corpore mobili. Secundo conſiderat de partibus eſſentialibus, materia nimirum, & forma. Tertio de partibus integralibus, de ſenſibus nempè, alijſquè corporis membris. Quarto de partibus ſubiectiuis, elementis ſcilicet, & mixtis. Quinto de multis habentibus habitudinem eſſentialem ad corpus, vt motus, generatio, alteratio, &c.

20. *Iacobus.* Scotus 3. Prol. Q. ad O. inquit. Corpus humanum eſt ſubiectum in Medicina, ſanitaſque eiuſdem eſt paſſio. Oppoſitum huius tenet Matheus Curtius, omneſquè Medici moderni ſanitatem ſubiectum in Medicina aſſerentes.

Lucas. Reſp. Quid ad me de Curtio? & de alijs medicis? Amplius. Scotus 3. Prol. Q. loquitur exemplariter, non autem aſſertiuè, vt patet intuenti verba Scoti, quæ ſunt. Videtur igitur dicendum, quod ſicut, ſi in Medicina corpus humanum ſit ſubiectum primum, &c.

21. *Iacobus.* Scotus 3. Prol. Q. ad O. Loquendo de corpore humano ſubiecto Medicinę vult, quod contineat virtualiter aliquas paſſiones de corpore hominis ſanguineo ſano. Oppoſitum cuius patet ſæpe in doctrina Scoti. Nam nullum ſuperius continet virtualiter paſſiones inferiorum, ergo corpus non poterit continere virtualiter paſſiones corporis humani ſanguinei, &c.

Lucas. Reſp. Corpus humanum cum ſit entitas ſpecifica, ſibi non ſunt inferiora, corpus ſanguineum, corpus collericum, corpus malenconicum, &c. At reſpectu illius ſe habent, ſicut pars in modo ad totum in modo. Ita patet ad dubium.

22. *Iacobus.* Scotus 3. Prol. Q. ad Q. dicit. Incarnatum eſſe dicitur de Verbo, non præintellecta humanitate in ipſo, vt in ſubiecto. Oppoſitum huius nititur inducere Ioan. à Vigerio ex Scoto lib. 1. d. 35. & lib. 2. d. 1. Q. 2. Primò eſt abſolutum in cauſa. Secundo in ſigno eſt abſolutū in effectu. Tertio ſequitur reſpectus in effectu. In quarto ſigno ſequitur reſpectus in cauſa. Cū ergo abſolutum precedat reſpectum. Quomodo Scotus 3. Prol. Q. inquit. Incarnatio intelligitur, non præintellecta humanitate?

Lucas. Reſp. Franciſcus à Lych. huic difficultati ſat volens facere, vnum modum dicendi tangit, quem Scotus lib. 3. d. 2. Q. 2. habet, nimirum, Verbum prius aſſumpſit carnem, & deinde naturam completam. Hoc admiſſo, ſequitur, quod Verbum incarnatum, ideſt, carnem aſſumpſit, non intellecta natura humana. At modus iſte non placet, immo à Doctore ſubtili repellitur, vt videre eſt à Scoto lib. 3. vt ſupra. Hinc aliam reſp. Lych. affert, ſcilicet, prius Verbum fuit incarnatum, & ter-

terminauit

minauit vnionem, quam natura denominatiuè poſſet de Deo prædicari. Id enim verum eſt. An autem ſic Scotus 3. Prol. Q. intellexerit, neſcio. Ioannes à Vigerio reſp. aliter in 2. 5. Primo eſt abſolutum in cauſa, &c. Non ſemper eſſe verum, at poſſe oppoſitum euenire. At hoc nullo pacto conſiſtere poteſt, qoniam tunc reſpectus eſſet ſine fundamento, quod implicat contradictionem; eſtquè contra Ariſt. Aug. & Scotum, affirmantes, omne relatiuum eſſe aliud excepta relatione. Reſp. autem clara erit ex littera Scoti 3. Prol. Q. Scotus enim eo loci habet, Paſſum, Natum, Crucifixum, Mortuum, & alia ſimilia, inſunt Verbo ratione humanitatis; eſtquè humanitas ratio, vt illa prædicata inſint illi ſubiecto. Id enim ibi intendit Scotus, ſi literam 3. Prol. Q. attendas.

23. *Iacobus.* Scotus 3. Prol. Q. ad Q. Gloſando dictum Boetij 1. de Trinitate cap. 3. forma ſimplex ſubiectum eſſe non poteſt, inquit. Deus non poteſt eſſe ſubiectum alicuius accidentis. Oppoſitum huius habet Scotus lib. 1. d. 39. reſp. ad 2. argumentum principale Q. 4. vbi dicit. Deum poſſe recipere accidentia.

Lucas. Reſp. Accidentia duplici modo percipere poſſumus, vel, vt ſunt realia, vel intentionalia. Deus enim, vt ait Scotus 3. Prol. Q. non recipit accidentia realia, at benè poteſt eſſe ſubiectum accidentium intentionalium. Nam cum ſit forma ſimplex, aliquod perfectibile nequit recipere; quomodo autem accidentia intentionalia recipere valeat, conſulè Mauritium in illa Q. An vniuerſale ſit in re, vt in ſubiecto. Expende. Non recipere accidentia Deo conuenit ob maximam eius perfectionem. Vltimo etiam prædicamento. Vbi, vel. Quando, conuenit ob ſui maximam imperfectionem. *Dices*. Angelus eſt forma, & tamen recipit accidentia, ergo. Reſp. Boetij dictum intelligitur de forma illa, quæ puriſſimus eſt actus, cuiuſmodi non eſt Angelus.

24. *Iacobus.* Scotus 3. Prol. Q. ad R. dicit. Subiectum ſcientiæ ſecundum veritatem non pertinet ad genus cauſæ materialis, ſed ad genus cauſæ efficientis. Oppoſitum huius habet Scotus lib. 3. d. 1. Q. 1. vbi ait. Accidens enim ad ſubſtantiam, ſiuè ad ſubiectum ſuum duplicem habet habitudinem, ſcilicet, informantis ad informatum, & ita neceſſariò includit imperfectionem in ſubiecto informato, eo quod potentialitatem habet reſpectu actus ſecundum quid, ſcilicet, accidentalis. Aliam habet, vt poſterioris ad prius naturaliter, à quo dependet, non vt ab aliqua cauſa, quia ſi habet ſubiectum pro aliqua cauſa, habet ipſum pro cauſa materiali, & hoc eſt, in quantum informat ipſum.

Lucas. Reſp. Scotus hasce duas habitudines accidentis ex parte informantis, ſcilicet, & poſterioris apponens, haud negat habitudinem cauſalitatis efficientiæ ex parte ſubiecti, ſed non eam lib. 3. ponit, quia ibi non eſt ad rem ſuam. Ioannes à Vigerio taliter reſp. Hæ duę habitudines conueniunt in vniuerſo accidenti ad ſubiectum, Scotus tamen non poſuit lib. 3. quoniam tantum mens eius fuit ponere habitudines ſimiles vnioni Verbi, & quia efficientię habitudo non erat ad propoſitum, eam ſiluit. Habitudo autem informationis erat ad rem, eamquè poſuit. Habitudo verò efficientiæ non conuenit vniuerſaliter ſubiecto, quia ſolum reſpectu accidentium propriorum, ſubiectum eſt cauſa efficiens, vt patet de igne reſpectu ſui caloris. Hec Vigerius. Nota in calce huius reſp. duo aduotari falſa, primum eſt. Subſtantia tantum eſt effectiua acci-

accidentium propriorum. Oppoſitum huius habet Scotus lib. 2. d. 25. & clarius, eſtquè proprius locus, lib. 4. d. 12. Q. 3. Alterum eſt, in ſuo exemplo dicit, vt ignis reſpectu ſui caloris; ex quo videtur innuere calorem eſſe ignis propriam paſſionem, quod eſt contra Scotum vltima Q. Vniuerſalium.

25. Iacobus. Scotus 3. Prol. Q. ad R. ait. Eſſentia hęc, vt ſingularis, ſubiectum eſt ipſius ſcientiæ, ſcilicet, Theologiæ. Oppoſitum huius habet Scotus lib. 2. d. 3. Q. 5. vbi vult ſubiectum ſcientiæ eſſe vniuerſale, & alibi ait. Subiectum ſcientiæ naturaliter inuentæ debet eſſe vniuerſale.

Lucas. Reſp. Scotus lib. 2. loquitur de ſubiecto ſcientiæ naturaliter inuentæ, & ſic debet eſſe vniuerſale: Non enim negat ſingulare, vt hæc Eſſentia, ſubiectum eſſe poſſe, immò de facto eſt ſubiectum in ſacra Theologia, & de tali ſingulari verè eſt ſcientia. Dices. Quare de hoc ſingulari eſt ſcientia, & nō de alijs? Reſp. Quia Deus eſt incorruptibilis, ſic, non autem alia ſingularia. Ideoquè in via Peripat. non tantum de Deo, at de ſingulis intelligentijs ſcientia præſtatur. Nam ſecundum Ariſt. placita, earum quodlibet ſingulare eſt indefectibile. Theologi verò de ſolo Deo hoc habent admittere. Inſtabis. Scotus 3. Prol. Q. dicit in reſp. ad 2. principale. Subiectum ſcientiæ naturaliter adinuentę eſt vniuerſale. In hoc Deus eſt ſubiectum Methaph. ergo, &c. Negat id Scotus, & dicit. Eſt ens, in hoc Deus ſaltem ſubiectum eſt lib. 12. Methaph. Itaq; vniuerſale non erit ſubiectum in ſcientia naturaliter adinuenta. Scotus duplici modo reſponderet. Prior eſt, quod ipſe loquitur de ſubiecto totali, & non de partiali ſubiecto alicuius ſcientiæ. Alter eſt. Quod Deus capitur pro prima intelligentia, vtquè quid commune eſt omnibus intelligentijs, hocquè pacto eſt ſubiectum 12. Methaph.

26. Iacobus. Scotus 3. Prol. Q. dicit. Quod autem accipitur, quod paſſio eſt extra eſſentiam ſubiecti, hęc eſt vera, vbi paſſio eſt realiter cauſata à ſubiecto. Sed in diuinis, &c. Quibus in verbis videtur in via Scoti paſſionem realiter diſtingui à ſubiecto. Oppoſitum huius apparet ſępe in via Scoti, præcipuè lib. 2. d. 3. Q. 5. 6. & 7. d. 6. Q. 2. In ſumma, paſſionem realiter identificari cum ſubiecto tenet.

Lucas. Reſp. Paſſio ad pręſens duobus modis capitur pro accidente communi, & pro paſſione ſcibili; primo modo loquitur Scotus 3. Prol. Q. Quod patet, nam loquitur de paſſionibus, diuinis attributis corriſpondentibus, quæ in nobis ſunt accidentia, vt bonitas, clementia, iuſtitia, &c. Suntquè accidentia realiter diſtincta, & cauſata à ſubiecto. Altero modo loquitur lib. 2. Scotus. Dices. Q. 34. in Vniuerſalibus locat Scotus Riſibile in prędicamento qualitatis. Reſp. Scotus in logicis opinionem communem eſt inſecutus; licet poſſit dici, quod intelligebat de riſibili quo ad actum, & non quo ad aptitudinem. Replicabis. Propria paſſio efficitur à ſubiecto, ergo. Diſtingue de duplici efficientia. Rurſus, dices. Quomodo efficitur, cum relatio cauſæ, & cauſati velint diſtinctionem ſuppoſitalem inter ſe, ac eſſentialem. Reſp. Quęre.

27. Iacobus. Scotus 3. Prol. Q. ad S. Videtur habere paſſiones entis eſſe demonſtrabiles. Nam inquit. Sed oportet cuiuslibet ſubiecti eſſe principia, per quæ demonſtrentur eius paſſiones, &c. Et ſubdit. Hoc modo cuiuslibet ſubiecti poſſunt eſſe principia quantumcumquè imprincipiati reſpectu ſuarum paſſionum. Oppoſitum huius apertiſſimis verbis habet Scotus lib. 1. d. 39.

Reſp.

Lucas. Reſp. Iam 1. Prol. Q. diximus non poſſe entis paſſiones demonſtrari, at quia dicta Scoti 3. Prol. Q. videntur difficilia, exponenda veniunt. Franciſcus à Lych. ait. Scotus intelligit non eſſe opus ſubiectum principia intrinſeca habuiſſe, per quæ demonſtrentur paſſiones de ipſo, vt riſibilitas de homine oſtenditur, quæ per principium intrinſecum hominis demonſtratur, ſed ſufficit, vt tale ſubiectum ſuo modo ſit principium effectiuum paſſionis demonſtrabilis, & ſic ex ratione talis ſubiecti poſſum demonſtrare paſſiones de ente, ex qua declaratione colligitur, paſſiones entis de ente eſſe demonſtrabiles. Paulus ſcriptor hanc tradit expoſitionem. Principia ſunt duplicia, complexa, & incomplexa, deinde ſubdit, ſubiectum eſt duplex, incomplexum, quod eſt ſubiectum complexionis, & complexum, quod eſt ipſa concluſio; tunc ait. Subiectum primo modo conſideratum, non eſt opus, vt habeat principia, nec primo modo, nec ſecundo modo: at ſecundo modo acceptum, neceſſe eſt, vt habeat principia ſecundo modo accepta, ſcilicet præmiſſas probantes talem concluſionem, ſicquè ſecundum iſtum virum entis paſſiones demonſtrabiles fiunt. Ioannes à Vigerio non eſſe demonſtrabiles ita ſuadet. Entis, in quantum ens, nulla ſunt principia in eſſendo, accipiendo li, in quantum reduplicatiuè, quia tunc Deus haberet principia in eſſendo, quod eſt falſum. Addit. Cuiuſcumquè ſubiecti non habentis conceptum ſimplicem, ſunt principia in cognoſcendo, quibus paſſiones ſuæ poſſunt oſtendi. Sicquè Deus habet paſſiones demonſtrabiles, ſed non ens, quia dicit conceptum ſimpliciter ſimplicem. Subditquè tandem. Sic debent gloſari duæ propoſitiones Scoti 3. Prol. Q. Prior eſt. Sed oportet cuiuslibet ſubiecti, &c. Altera eſt. Hoc modo cuiuslibet ſubiecti, &c. Hęc Vigerius, eiuſquè doctrina hic non eſt reiicienda. Adde cum 3. Prol. Q. non ſit locus terminandi, an ſint demonſtrabiles entis paſſiones, Scotus locutus eſt, vt plures, aliter ſentiens d. 39. lib. 1.

38.*Iacobus.* Scotus 3. Prol. Q. ad S. dicit. Homo non continet rationem finis huius ſcientiæ, quia finis ſupernaturalis, vel obiectum eius non includitur in ratione hominis. Oppoſitum huius habet Scotus 1. Prol. Q. vbi inquit. Si anima perfectiſſimè cognoſceretur, ſuaquè ordinabilitas cognoſceretur, ergo finis includitur in ratione hominis.

Lucas. Reſp. Scotus 3. Prol. Q. loquitur de cognitione naturali nobis poſsibili ad pręſens, & in tali cognitione quantumcumquè perfecta minimè includitur finis ſupernaturalis; itaquè nulla eſt contradictio.

39.*Iacobus.* Scotus 3. Prol. Q. ad S. ait. Homo ratione animæ virtualiter continet fęlicitatem hominis naturalem. Oppoſitum huius in via Scoti patet, cum ſubſtantias abſtractas non cognoſci poſſe habeat; tamen ſequitur, ſi virtualiter continet fęlicitatem naturalem, ergo obiectum totius fęlicitatis, quæ ſubſtantiæ ſunt abſtractæ, continebit.

Lucas. Reſp. Homo continet ſubſtantias abſtractas quantum ad conceptus communes ſibi, & nobis, non autem quantum ad conceptus proprios. Rurſus. Duplex eſt continere occaſionaliter, & virtualiter; homo continet occaſionaliter, non autem virtualiter. Amplius. Homo continet virtualiter fęlicitatem, hoc eſt dictu, cognita anima, poteſt concludi, quod fęlicitas ſibi conuenit, ſed non poteſt virtute naturali pertingere ad talem fęlicitatem.

Scotus

30. *Iacobus.* Scotus 3. Prol. Q. ad T. dicit, Methaph. eſt de ente naturaliter ſcita, tanquam de ſuo adæquato ſubiecto. Oppoſitum huius habet Ariſt. 6. Methaph. t. 2. vbi. (dicens. Honorabiliſſimam ſcientiam opportet eſſe circa nobiliſſimum genus.) Deum ponit ſubiectum in Methaph.

Lucas. Reſp. Methaph. in via Scoti non eſt de Deo, tanquam de primo ſubiecto. Nam præter ſcientias ſpeciales, opportet eſſe aliquam communem, in qua probentur omnia in communi, quæ ſunt communia illis ſpecialibus, igitur præter illas ſpeciales ſcientias opportet eſſe aliam de ente, in qua tradatur cognitio paſſionum de ente, quę ſupponitur in alijs ſpecialibus ſcientijs. Hacquè ſcientia communis eſt Methaph. habens ens pro adequato ſubiecto, idquè Scotus dicit 3. Prol. Q. Ratio autem Ariſt. 6. Methaph. non concludit. Nobiliſſima ſcientia eſt circa nobiliſſimum genus, vel, vt primum obiectum, vel, vt conſideratum in illa ſcientia perfectiſſimo modo, quo poteſt conſiderari in aliqua ſcientia naturaliter acquiſita. Deus verò ſi non eſt ſubiectum primum in Methaph. eſt tamen conſideratum in illa ſcientia nobiliſſimo modo, quo tamen in aliqua ſcientia naturaliter acquiſita conſiderari poteſt.

31. *Iacobus.* Scotus 3. Prol. Q. ad X. dicit. In intellectu diuino eſt Theologia, quam cauſat Eſſentia diuina. Oppoſitum huius habet Ariſt. 3. de Anima. & Scotus lib. 1. d. 3. Q. 7. & d. 17. & Quol. Q. 13. quibus in locis aiunt. Intelligere eſt quoddam pati, ergo in intellectu diuino, cum ſit, ex Ariſt. 12. Methaph. & ex 8. Phiſ. impaſſibilis, non poterit recipi habitus Theologiæ.

Lucas. Reſp. Deum intelligere patet ex lib. 12. Methaph. apud Ariſt. dicentem. Deum habere vitam ſempiternam, & optimam, & addit. Optimum in Deo eſt ſpeculatio. Etiam lib. 12. Methaph. ait. Deus ſe ipſum intelligit, quod potiſſimum eſt. Adducique poſſent permultæ auctoritates, & rationes probantes Deum intelligere. Reſp. eſt Ariſt. & Scoto dicentibus intelligere eſt quoddam pati, quod concludit, vbi intelligere eſt accidens diſtinctum ab intellectu, ſicq; non eſt in Deo, at cum in Deo ſit idem intelligere cum intellectu, tantum ibi dicitur eſſe pati methaphoricum, ſed non reale. Si quęras. An intelligere Dei ſit idem, quod ipſe Deus. Reſp. Ita eſt ex Ariſt. lib. 12. Methaph. Idque firmant Theologi, potiſſimum Scotus lib. 1. d. 2. Q. 1. Nam ſi Dei intelligere eſſet diſtinctum, tunc Deus non eſſet optima ſubſtantia, quia perficeretur per aliud à ſe. Tum. Intellectus diuinus eſſet in potentia ad ſuum intelligere. Tum. Continuatio eius intellectionis eſſet ei laborioſa, quod non eſt dicendum.

32. *Iacobus.* Scotus 3. Prol. Q. ad X. dicit. Obiectum primum Theologię Dei facit omnia alia actu cognita in intellectu ſuo, qui intellectus habet cognitionem theologicam virtute primi obiecti theologici actuantis eum. Oppoſitum huius habet Scotus lib. 1. d. 3. Q. 4. & d. 36. & 43. & lib. 2. d. 1. Q. 1. & 14. Q. Quol. quibus in locis ait. Omnia obiecta ſecundaria ſunt ab actu intellectus diuini, ergo erunt nota intellectui diuino per actum ſuum, & non per rationem obiecti.

Lucas. Reſp. Obiecta ſecundaria ſunt producta ab actu diuini intellectus, tanquam à cauſa immediata, ſicquè loquitur Scotus locis citatis, tamen ſunt quoquè producta ab Eſſentia, tamquam à cauſa mediata, ſeu remota. Rurſus. Scotus 3. Prol. Q. non comparat Eſſentiam ad actum intel-

intellectus, at ad obiecta ſecunda, & quo ad hoc idem ſunt intellectus diuinus, eius actus, Eſſentia, & voluntas diuina, & quodcumq; horum id faciat ſat eſt, ſufficit enim mihi illa obiecta ſecunda non mouere. Dices. Si virtute Eſſentiæ contingentia cognoſcuntur ab intellectu diuino, quomodo poteſt id fieri? cum Eſſentia non contineat virtualiter talia contingentia. Reſp. Eſſentia mouet intellectum ad notitiam terminorum contingentium veritatum, deinde voluntas determinat. Facta tali determinatione Eſſentia eam præſentat intellectui diuino. Hæc eſt ſententia Scoti lib. 1. d. 39. Vel dicas. Scotus 3. Prol. Q. non loquitur de Eſſentia, vt diſtinguitur contra voluntatem, ſed, vt diſtinguitur contra obiecta ſecundaria, ibiquè voluntas, & Eſſentia pro eodem percipiuntur. Si quęras. An Eſſentia prius valeat cauſare notitiam proprietatum, quam quidditatum? Reſp. Non. Nam Eſſentia eſt cauſa merè naturalis. Idcirco prius natura eſt ratio producendi notitiam quidditatum, tanquam perfectiores quam proprietatum. Si amplius quęras. An hæ quidditates in intellectu beato creato ſint notæ virtute Eſſentiæ, an voluntatis diuinæ? Reſp. Virtute Voluntatis. Dices. Tunc non eſſent veritates theologicæ, quia non ſunt notæ virtute obiecti theologici. Reſp. Notę ſunt virtute alicuius idem realiter exiſtentis cum obiecto theologico. Adde. Voluntas ſupplet perfectè vicem obiecti theologici, quæ eſt eadem cum Eſſentia. Idquè trahitur à Scoto Q. 14. & 15. Quol.

33. *Iacobus.* Scotus 3. Prol. Q. ad X. Ponit tria ſigna naturæ reſpectu cognitionis diuinæ. In primo ſigno eſt Eſſentia cognita in intellectu diuino. In ſecundo ſunt quidditates virtualiter continentes veritates proprias. In tertio autem ſigno iſtæ veritates virtualiter contentę in illis quidditatibus ſibi notę. Oppoſitum huius habet Scotus lib. 1. d. 35. ad H. vbi pro cognitione habenda de lapide. Quatuor ſigna ponit naturæ. In primo ſigno Deus intelligit Eſſentiam ſub ratione merè abſoluta. In ſecundo producit lapidem in eſſe intelligibili, & intelligit lapidem. In tertio inſtanti fortè intellectus diuinus poteſt comparare ſuam intellectionem ad quodcumquè, ad quod nos poſſumus comparare, & tunc comparando ſe ad lapidem intellectũ, poteſt cauſare in ſe relationem rationis. In quarto inſtanti poteſt quaſi reflecti ſuper iſtam relationem cauſatam in tertio inſtanti, &c.

Lucas. Reſp. Signa data à Scoto 3. Prol. Q. non accipiuntur ex parte intellectus diuini, nec ex parte cognitionis diuinæ in ſe, ſed ex parte obiectorum cognitorum, quæ obiecta in diuina cognitione habent ordinem penes quem ſe in perfectione excedunt, ſicquè ſecundum multiplicationem, vel non multiplicationem talium obiectorum cognitorum, & ex ordine cauſationis ipſorum cauſatorum in eſſe cognito ab intellectu diuino multiplicantur, at non multiplicantur ſecundum magis, & minus talia ſigna.

34. *Iacobus.* Scotus 3. Prol. Q. ad X. dicit. Theologia eſt de omnibus virtute obiecti beatifici. Oppoſitum huius eamet 3. Prol. Q. ad Y. habet Scotus. vbi ait. Theologia non eſt de omnibus.

Lucas. Reſp. Hæ tres concluſiones ſunt omnes verè. Prior. Theologia in ſe eſt de omnibus. Altera. Theologia beatorum de facto non eſt de omnibus, ſed de poſſibili poteſt eſſe de omnibus. Tertia. Theologia noſtra nō eſt de omnibus; his conſideratis concluſionibus patet conciliatio ad contradictionem.

Scotus

35. *Iacobus.* Scotus 3. Prol. Q. ad Y. dicit. Theologia beatorum poteſt eſſe de omnibus. Oppoſitum huius habet Scotus lib. 1. d. 2. Q. 1. ad L. vbi Scotus inquit. Cognoſcere omnia, ſeù infinita arguit infinitatem Dei, conſequenterquè proprium eſt ipſius Dei, ergo Theologia beatorum non eſt de omnibus.

Lucas. Reſp. Beatum omnia cognoſcere duplici modo poteſt percipi, vno modo habitualiter, alio modo actualiter. Habitualiter beatus omnia intelligere poteſt, actualiter verò non poteſt. Hęcquè eſt ſententia Scoti lib. 3. d. 14. Q. 2. circa finem. Rurſus. Theologia beatorum poteſt eſſe de omnibus ſcibilibus, non autem de omnibus cognoſcibilibus. Nam differunt ſcibile, & cognoſcibile, quoniam ſcibile eſt reſpectu quidditatum tantum, quæ neceſſario ſunt finite, cognoſcibile autem eſt de quidditatibus, ac de omnibus conſequentibus quidditatem, quæ ſunt infinita.

36. *Iacobus.* Scotus 3. Prol. Q. ad Y. dicit. Scibilia non ſunt infinita. Oppoſitum huius habet Scotus lib. 1. d. 2. Q. 1. ad H. vbi ponit infinitatem in generationibus.

Lucas. Reſp. Scotus concedit d. 2. lib. 1. ſecundum Philoſophos, infinitatem in accidentaliter ordinatis, non autem ponit infinitatem in cauſis eſſentialiter ordinatis. Rurſus. In via Scoti conceditur in actibus ipſius intellectus, vt docet Mauritius Q. 3. Vniuerſalium, non autem conceditur in actibus realibus.

37. *Iacobus.* Scotus 3. Prol. Q. ad Y. Inducit dictum Apocalipſis vltimo. Qui appoſuerit ad hæc, apponet ei Deus plagas, quæ apponuntur in libro iſto. Oppoſitum huius iugiter patet cum multa addantur, vel apponantur Sacræ Scripturæ.

Lucas. Reſp. Appoſitio eſt in triplici differentia. Prior eſt contraria his quæ habentur in Sacra Biblia. Altera eſt additio alicuius impertinentis, & ſicuti hec eſt præſumptuoſa, ita illa heretica. De ijſquè appoſitionibus loquitur dictum Apocalipſis. Tertia eſt appoſitio expoſitiua eorum, quę habentur in Canone Bibliæ, hæcquè laudanda eſt, & ea quæ ſic adduntur, ex Scripturis Sacris eliciuntur. Expēde. Ab iſta regula excipitur Papa, & Concilium. (maximè tuendo) Eccleſia poteſt nos obligare ad mortale, vt ſuperius dictum eſt, idquè patet ex articulo de deſcenſu animæ Chriſti ad inferos. Qui ſecundum aliquos non habetur in Canone Bibliæ expreſsè, ſicut habentur alij, tamen Apoſtoli poſuerunt eum in Symbolo, eumquè edidit Philippus. Quod non ſit in Canone Bibliæ id dicit Franciſcus in 4. d. 43. Q. 4. & affirmat Scotum id dixiſſe, at Scotus lib. 1. d. 11. Q. 1. dicit. Deſcenſus Chriſti ad inferos non habentur in Euangelio. Nota. Scotus lib. 3. d. 25. dicit. Credendum eſt Canonibus Bibliæ, non dicit, quod ſit credendum Bibliæ. Huius ratio eſt, quoniam non omnes libri Bibliæ ſunt autentici, at aliqui apochriphi. De autenticis conſule Decretum d. 15. cap. Sripturas, & Concilium Tridentinum.

38. *Iacobus.* Scotus 3. Prol. Q. parum ante, iuxta hoc, dicit. Theologia ſimpliciter loquendo de ea, eſt de omnibus. Oppoſitum huius patet eamet Q. paulo ſupra. Vbi Scotus negat, Theologiam beatorum, & noſtram eſſe de omnibus, ergo Theologia abſolutè non eſt de omnibus.

Lucas. Reſp. Theologia terminus eſt analogus, ad Theologiam Dei, beatorum, & noſtram. Analogus autem per ſe poſitus ſemper ſtat pro principali ſigni-

ſignificato; cum ergo Theologia in ſe, quod eſt principale, analogatum ſit de omnibus: abſoluta conſideratione, iſta eſt vera, Theologia eſt de omnibus. Rurſus. Theologia in vniuerſo, ad Theologiam in ſe, beatorum, & noſtram, eſt de omnibus non de facto, ſed de poſſibili. Nam quamuis Theologia beatorum non ſit de omnibus, id non eſt ex ſui imperfectione, at deforis eſt à Deo nimirum minimè reuelante. Noſtraquoquè Theologia, quod non ſit de omnibus, non eſt illius defectus, at venit ab indiſpoſitione ſubiecti, à Deoquè non reuelante, ſicquè omnis Theologia quatenus in ſe, eſt de omnibus.

39. *Iacobus.* Scotus 3. Prol. Q. iuxta hoc ad A. dicit. Cum intellectus diuinus non diſcurrat, Theologia in ſe, non erit ſcientia. Oppoſitum huius habet Scotus 3. Prol. Q. vbi inquit. Deus eſt ſubiectum Sacræ Theologiæ, & ſubdit, Theologia Dei eſt euidens ex ſubiecto, & ſubiectum, vt primo notum, continet veritates neceſſarias theologicas, ergo videtur quod intellectus diuinus diſcurrat à magis noto ad minus notum.

Lucas. Reſp. Ad verum diſcurſum, quo itur à magis noto ad minus notum, expoſcitur (dicunt nonnulli) quod notitia concluſionis ſit verè cauſata à notitia pręmiſſarum, cognitio autem theologica in intellectu diuino eſt tantum vnica intellectio eadem ſibi, ſicquè non poterit dici, & magis nota. Rurſus. Quamuis in Theologia in ſe poſſint formari præmiſſæ, & ex illis elici concluſio, notitiaquè pręmiſſarum ſit euidentior concluſione, id tantum verum eſt, vt comparatur intellectui finito, qui poteſt aliam habere, & aliam reſpectu pręmiſſarum, & concluſionis, tamen id non eſt verum in intellectu diuino, qui tantum vnam poteſt habere omnium notitiam. Rurſus. Quamuis poneretur quod intellectus beatus creatus vna ſimplici cognitione poſſit cognoſcere pręmiſſas, & concluſionem, tamen poterit diſcurrere à magis noto ad minus notum, ideſt eadem notitia, vt terminatur ad pręmiſſas, erit euidentior ſe ipſa, vt terminatur ad concluſionem, quia euidentia concluſionis eſt ab euidentia pręmiſſarum, priuſquè natura talis notitia poteſt terminari ad pręmiſſas, & poſterius natura ad concluſiones, intellectus verò diuinus, etſi actu vnico cognoſcat, & pręmiſſas, & concluſiones, & quodammodo prius natura præmiſſas, tamen non poterit dici magis, & minus euidens, nec in ſe realiter, nec ob aliam terminationem, quia omne dicens imperfectionem excludendum eſt ab intellectu diuino. Expende. Intellectus diuinus cognoſcit omnia in Eſſentia diuina clarè viſa, & non cognoſcit vnum per aliud. Dices. Iudit 9. dicitur. Tu enim feciſti priora, & illa poſt illa cogitaſti. At cogitans illud poſt illud, diſcurrit, ergo in Deo cadit diſcurſus. Reſp. Tria ſunt de ratione diſcurſus. Primum. Quod diſcurrens intelligat hoc poſt hoc. Secundũ. Quod intelligat hoc per hoc. Tertiũ. Quod extrema diſcurſus intelligantur diuerſis actibus intelligendi. In via Scoti Deus diſcurrit quantum ad primam, & ſecundam conditionem, ſed non quantum ad tertiam, quæ in diſcurſu eſt eſſentialis. Quodquè Deus ſic non diſcurrat apparet. Tum quia ſua intellectio eſt ſua ſubſtantia. Tum quia Deus (ex Ariſt. lib. 12. Methaph. t. 50.) non diſcurrit ab intellectione partium ad intellectionem totius. Tum quia quandoquè eſſet in actu, & quandoquè in potentia. Tum quia. (vt dicitur Iacobi 1.) Apud quem non eſt tranſmutatio, nec viciſſitudinis obumbratio. Tum ad Hebreos 10. Omnia nuda, & aperta ſunt oculis eius. Tum quia Diuus Thomas

lib. 1. contra gentes cap. 56. dicit. In Deo non eſt cognitio habitualis, ſed tantum actualis. Franciſcus 14. Prol. Q. ponit diſcurſum in Deo. Salua illum. Quo ad duo prima, ſed non quo ad tertium.

40. *Iacobus.* Scotus 3. Prol. Q. iuxta hoc ad C. dicit. De ratione ſcientiæ non eſt quod ſit neceſſaria, quia eſt delebilis, ſed tantum debet eſſe de obiecto neceſſario, ideſt, debet eſſe de concluſione, cuius habitudo ſit neceſſaria, ſicquè erit de neceſſario complexo, & non requiritur quod ſit de neceſſario incomplexo. Nam homo, multaque alia ſubiecta ſcientiarum non ſunt neceſſaria. Oppoſitum huius apparet in via Scoti paſſim, potiſſimũ d. 15. lib. 3. Nam Deus poteſt ſuplere efficientiam omnium cauſarum effectiuarum, ergo diſcurſus non requiritur ad ſcientiam proprié acceptam, ſicquè non erit neceſſariò ſcientia, de obiecto neceſſario.

Lucas. Reſp. Scotus quando dicit 3. Prol. Q. quod requiritur neceſſariò diſcurſus ad ſcientiã, cũ debeat eſſe de cõcluſione, cuius habitudo ſit neceſſaria, loquitur in via Ariſt. quem eo loco citat, qui negaret tale ſuplemẽtum. Rurſus. Scotus loquitur. Quando Deus ſuas operationes cauſis ſecundis ſinit, ideſt de lege communi, & non negat quin poſſit Deus ſuplere ipſum diſcurſum.

41. *Iacobus.* Scotus 3. Prol. Q. iuxta hoc, ad A. & lib. 2. d. 2. Materia de Aeuo, & d. 3. de cognitione Angelorum docet quod diſcurſus eſt in beatis, & in Angelis, ac in diſcurſu ſolum requiritur, ordo naturæ, & temporis. Oppoſitum huius habet Scotus lib. 2. d. 1. Q. 6. ad A. vbi dicit Angelos non diſcurrere.

Lucas. Reſp. Scotus quando lib. 2. dicit Angelum non diſcurrere, loquitur in reſpectiuo ſermone, & ſuppoſito quod omnia à principio fuerint nota Angelo habitualiter. Nam tunc non poſſet diſcurrere, non propter impotentiam naturæ, ſed quia iam præhaberet cognitionem, conſequenterquè non poſſet acquirere de nouo id, quod præhabuiſſet. Rurſus. Scotus in 2. loquitur ad hominem, ibique etiam non eſt locus talis materiæi. Dices. Beati non componunt, neque diuidunt, ergo non diſcurrunt. Nego antecedens. Amplius. Viſus prius natura videt coloratum, in quantum coloratum, quam coloratum in quantum quantum, & tamen non diſcurrit, ergo conditio illa, prius natura, non ſuffice ad diſcurſum, vt dicit Scotus. Reſp. Scotus vult, prius natura ſufficit ad diſcurſum, & non requiritur ſucceſſio temporis, cum iſta tamen prioritate naturæ, multæ aliæ conditiones requiruntur, fiat nempe à potentia intellectiua, cum illis tribus conditionibus ſuperius enumeratis.

42. *Iacobus.* Scotus 3. Prol. Q. iuxta hoc, ad A. dicit. Theologia in intellectu beatorum re vera eſt ſcientia. Oppoſitum huius habet Aug. 15. de Trin. cap. 16. & adducitur à Scoto 3. Prol. Q. Fortaſſe (inquit) non erunt ibi volubiles noſtræ cogitationes ab alijs, in alias euntes, atque redeuntes, ſed ſcientiam noſtram vnico intuitu videbimus, ergo caret Theologia beatorum diſcurſu, qui eſt vna conditio requiſita ad veram ſcientiam.

Lucas. Reſp. Scotus quatuor ponit conditiones ſcientiæ proprié dictæ 3. Prol. Q. Prior. Quod ſit notitia certa. Altera. Quod ſit de obiecto neceſſario. Tertia. Quod ſit cauſata à cauſa euidente intellectui. Quarta. Quod ſit applicata ad cognitum per diſcurſum ſyllogiſticum. Hæ quatuor particulæ colliguntur in diffinitione. Scire. Ab Ariſt. 1. Poſter. 5.

Scire

Scire arbitramur vnumquodque, & nõ ſophiſtico modo, quod eſt ſecundum accidẽs, cum cauſam arbitramur cognoſcere quoniam illius eſt cauſa, & non contingit aliter ſe habere. Quod ſit certa, tranſitur ex illo verbo. Et non ſophiſtico modo. De obiecto neceſſario. Ex illo. Et non contingit aliter ſe habere. Cauſata à cauſa euidente intellectui. Ex illo. Cum cauſam illius arbitramur cognoſcere. Quod ſit applicata ad cognitum per diſcurſum ſyllogiſticum. Ex illo. Quoniam illius eſt cauſa. Cum itaque Theologiæ in intellectu beato conueniant huiuſmodi conditiones. (Nam eſt notitia certa, de obiecto neceſſario, cauſata à cauſa euidente intellectui, applicata ad cognitum per diſcurſum ſyllogiſticum,) profectò erit vere ſcientia, vt dicit Scotus 3. Prol. Q. At quid ad Aug.? Auctoritas Aug. (dicit Scotus) non cogit, quia loquitur dubitatiue, & cum forte. Nec illud intendit aſſerere, quod verbum noſtrum non ſit equale Verbo Dei, quantumcunque verbũ noſtrum ſit perfectum. Similiter poteſt exponi auctoritas Aug. de viſione beata, quæ reſpicit tantum eſſentialia in Deo. Sed num Theologia contingentium ſit verè ſcientia? Dico quod ſecundum illam rationẽ ſcientiæ poſitam primo Poſter. quæ requirit neceſſitatem, non poteſt eſſe ſcientia, quia contingens cognoſcere, vt neceſſarium, non eſt cognoſcere contingens. Tamen ſecundum quod Philoſ. accipit 6. Ethic. cap. 4. & 7. Vt diuiditur contra opinionem, & ſuſpitionem benè poteſt eſſe ſcientia, quia eſt habitus, quo determinatè verũ dicimus. Theologia quæ non eſt verè ſcientia, notitia tamen eſt certiſſima. Vnde habuit hanc certitudinem? Franciſcus Q. 14. Prol. quinque aſſignat modos dicendi ad præſens dubium. Priorem ex hac ratione, Deus non poteſt mẽtiri. At Deus dixit hoc; ergo certiſſima erit. Quicquid ſit de maiori, minor (dicit Franciſcus) non eſt euidens. Alter modus eſt illorum dicentium. Certitudo hæc eſt ex aliquo lumine ſupernaturali, quod eſt maius lumine fidei, & minus lumine gloriæ. At contra. Et illi, & nos habuimus eoſdem terminos, ergo, & eandem habitudinem inter illos terminos; igitur lumen habebimus, quod non apparet. Tertius modus eſt illorum dicentium, quod habuerunt alios terminos, ſed quod ipſi tenuerunt, Philoſophi negauerunt, quod non poſſet eſſe, niſi in terminis conuenirent. Quartus modus dicendi eſt, quod habuerunt notitiam abſtractiuam, quam alij non habuerunt. At etſi hoc poſſet ſufficere pro neceſſarijs, non tamen pro contingentibus, quia per cognitionem abſtractiuam non poſſumus certificari de contingentibus. Idcirco reſpondet Franciſcus, & eſt quintus modus dicendi. Quod modus certitudinis, quem habuerunt, non eſt nobis notus, licet ſit aliquis, quis ſit, ignoramus.

43. *Iacobus.* Scotus 3. Prol. Q. ad C. dicit. Viſio non eſt niſi de obiecto præſente, per viſionem intelligit notitiam intuitiuam: ergo ſecundum Scotum. Viſio intuitiua tantum habetur de obiecto præſente. Oppoſitum huius habet Scotus lib. 3. d. 14. Q. 3. ad B. vbi dicit. Notitia intuitiua eſt de obiecto præterito, & futuro.

Lucas. Reſp. Notitia intuitiua duobus modis poteſt exẽplificari, perfectè, ac imperfectè, priori modo eſt de obiecto, vt præſentialiter exiſtens. Alio modo poteſt eſſe de futuro, qualis eſt opinio, vel de præterito, qualis eſt memoria.

44 *Iacobus.* Scotus 3. Prol. Q. ad C. iuxta hoc dicit, (& ponitur in fine extra) Deus

eſt Trinus, eſt propoſitio ſpeculatiua. Oppoſitum huius habet Scotus 4. Prol. Q. ad O. vbi ponit hanc. Deus eſt Trinus, & Vnus eſſe practicam.

Lucas. Reſp. Scotus. 3. Prol. Q. comparat hanc veritatem. Deus eſt Trinus, & Vnus ad illam. Deus creat. Sicquè in reſpectiuo ſermone, appellat Deum trinum eſſe ſpeculatiuam veritatem. Rurſus. Scotus 3. Prol. Q. communiter loquitur cum non ſit locus proprius id determinandi, ſed alibi.

45. *Iacobus.* Scotus 3. Prol. Q. iuxta hoc ad D. diſtinguit ſcientiam de 6. Ethic. contra ſcientiam. quæ traditur primo Poſteriorum. Oppoſitum huius apparet ex Ariſt. Nam 6. Ethic. cap. 7. remittit ſe ad conditiones poſitas in Analiticis, vbi expreſsè ait. Scientia eſt eorum, quæ non cõtingunt aliter ſe habere, & neceſſariorum. Et 6. Ethic. cap. 4. inquit. Quod ſcibile debet eſſe neceſſarium, & ſempiternum, ergo ibi loquitur de ſcientia, quæ eſt de obiecto neceſſario.

Lucas. Reſp. Scotus 3. Prol. Q. Vult Theologiam eſſe ſcientiam quantum ad diffinitionem communem. Habitibus moralibus, ſcilicet in quantum diſtinguuntur ab opinione, & ſuſpitione, ſed non abſolutè, ideſt non vult quod ſit ſcientia quantum ad omnia, quæ aſſignantur in 6. Ethic.

46. *Iacobus.* Scotus 3. Prol. Q. iuxta hoc, ad D. dicit. Theologia contingentium magis aſſimilatur intellectui principiorum, quam ſcientiæ concluſionum. Oppoſitum huius deducitur ex Ariſt. 6. Ethic. & primo Poſter. Nam Theologia contingentium in beatis non eſt intellectus, nec ſapientia, nec opinio, nec prudentia, nec ars, nec fides, ergo à ſufficienti diuiſione erit ſcientia, ergo non aſsimilatur intellectui principiorum.

Lucas. Reſp. Ariſt. locis modo citatis enumerauit tãtum habitus naturaliter acquiſitos, habitum verò hunc Theologicum ignorauit. Dices. Habitus principiorum magis eſt neceſſarius, quam habitus ſcientificus ex 1. Poſter. Si itaquè Theologia contingentium magis aſsimilatur intellectui principiorum, quam ſcientiæ concluſionum, erit magis neceſſaria, quam Theologia neceſſariorum, quod eſt falſum. Dico. Scotus non vult quod ſit omnino ſimilis, at magis ſimilis illi, quam alijs. Declaro ſic. Sicut principia neceſsariorum cognoſcuntur ex terminis tantum, ita contingentia ſunt nota ex intuitione extremorum. Et ſicut habitui principiorum repugnat demonſtrari, ita & cõtingentibus: ſicquè currit ſimilitudo.

47. *Iacobus.* Scotus 3. Prol. Q. iuxta hoc, ad E. dicit. Ad propoſitionem per ſe notam, ſufficere notitiam terminorum confuſam. Oppoſitum huius habet Scotus lib. 1. d. 2. Q. De propoſitione per ſe nota ad A. vbi vult. Ad propoſitionem per ſe notam, requiri diſtinctam terminorum notitiam.

Lucas. Reſp. In ſcientijs ſubalternatis, & ſpecialibus, ad propoſitionem per ſe notam ſufficit termini confuſi notitia. In ſcientia verò vniuerſali, & ſubalternante requiritur diſtincta notitia terminorum ad propoſitionem per ſe notam. Sicquè euaneſcit contradictio.

Queſt. quarta Prologi.

1. *Iacobus.* SCOTVS 4. Prol. Q. ad A. dicit. Praxis eſt actus alterius potentiæ quam intellectus, &c. Oppoſitum huius habet Scotus in logicis, vbi vult. Logicam deſeruire alijs ſcientijs, idquè firmatur 4. Prol. Q. in principio. Logica dirigit in actibus diſcurrendi, & tamen non eſt alterius potentiæ, quam intellectus.

Lucas. Reſp. Scientia Logices in via Scoti eſt ſpeculatiua. Idquè tenet Auer. 7. Methaph. com. 2. Franciſcus Mair. lib. 1. d. 48. Q. 2. Ioan. Bac. Q. 3. Prol. & communiter omnes Pariſienſes. Dum verò dicitur. Logica dirigit, dico quando intellectus in actibus ſuis tantum manet, ſiuè ſyllogizet, ſiuè diuidat, vel diſcurrat, numquam dicitur practicus. Nam ex extenſione eſt practicus. Extendere autem, eſt extra ſe tendere, dum verò conſiderat Logica, non extra ſe tendit. Hinc non dicitur practicus, ſed ſpeculatiuus. Ex quo patet. Etſi intellectus per vnum actum intelligendi dicatur extendi ad alium actum, cum ille actus non ſit alterius potentiæ, quam intellectus, vt putà per notitiam præmiſſarum dicitur extendi ad notitiã concluſionis, non dicetur intellectus practicus, & conſequenter ſcientia Logices haud practica erit. Dices. Omnis habitus actiuus eſt practicus, at Logica, vel Rethorica, ſunt habitus actiui, ergo practici. Minor eſt Ariſt. 1. Ethic. cap. 18. & 19. Reſp. Maior eſt vera ſi habitus ſit directiuus in praxim, at ad hunc ſenſum minor eſt falſa. Nam, nec Logica, nec Rethorica dirigunt in praxim, ſed ſolum in actum intellectus, vel ſpeculationis. De his lege plurima apud Ant. And. 1. Methaph. Q. 11.

2. *Iacobus.* Scotus 4. Prol. Q. ad A. diffiniens praxim ait. Praxis eſt actus alterius potentiæ, quam intellectus naturaliter poſterior intellectione, natus elici conformiter rationi rectę, ad hoc, vt ſit rectus. Oppoſitum huius habet Ariſt. 3. Ethic. vbi dicit. Electio non eſt de fine, ſed eorum, quæ ſunt ad finem, & tamen ex diffinitione praxis à Scoto data ſequitur aliquam operationem circa finem eſſe praxim.

Lucas. Reſp. Electio tribus modis accipi. Propriè, & id dicitur electio ſic, quod eſt voluntariè præconſiliatum. Communiter, & ſic eſt duorum propoſitorum alterius optio. Communiſſimè, & dicitur ſic, quod libera eſt determinatio poteſtatis prius indeterminatæ. His poſitis. Dico ad praxim ſufficit electio propriè accepta, de qua loquitur Ariſt. 3. Ethic. tamen benè poteſt cadere electio communiter, & communiſſimè capta. Expende. Praxis (vt colligitur ab Euſtratio 1. Ethic. cap. 1.) quatuor modis accipitur. Prior eſt. Praxis eſt operatio cuiuſcunquè virtutis, ſiuè naturalis, ſiuè liberæ. Alter eſt. Praxis eſt operatio ſequens cognoſcentem, in quantum cognoſcens eſt. Tertius eſt. Quando ſequitur actum cognoſcentis, cum quoquè eſt operatio exiſtens in poteſtate noſtra. Quartus. Capitur praxis proprijſſimè, & ſic eam deffinit Scotus, ad quam ſic acceptam quinque requiruntur. Primo. Intellectus oſtendens voluntati finem, & eà quę ſunt ad finem. Secundo. Ab iſta oſtenſione ſequitur finis, volitio finis, & conſilium de his, quæ

ſunt

ſunt ad finem. Tertio. A conſilio, & inquiſitione ſequitur ſententia dictatiua de his, quæ ſunt ad finem. Quarto. Voluntas elicit id, quod eſt ſententiatum, & dictatum per intellectum. Quinto. Sequitur id, quod ſic fuerat dictatum, niſi aliunde impedimentum eueniat. Pulcherrimum exemplum huius erit, de ſanitate acquirenda cui hæc omnia conueniunt.

3. *Iacobus.* Scotus 4. Prol. Q. ad A. dicit. Actus non habentes ordinem ad intellectum, vt ſunt actus vegetatiui, aut actus naturaliter præcedentes intellectionem, vt actus ſenſitiui non dicuntur praxes, nec dicitur ad eos extendi notitia practica, vt ſunt priores intellectione. Oppoſitum huius habet Scotus lib. 2. d. 42. Q. 1. ad Q. vbi vult. Quod actus vegetatiui ſint regulabiles. Hæc ſunt eius verba. Dico ergo quod potentia motiua eſt in poteſtate voluntatis, & ſimiliter potentię ſenſitiuę, & etiam vegetatiuæ.

Lucas. Reſp. Potentia vegetatiua ſic eſt regulabilis, ſcilicet in quantum præſupponit aliquam mutationem, quę eſt in poteſtate voluntatis; ſicque, & non aliter poteſt regulari, cum in ea peccatum eſſe poſſit. Dices. Scotus lib. 2. d. 6. Q. 2. inquit. Peccatum poteſt eſſe in ſpeculatione, & d. 42. lib. 2. Q. 1. tenet quod peccatum poteſt eſſe in cogitatione, ergo hi actus intellectus poſſunt dici praxes. Reſp. Locis in citatis lib. 2. vult Scotus formaliter in voluntate eſſe, reſpectu cuius eſt verè praxis. In intellectu verò tantum eſſe materialiter, reſpectu cuius non eſt praxis. Vlterius. In actibus intellectus tantum ſiſtendo, nec ibi praxis eſt, nec peccatum, at in quantum voluntas intellectum in ſpeculando occupat, aut cogitando penes ea, quæ non decent, illa occupatio, cum ſit actus voluntatis, eſt formaliter praxis. Speculatio autem, aut cogitatio in intellectu eſt praxis materialiter. Dices amplius. Ea operatio eſt praxis ad quam inclinat virtus appetitiua, at ad Sacræ Scripturę ſtudium voluntas inclinat, ergo tale ſtudium eſt praxis. Reſp. Voluntas ad ſtudium Sacræ Scripturę imperatiuè, & non elicitiuè inclinat, etſi ſic inclinaret argumentum concluderet. Rurſus. Argumentum ſoluitur ex illo verbo Scoti. Praxis eſt operatio alterius potentiæ, quam intellectus.

4. *Iacobus.* Scotus 4. Prol. Q. ad C. dicit. Notitia practica accidentaliter denominatur à praxi. Ipſa enim (ſunt verba Scoti hęc) nata eſt denominari quaſi accidentaliter à praxi, ad quam extenſibilis eſt. Oppoſitum huius habet Scotus 4. Prol. Q. ad G. vbi vult quod practica dicatur ab obiecto.

Lucas. Reſp. Scientia tribus modis poteſt dici practica. Prior eſt, à priori extrinſecè, & effectiuè, & ſic dicitur practica ab obiecto. Alter eſt à priori formaliter, & intrinſecè, & ſic eſt practica per ſuam vltimam differentiam nobis ignotam. Tertius eſt, à poſteriori, & manifeſtatiuè, & ſic ſcientia dicitur practica à praxi, ideſt per duplicem reſpectum aptitudinalem, conformitatis, & prioritatis naturalis. Proportione dici poteſt de ſcientia ſpeculatiua contra Nominales affirmantes ſcientiam practicam, & ſpeculatiuam ſe ipſis diſtingui. Hiſce patet ad contradictionem. Expende. Notitia practica extenditur, praxis eſt terminus talis extenſionis: at notitia practica non eſt terminus talis extenſionis.

5. *Iacobus.* Scotus 4. Prol. Q. ad B. (probans tertiam diffinitionis praxis conditionẽ, quæ talis eſt; natus eſt conformiter rationi rectæ) inducit Ariſt. 6. Eth. cap. 3. Electio recta neceſſariò requirit rationem rectam. Ex quo ſequitur

quitur

quitur quod actus voluntatis (qui dicitur electio) nō poteſt eſſe niſi reſpectu poſſibilium, rectorumquè factibilium. Oppoſitum huius habet Scotus lib. 2. d. 6. Q. 1. ad D. vbi vult voluntatem ſeu electionem eſſe impoſſibilium.

Lucas. Reſp. Electio (vt ſuperius in hac quæſtione dictum eſt) tribus modis capitur. Primo modo poteſt eſſe impoſſibilium, vt lib. 2. docet Scotus, & ſic intelligitur dictum Ariſt. 3. Ethic. cap. 3. Electio recta neceſſariò requirit rationem rectam. Secundo, & tertio modis, electio poteſt eſſe impoſſibilium, vt docet Scotus lib. 2. loco citato, & lib. 1. d. 1. Q. 2. Dices. Ariſt. in Ethic. lib. 6. dicit. Electio non eſt impoſſibilium. Scotus diſtinguit lib. 2. de duplici electione, ſcilicet præcedente, & conſequente ſyllogiſmum practicum. Prima poteſt eſſe impoſſibilium. Secunda non poteſt eſſe impoſſibilium.

6. *Iacobus.* Scotus 4. Prol. Q. ad B. dicit. In actu elicito voluntatis re vera ſaluatur praxis, & ſeparari poteſt ab actu ipſius voluntatis imperato. Oppoſitum huius habent omnes Philoſophi, & potiſſimū Ariſt. qui nunquam poſuit praxim niſi in actibus imperatis.

Lucas. Reſp. Circa huiuſcemodi actum elicitum, & praxim ſunt diuerſi modi dicendi. Aiunt nonnulli. Actum elicitum minimè eſſe praxim, niſi in ordine ad actum imperatum. Inquiunt alij. Actum imperatum eſſe tantum praxim. Philoſophi omnes poſuerunt praxim non in actu elicito, at in imperatis. Scotus autem, cum multis Theologis, tam in actibus elicitis, quam imperatis praxim ponit, & in actu elicito ſine imperatis correſpondentibus, vbi ob impotentiam, non poteſt ſequi actus imperatus, vt patet de paupere liberali, talis actus ſufficit ad meritum. Nota. Actus elicitus eſt prius praxis, quam imperatus. Nam propter vnumquodquè tale, & illud magis.

7. *Iacobus.* Scotus 4. Prol. Q. ad B. Tantum duo principia mouentia ponit, ſcilicet appetitum, & rationem, hoc eſt, voluntas habet rationem principij motiui, cum intellectu, & ratione. Oppoſitum huius habet Ariſt. 3. de Anima t. 49. 50. 51. & 52. vbi ponit tria mouentia videlicet, appetibile, intellectum, & voluntatem.

Lucas. Reſp. Pro iſta contradictione tollenda, nota quod Ariſt. 3. de Anima t. 42. ponit triplicem eſſe appetitum, voluntatem nempè, concupiſcibilem, & iraſcibilem. In t. 44. dicit. Potentia vegetatiua non eſt principium motus localis. Idquè patet, quia animal non mouetur, niſi ex aliqua imaginatione, at ob ſolam vegetatiuam non eſt imaginatio, etiam ſi animal moueretur propter fugam, vel proſecutionem. Vegetatiua, cum nō dictet de fuga, vel proſecutione, non eſſet principium mouendi. In t. 45. addit. Potentia ſenſitiua non eſt principium mouendi localiter. Nam multa ſunt animalia, quæ non mouentur, nec mobilia ſunt ex ſe, vt patet de Conchilijs, & Oſtrijs piſcibus imperfectis, ſaxis affixis. In t. 46. ſubdit. Intellectus non eſt tale principium mouendi. Sicque apparet primo de ſpeculatiuo. Nam non dictat de proſecutione, vel fuga, quod ad motum animalis requiritur. Secundo, de practico. Nam etſi dictet hoc eſſe fugiendum, idcircò non proſequendum, quia tamen multoties mouemur à concupiſcentia vincente intellectum, reſtat non eſſe principium ſufficiens. In t. 47. dicit. Voluntas non eſt tale principium, patet, quia appetitus ſenſitiuus, vel etiam intellectiuus, poterit appetere non ieiunare, continens tamen non moue-

bitur

bitur propter habitum continentiæ. Deinde t. 39. & deinceps ait. Tria ſunt mouentia. Intellectus, voluntas, & appetibile. Et in brutis. Fantaſia, appetitus, ſenſitiuum, & appetibile. Fantaſia in brutis ponitur loco intellectus in nobis. Ariſt. itaquè ponit tria mouentia tenentia ſe ex parte potentiæ. Appetibile verò tertium mouens ſe tenet ex parte obiecti, iſtaquè cauſa Scotus id non poſuit.

B. *Iacobus.* Scotus 4. Prol. Q. ad B. dicit. Actus appetitus ſenſitiui ſine quocunquè tranſitu ad extra eſſe poteſt. Oppoſitum huius clamitant omnes Philoſophi id negantes.

Lucas. Reſp. Benè inquit Doctor hic, & à Lych. talis datur interpretatio. Potentia ſenſitiua poteſt concupiſcere aliquid ſine actu exteriori, ſicut potentia guſtatiua concupiſcit cibum, & tamen non proſequitur illum, & illa concupiſcentia eſt verè praxis ipſamquè præcedit cognitio directiua. Cometius Hiſpanus ita exponit. Quis ex frequentatis actibus potuit ſibi generaſſe quendam habitum, magno cum affectu, nimirum videre Corpus Chriſti in manibus Sacerdotis, ſi talis in carcęribus recluderetur, vbi non poſſet videre Corpus Chriſti, tamen adhuc habitu dictante in apetitu ſenſitiuo, poſſet eſſe actus, & fantaſia poſſet imaginari videre Corpus Chriſti in manu Sacerdotis, tamen talis actus non tranſiret ad extra, vereque praxis eſſet. Adde de habente habitum Sacram Scripturam populo interpretandi; ſi talis carceribus eſſet incluſus, poſſet habere actum in apetitu declarandi, tamen non ad extra, quia non interprętaretur populo tunc, qui non adeſſet.

9 *Iacobus.* Scotus 4. Prol. Q. ad D. ait. Practicum, & ſpeculatiuum non ſunt differentiæ eſſentiales ſcientiæ, vel notitiæ in communi. Oppoſitum huius habet eademmet queſtione circa finem ad G. vbi dicit. Speculatiuum, & practicum ſunt differentię eſſentiales.

Lucas. Reſp. Quando Scotus in fine queſtionis iſtius inquit. Practicum, & ſpeculatiuum ſunt differentię eſſentiales, debet ſic exponi, ideſt circumſcribentes nobis vltimas, differentias eſſentiales, aut dicuntur eſſentiales, quia ſunt prędicata ſecundi modi neceſſariò ſequentis eſſentiam. Vel dicas Scotum ibi locutum fuiſſe, reſpectiuè, vt patet literam intuenti. Quod autem practicum, & ſpeculatiuum, non ſint differentię eſſentiales, patet ſic. Nullus reſpectus eſt de eſſentia abſoluti, practicum, & ſpeculatiuum ſunt ſic. Nam practicum dicit duplicem reſpectum, prioritatis, ſcilicet, & conformitatis; ſpeculatiuum verò priuat illum duplicem reſpectum. Amplius. Nullum poſterius eſt de eſſentia prioris: tum, ex abſoluto, & reſpectiuo nunquam fit vnũ per ſe. Expende. Notitia practica, & ſpeculatiua poteſt ſumi tribus modis. Prior eſt pro illis reſpectibus, ſeu priuationibus, & ſic ſunt paſſiones, & diuiſio ſcientiæ. Tunc per illas eſt diuiſio per ſuas paſſiones. Alter eſt, capiuntur pro illis differentijs vltimis, differentijs eſſentialibus illarum ſcientiarum, quæ aliquo modo ſunt principia illarum paſſionum, & diuiſio illa eſt per differentias eſſentiales. Tertius eſt quando capiuntur pro ipſis notitijs, ſeu cognitionibus, & tunc talis diuiſio eſt generis per ſpecies. Verùm emergit dubium quis habitus ſit nobilior, practicus, vel ſpeculatiuus. Pro huius dubij ſolutione aduerte, quod notitia practica pro ſubſtrato, & pro formali, non faciunt ens per ſe vnum, ratio eſt, quia ex abſoluto, & reſpectiuo non fit ens per ſe, at notitia practica pro fundamento eſt qualitas, & notitia abſoluta, &

pro

pro formali, eſt ille duplex reſpectus. His viſis. Dico ad difficultatem præmittendo reſponſionē Franciſci lib.1.d.48. Q.2. vbi ſic dicit. Videtur quod ſpeculatiua ſit nobilior, quia eſt gratia ſui. Deinde ad oppoſitum ſic ait. Dico quod ſecundum Auguſt. ſuper Geneſim, ad deductionem ſuam, quod practica ſit nobilior ſpeculatiua, quia practica eſt gratia alterius, & ita argumentum eſt ad oppoſitum, quod faciunt alij. Sciendum eſt autem. Quod Aug. ſuper Gen. dicit, quod aliquando inferiora ſunt in ſuperioribus, nobiliori modo quam in ſeipſis, ē cōuerſo de ſuperioribus in inferioribus. Sed ſi modo medio aliquid ſit ſecundum aliquid in inferiori, vel in ſe, & ſecūdum aliquid in ſuperiori, vt ordinetur ad ſuperius; melius eſt in ſuperiori, quam in ſe. Secundum patet de anima ſenſitiua in bruto, & in homine, melior, & nobilior eſt in homine, quam in bruto, quia in homine, vel eſt in ſuperiori, vel ordinatur ad ſuperius. Ad propoſitum dico; quod maiorem nobilitatem arguit in ſcientia, ordinari ad nobiliſſimum, quam ipſa ſit, quam eſſe ſui gratia. Theologia ergo, quia ordinatur ad charitatē, quæ eſt nobilior omni alio habitu, conuenit ex hoc nobiliorem eſſe. Hęc Franciſcus. At quamuis hæc ſint benė dicta, cum tamen omnis dependentia pro formali ſemper dicat imperfectionem, Sequitur quod practica, quia ſeruit, ſemper erit imperfectior, vt practica. Dicendum eſt igitur. Scientia duobus modis nobilitari poteſt; vno modo ratione ſubiecti valde perfecti; altero modo quia eſt gratia ſui, & non gratia alterius. Ratione primi, Theologia eſt præſtantior omni ſcientia ſpeculatiua; Ratione autem ſecundi, non in reſpectu, ratione primi, Theologia eſt imperfectior omni ſpeculatiua. Iſta conciliatio deſumitur à Gabriele 12. Q. Prol. vbi ſic ait. Aliquis practicus eſt nobilior ſpeculatiuo, & aliquis ſpeculatiuus eſt nobilior practico ſecundum differentiā obiectorum, & certitudinis; ex quibus arguitur nobilitas actuū, & habituum. Hæc Gabriel. Et nota quod in iſta difficultate loquor de practico, & ſpeculatiuo pro ſubſtrato, & non pro formali. Nam, pro formali capiendo, facile eſſet reſpondere; cum practicum dicat mihi duplicem reſpectum, & ſpeculatiuum pro formali, importet negationem illorum reſpectuum, vt ſuperius oſtendimus. At patet, affirmationem perfectiorem eſſe negatione ſibi correſpondente. Siquidem negatio affirmationem ſemper præſupponit, ſicquė patet, ad præſens dubium ſolutio.

10. *Iacobus.* Scotus 4. Prol. Q. ad D. prope medium dicit. Multa accidentia eiuſdem ſpeciei non poſſunt eſse in eodem ſubiecto. Oppoſitum huius habet Scotus 5. Met. vbi tenet multa accidentia ſolo numero differētia poſse eſse in eodem ſubiecto.

Lucas. Reſp. Pro præſenti difficultate eneruanda, ſequentes concluſiones in via Scoti ſunt notandæ. Prior eſt. Duo accidentia intentionalia ſolo numero differentia non implicat contradictionem eſse in eodem ſubiecto, & ſic patet. In medio ponantur duo alba, oculus exiſtens in qualibet parte medij recipere poteſt illa alba. Similiter in virtute imaginatiua ſunt duæ ſpecies eiuſdem rationis. Altera eſt. Non eſt impoſſibile duo accidentia realia reſpectiua ſolo numero differentia, eſse in eodem ſubiecto; patet de patre habente plures filios, in quo ſunt multæ relationes reales ſcilicet plures paternitates quæ ſunt eiuſdem ſpeciei. Tertia concluſio. Non eſt impoſſibile duo accidentia realia abſoluta, non educta

de potentia materiæ, ſolo numero differentia eſſe in eodem ſubiecto; claret de multis memorijs vnum experimentum generantibus, quæ memoriæ ſunt eiuſdem ſpeciei, & accidentia realia abſoluta, & ſunt in eodem intellectu. Quarta eſt. Non eſt impoſſibile duo accidentia realia abſoluta educta de potentia materiæ (tamen non per motum) differentia ſolo numero eſſe in eodem ſubiecto. Id ſic oſtenditur. Duo lumina diſtincta ſunt in eadem parte medij, & ſunt accidentia realia abſoluta, educta de potentia materię (& ſi non per motum) ergo plura talia accidentia poſſunt eſſe in eodem ſubiecto. Quinta concluſio eſt. Impoſſibile eſt duo accidentia realia abſoluta, educta de potentia materiæ per motum naturalem, ſolo numero differentia eſſe in eodẽ ſubiecto, Huius ratio eſt, quia motus eſt in contrario, & non eſt niſi in mobili diſpoſito. His dictis patet ad contradictionem. Quamuis dici poſſit. 4. Prol. Q. Scotum contra Gotfr. de fontibus arguitiuè ſe habere, vt inſpicienti literam Doctoris patet.

11. *Iacobus.* Scotus 4. Prol. Q. ad D. circa finem ait. Scientia tantum depẽdet à duabus cauſis ſcilicet ab intellectu, & obiecto. Oppoſitum huius habet Scotus. lib. 1. d. 1. Q. 5. in reſponſione ad argumenta primæ quæſtiunculæ, vbi vult. Agens vel mouens non cauſat niſi propter finem. ergo ſcientia quoque erit à fine.

Lucas. Reſp. Huic difficultati quatuor reſponſionibus Franciſci à Lich. ſuper 4. Prol. Q. occurrit, quas conſulere poteris. Adde tu quintam. Scotus 4. Prol. Q. loquitur de cauſis habentibus eſſe reale; Modo cauſa finalis, vt cauſa eſt, tantum habet eſſe cognitum, & diminutum, & non reale. Ex quo ſubdit Paulus, ſolum ſunt tres cauſæ reales; cauſa verò finalis non habet eſſe reale, ſed tantum dicitur realis denominatione extrinſeca, quia effectus eius eſt realis. Et addit. Et ſi cauſa cauſæ intentionalis non ſit perfectiſſima; Modus tamen cauſandi eius eſt nobilior cũ ſpiritualiter cauſet: & ſpiritualius cauſare ſit nobilius, quam cauſare corporaliter. Nota cauſa finalis hic: deſcribitur ab Ariſt. 2. Phiſ. 22. & 2. Met. 7. & 3. Met. 3. & 5. Met. 2. & 12. Met. 23. Cauſa finalis eſt illa, cuius gratia fit quicquid fit, de his quæ ad finem obtinendum ſunt ordinata. Et obſerua: quod eſt finis quo, & gratia cuius. Idquè habetur 2. de Anima 37. finis gratia cuius eſt ipſum obiectum, quod per operationem attingitur, finis quo eſt operatio, qua attingitur obiectũ. Deus eſt finis gratia cuius, intellectio, qua attingimus Deum, eſt finis quo. Finis gratia cuius aliquando per operationẽ producitur, vt compoſitum, quod productione producitur, & iſto modo forma eſt finis generationis, vt dicit Ariſt. 5. Met. 5. Aliquando finis gratia cuius non producitur per operationem, ſed præſupponitur, vt Deus, qui præſupponitur intellectioni qua Deum attingimus.

12. *Iacobus.* Scotus 4. Prol. Q. ad G. dicit. Notitia practica habet quidditatem ſuam, & aptitudinem ab illo fine. Oppoſitum huius habet Scotus pluribus locis, & præcipuè lib. 1. d. 3. Q. 7. lib. 2. d. 1. Q. 1. d. 2. Q. 1. & d. 16. & 25. quibus in locis vult q͂d ſubiectum efficit, & cauſat paſsionem; quomodo ergo notitia non cauſat ſibi ſuam aptitudinẽ? Et tamen dicit Scotus recipit eam ab obiecto.

Lucas. Reſp. Subiectum efficere ſuam paſsionem, & quomodo, notum eſt apud Scotiſtas; & cum in 4. Prol. Q. illius materiæ non ſit locus idcircò, vt plures Scotus locutus eſt. Ruiſus. Notitia immediatè eſt ab obiecto, & ſua

& ſua quoq; aptitudo eſt ab obiecto, ſed ſolum mediatè. Nam immediate eſt à notitia, tanquam à ſuo proprio, & germano ſubiecto.

13. *Iacobus.* Scotus 4. Prol. Q. ad I. dicit. Habitus non ponitur propter ſubſtantiam actus, ſed propter circunſtantiam, ſicut temperantia non ponitur, &c. Idquè firmatur à Scoto lib. 1. d. 17. Q. 2. Potentia eſt quo ſimpliciter poſſumus; habitus verò eſt quo ſic poſſumus. Oppoſitum huius habet Scotus lib. 1. d. 17. Q. 2. vbi impugnat opinionem, quæ volebat ſubſtantiam eſſe à potentia, & intenſionem actus ab habitu; ergo habitus eſt propter ſubſtantiam.

Lucas. Reſp. Aliud eſt conſiderare in actu intenſionem, quæ eſt modus intrinſecus, & aliud eſt conſiderare conditionem accidentalem, moralem; ſubſtãntia actus; modus intrinſecus, non poſſunt fieri à diuerſis, cum id non ſit factibile, ſecundum ſui rationem, ſed ſubſtantia actus, & conditio moralis, benè poſſunt fieri à diuerſis. Dices. Scotus lib. 1. d. 17. Q. 2. ait. Habitus non habet aliquam rationem principij actiui, niſi in quantum habet rationem principij actiui reſpectu ſubſtantiæ actus. Reſp. Scotus ibi paulo ante dixerat, actum moralem pro formali relationem eſſe, ſicquè non poteſt acquiri ratione ſui, ſed ſolum ratione fundamenti. Nam ad relationem non eſt motus 5. Phiſicorum 10. ſicque intelligit Scotus, ſcilicet, habitus eſt tantum principium quãntum ad ſubſtantiam actus, ideſt, quantum ad fundamentum, non autem quantum ad ſuam formalitatem, quæ eſt relatio cum ſit in acquiſibilis.

14. *Iacobus.* Scotus 4. Prol. Q. ad K. dicit. Concluſio practica non reſoluitur in principio ſpeculatiuo. Oppoſitum apparet ſic, & ex conceſſis mille in locis à Scoto. Muſica eſt ſcientia practica. Nam canere eſt praxis, & ſubalternatur Arithmeticę, quæ eſt ſcientia ſpeculatiua, & eius concluſio eſt principium Muſicæ, ergo concluſio practica reſoluitur in principio ſpeculatiuo.

Lucas. Reſp. Scoti dictum habet veritaté de ſubalternante. Nam in ea concluſio practica habet principia proxima practica, & alia principia habent terminos practicos, & ſic in prima ſcientia nunquam deducitur cõcluſio practica ex principijs ſpeculatiuis, non autem habet veritatem de ſcientia ſecunda, ſeu ſubalternata, de qua ibat argumentum. Dices. Hæc concluſio eſt practica. Terra eſt aranda, & tamen reſoluitur immediatè in hanc. Terra eſt dura, quæ eſt ſpeculatiua. Nam ſi quæritur, quare terra eſt aranda? quia eſt dura, ergo concluſio practica reſoluitur in principio ſpeculatiuo. Reſp. Concluſio hęc. Terra eſt aranda, aliam vult reſolutionem, hanc ſcilicet. Durum tritabile eſt arandum, quod eſt principium practicum, ſic pertractato. Omne durum tritabile ferro eſt arandum. Terra eſt durum tritabile, ergo eſt aranda ferro. In hac pertractatione, altera propoſitionum eſt practica, & concluſio practica, cum debiliorem partem ſequatur. Pro his vide Greg. 5. Q. Prol. art. 2.

15. *Iacobus.* Scotus 4. Prol. Q. ad K. dicit (loquẽdo de lumine gloriæ,) eo per impoſſibile circumſcripto, errare poſſent, ſed eo poſito, propter perfectionem eius excluditur omnis error. Ex quibus verbis Scotus ponit lumen gloriæ. Oppoſitum huius habet Scotus vbiquè potiſsimum lib. 3. d. 14. Q. 2. & lib. 1. d. 3. Q. 3. vbi in his locis negat lumen gloriæ.

Lucas. Reſp. Scotus de facto ſemper conceſſit, & tenuit lumen gloriæ, ſolum-

modò id negauit de potentia Dei ſumma, qua potentia ſine tali lumine Deus oſtendere ſe poteſt.

16. *Iacobus.* Scotus 4. Prol. Q. ad L. dicit. Pecuniæ, quæ in phantaſmate pręſentantur, voluntas poteſt elicere circa eas actum liberalitatis. Oppoſitum huius habet Scotus lib. 1. d. 3. Q. 6. vbi ait. Pecuniæ in phantaſmate non poſſunt mouere intellectum, ſed tantum poſſunt mouere, vt ſunt in ſpecie intelligibili.

Lucas. Reſp. Scotus 4. Prol. Q. loquitur ſecundum opinionem Henrici; cumq; non ſit locus proprius illius materiæ, loquitur, vt plures. Rurſus. Pro ſtatu iſto nō poſſunt pecuniæ eſſe præſentes in intellectu, niſi prius fuerint pręſentes in virtute phantaſtica. Vel dic. Quod Scotus per phantaſma intellexit earumdem illud ſit repræſentatiuum.

17. *Iacobus.* Scotus 4. Prol. Q. ad L. dicit. Cauſa nullum eſſe capit à cauſato, nec ex ordine ad ipſum. Oppoſitum huius habet Scotus 9. Q. Quol. & 7. Methaph. Q. 9. vbi dicit. Forma aliquod eſſe capit à cauſato, ſeu compoſito.

Lucas. Reſp. Dictum illud Scoti. Cauſa nihil capit à cauſato, eſt verum de cauſa extrinſeca, ſed non de intrinſeca. Nam cauſa intrinſeca ab effectu capit eſſe ſubſiſtentiæ, vt dicit Scotus 9. Quol. At non capit ab eo aliquid de eſſe eſſentiæ, nec exiſtentiæ, vt patet à Scoto lib. 3. d. 6. Q. 1. & 2. Verùm ſecus eſt ſecundum Henricum, & Thomam, qui volunt; accidentia capere ſubſiſtentiam, & exiſtentiam à ſubiecto, ſed quæ tantum habent eſſe eſſentiæ. Adde. Cauſam capere à cauſato denominationem, ſeu entitatem reſpectiuam.

18. *Iacobus.* Scotus 4. Prol. Q. ad L. & vbique dicit. Dilectio Dei eſt praxis. Oppoſitum huius habet Ariſt. 3. Ethic. cap. 5. vbi dicit. Circa finem eſt velle, non autem electio; & 3. Ethic. Electio inſequitur conſilium, ſed conſilium non eſt de fine, at de his quę ſunt ad finem, ergo videtur quod dilectio Dei non ſit praxis.

Lucas. Reſp. Etſi electio non ſit circa finem in ſe poteſt tamen eſſe circa operationem latam ad finem; ſicque poſſumus eligere diligere, vel non diligere Deum: illaquè operatio, cum ſit contingens, eſt obiectum electionis, vt docet Scotus 4. Prol. reſp. ad 1. princip. Admiſſo etiam, vt ſanitas non eligatur, poteſt tamen eligi velle, vel nolle ſanitatem. Dices. Dilectio Dei meritoria non eſt praxis, quia non eſt in poteſtate noſtra. Nam, vt meritoria, eſt à charitate infuſa, quæ non eſt in poteſtate noſtra. Hoc dubium fit ab Alphunſo contra Scotum 9. Q. Prol. art. 2. cui reſpondendum eſt per vnam propoſitionem Doctoris ſubtilis lib. 3. d. 14. Q. 1. & lib. 4. d. 12. Q. 1. cęcus illuminatus ſupernaturaliter, videt tamen naturaliter, ſic anima noſtra, infuſo ſibi habitu ſupernaturali, habet in poteſtate ſua dilectionem Dei meritoriam ex pacto. Nam Deus pepigit nobiſcum iugiter diſpoſitis dare charitatem, itaquè quiſpiam ſe diſponens in poteſtate ſua habet eam. Dices. Ad actum meritorium vltra charitatem requiritur acceptatio diuina, quę non eſt in poteſtate noſtra. Immo Scotus lib. 3. d. 15. ait. Formale meriti eſt ipſa acceptatio diuina. Reſp. Acceptatio illa ex pacto eſt in poteſtate noſtra; pepigit enim Deus ſe accepturum ſemper, & gratiam largiturum, cum quis ſe diſponit, & pepigit ſemper, acceptare omnem actum, mediantè charitate elicitum.

19. *Iacobus.* Scotus 4. Prol. Q. ad L. in fine. Habet pro inconuenienti, vt detur actus huma-

humanus, qui non ſit practicus, nequè ſpeculatiuus. Oppoſitum cuius eamet Q. ad A. habet Scotus, vbi numerat multos actus, tam ſenſitiuos, quam vegetatiuos, quatenus pręcedant intellectus operationem, qui non ſunt, nec practici, nec ſpeculatiui.

Lucas. Reſp. Hæc difficultas tollitur per verbum illud poſitum in diffinitione praxis. Praxis eſt actus alterius potentię, quam intellectus. At humanus actus eſt in poteſtate hominis, & de iſto loquitur Scotus, qui neceſſario, vel erit praxis, vel ſpeculatio: actus verò ſenſitiui, & vegetatiui non ſunt in poteſtate noſtra. Dices. In via Scoti, velle furari, & non furari, non ſunt praxes, nec ſpeculationes, & tamen ſunt in poteſtate noſtra. Reſp. Scoti dictum. Intelligitur de actibus elicitis, ſecundum dictamen rectæ rationis. Vnde aduerte, actum humanum tribus modis conſiderari poſſe. Prior eſt. Vt diſtinguitur contra actum feralem, ſicq; barbā fricare, & ſimiles actus indiferētes, à Scoto lib. 2. d. 41. actus humani dicuntur. Alter eſt. Sumitur actus humanus pro actu qui eſt in poteſtate noſtra elicitus ſecundum rectam rationem, & tales ſunt praxes, ſi ſint alterius potentiæ, quam intellectus. Tertius modus eſt. Actus humanus accipitur pro ſpeculatione, non directiua in praxim. Paulus vult. Actus humanus eſt ille exiſtens in hominis poteſtate, non dicitur actus humanus, quia conueniat ſoli homini, nam intelligere, & velle conueniunt Angelis, videre, & audire feris conueniunt.

20. *Iacobus.* Scotus 4. Prol. Q. ad L. dicit. Delectatio non eſt praxis, ſed paſſio conſequens naturaliter operationem perfectam, ſiuè ſit delectatio de ſpeculatione, ſiuè de ſpeculato, nulla eſt cognitio practica. Oppoſitum huius habet Auicen. 8. Methaph. cap. 7. vbi ait. Delectatio eſt apprehenſio cōuenientis, ſed apprehendere ſub ratione appetibilis eſt apprehendere conformiter appetitui recto.

Lucas. Reſp. Dictum Auicen. paſſim à Scoto allegatum non debet intelligi formaliter, ſcilicet, quod delectatio ſit illa apprehenſio, at cauſaliter, id eſt delectatio cauſatur ex tali apprehenſione. Dices. Delectatio eſt in poteſtate noſtra, ergo eſt praxis. Reſp. Delectatio eſt in poteſtate noſtra tantum mediatè, ſed non immediatè.

21. *Iacobus.* Scotus 4. Prol. Q. ad M. citans Aug. 12. de Trin. cap. 4. dicit. Portiones animæ, ſuperior, & inferior non diſtinguuntur niſi penes officia, & in vtraque reperitur Trinitas. Oppoſitum huius habet Scotus lib. 1. d. 3. Q. vltima. Vbi vult. Quod imago Trinitatis ſit in actibus primis, vt ſunt ſub ſecundis. Etiam vult. Imaginem eſſe tantum in portione ſuperiori.

Lucas. Reſp. Scotus verè ait. Imaginem non eſſe in actibus primis tantum, nec in ſecundis, at in primis, vt ſubſunt ſecundis, & in ſuperiori portione reperitur imago Trinitatis increatæ, quę imago non poteſt reperiri in portione inferiori, etſi in ea valeat reperiri Trinitas, memoria ſcilicet intellectus, & voluntas. Num autem memoria, & intellectus ſint duę potentiæ in anima diſtinctæ? Scotus lib. 3. d. 23. & lib. 1. d. 3. Q. 9. & lib. 2. d. 16. dicit ſic. Nam memoria, intellectus, & voluntas ſunt tres potentiæ in anima. Dices. Scotus lib. 1. d. 27. & lib. 3. d. 17. & Q. 26. vult. Quod memoria, & intellectus non ſint duæ potentiæ, ſed tantum vna. Nam memoria eſt intellectus in actu primo, quæ apellatur intellectus in actu ſecundo, re vera tamen eſt eadem potentia. Reſp. Memoria, & intellectus ſimpliciter ſunt vna potentia, in quantum

tum vero ſunt partes imaginis dicuntur duæ potentiæ. Nam intellectus ſub ratione memoriæ conſtituit primam partem imaginis, & ſub ratione intellectus, ſiue intelligentiæ conſtituit ſecundam: tamen in ſe eſt eadem potentia quæ pro duabus diuerſimodè accipitur.

22. *Iacobus.* Scotus 4. Prol. Q. ad. M. dicit. In anima noſtra eſt Imago Santiſſimæ Trinitatis. Oppoſitum huius habet Aug. in quoddam ſermone de martiribus. Si ſeruaſſet in ſe bonum, quod in illo creauit Deus, ideſt imaginem &c. Tunc ſic. Homo non habet quod amiſit, & amiſit imaginem Dei, ergo non habet eam.

Lucas. Reſp. Homo non perdidit imaginem quoad potentias, nec quoad actus ſecundos abſolute; at ſolum quo ad actus ſecundos meritorios. vnde quantuncunque malus homo aſpicit æterna, & quo ad intellectum, & voluntatem habet in ſe imaginem. Expende. Portio ſuperior capitur propriè, & communiter: propriè, quando intellectus, & voluntas reſpiciunt immediate æterna; communiter, quando reſpiciunt creatum ens id inferendo ad æternum.

23. *Iacobus.* Scotus 4. Prol. Q. ad N. dicit. Habitus non habens euidentiam ex obiecto non diſtinguitur ſecundum diſtinctionem obiectorum; & habitus Theologiæ non habet euidentiam ex obiecto. Oppoſitum huius habet Scotus in Vniuerſalibus, vbi vult. Obiectum Logicæ dare diſtinctionem, & tamen non dat euidentiam.

Lucas. Reſp. Scotus 4. Prol. Q. loquitur de obiecto theologico reſpectu Theologiæ noſtræ, quæ non habet euidentiam, nec entitatem à ſubiecto. Logica autem, etſi non habeat entitatem à ſuo ſubiecto, habet tamen euidentiam, etſi non reſpectu ſui, tamen reſpectu fundamenti. Nam vt inquit Scotus lib. 4. d. 1. Q. 1. Logica habet entitatem, diſtinctionem, vnitatem, & euidentiam effectiuè ab obiecto motiuo, & ſimiliter habet commenſurationem. Theologia verò, etiam neceſſariorum reuelatorum, non habet aliquod obiectum proximum, vel remotum à quo capiat ſuam euidentiam. Dices. Diſtinctio ab obiecto eſt eſſentialis ſecundum Scotum, ergo & euidentia. Reſp. negando conſequentiam, quoniam ratio motiua obiecti poteſt ſuppleri, ſed non terminatiua, à qua ſcientia capit diſtinctionem & iſta ratio terminatiua eſt eſſentialis obiecto, motiua autem accidentalis, vt videre eſt apud Scotum lib. 3. d. 15. ſoluendo principalia.

24. *Iacobus.* Scotus 4. Prol. Q. ad O. dicit. Primũ ſubiectũ Theologiæ eſt virtualiter cõforme volitioni rectę, ideſt virtualiter practicum. Oppoſitum huius habet ibidem parum infra, vbi vult. Quod cognitio de fine ſit formaliter practica. Quomodo igitur virtualiter?

Lucas. Reſp. In via Scoti, hæc quæ ſubinferam vera ſunt. Notitia ſubiecti eſt virtualiter conformis, ſeu practica. Notitia principiorum immediatorum practicorum eſt formaliter practica, remotè tamen, ſeu mediatè. Notitia concluſionis practicæ eſt formaliter, & proximè practica. Seu aliter, & ſic. Notitia incõplexa eſt virtualiter practica remotè. Notitia principorum eſt virtualiter practica proximè. Notitia concluſionis eſt formaliter practica: ex his patet ad contradictionem. Et ad quoddã argumentũ Gregorij, quod eſt tale. Omnis notitia practica affirmat, vel negat aliquid circa qualitatem operationis, ſed notitia incomplexa non eſt huiuſmodi, ergo &c. Ad maiorem dicatur quod eſt vera de notitia practica formaliter. Dices. In via Scoti idem

eſt

eſt eſſe practicum, & eſſe directiuum, ſed notitia incomplexa non eſt directiua, ergo non eſt practica. Reſp. Eo modo quo eſt practica, eſt & directiua; at virtualiter eſt practica, ita virtualiter directiua. Dices amplius. Si notitia obiecti dirigit ſaltem virtualiter in dilectionem ſui, omnis notitia tunc eſſet practica, ſicque notitia obiecti Methap. & obiectorum aliarum ſcientiarum eſſet practica. Reſp. De eodem ſub alia, & alia ratione poteſt eſſe ſcientia practica, & ſpeculatiua, ſecundum diuerſas conſiderationes, vt de Deo ſi contempletur prima cauſa, independens perfectiſſimum, habetur ſcientia ſpeculatiua, ſi autem cōſideretur ſub ratione ſummi diligibilis habetur ſciētia practica, de alijs ita dicatur. Amplius inſtabis. Notitia Dei ſub ratione Deitatis eſt ne virtualiter practica, vel ſpeculatiua? Reſp. Ego puto, hęc notitia incomplexa Dei, ſcilicet ſub ratione Deitatis, in quantum continet virtualiter has propoſitiones. Deus eſt prima cauſa. Deus eſt indepedens, &c. Eſt virtualiter ſpeculatiua, in quantum verò continet has. Deus eſt ſummum bonum, ſummum diligibile, ſummum adorandum, &c. Eſt virtualiter practica. Replicabis: ergo eadem notitia eſt practica, & ſpeculatiua, quod eſt inconueniens. Dico. Eſt inconueniens quod notitia formaliter practica ſit formaliter ſpeculatiua, at virtualiter practica poteſt eſſe virtualiter ſpeculatiua per comparationem ad diuerſa, vt dictum eſt. Rurſus. Notitia incomplexa Dei ſub ratione Deitatis, in quantum ponitur ſubiectum in Theologia, dicitur practica virtualiter, ſed notitia eiuſdem Dei incomplexa, eo modo quo ponitur ſubiectum in Methaph. dicitur virtualiter ſpeculatiua, idque dicendum proportionaliter de obiectis aliarum ſcientiarum. Notitiæ poſſunt eſſe de eis ſecundum diuerſas conſiderationes, nec habeo pro inconuenienti, de quocunque obiecto reſpectu cuiuſcunque ſcientiæ, quod diuerſarum concluſionum elicibilium de eo non poſſit eius incomplexa notitia virtualiter eſſe practica, & virtualiter ſpeculatiua; per inde ſubiectum taliter ſe habeat, quod ſibi non repugnet virtualiter continere: patet ſic: notitia incomplexa diſtincta hominis virtualiter cōtinet hanc, ſcilicet. Homo eſt riſibilis, & iſtam. Homo eſt beatificabilis. Altera tamen eſt ſpeculatiaua, & altera practica. Muſica eſt practica, & tamen reſoluitur in Arithmeticam, quæ eſt ſpeculatiua, cum ſit ſibi ſubalternata; itaquè ſubiectum ſubalternātis ſaltem virtualiter remotè continere concluſionem ſubalternatę, quæ eſt practica; ſimiliter dicatur de Perſpectiua reſpectu Geomet. Dices tandem. Quomodo obiectum poteſt eſſe virtualiter conforme, & virtualiter dare rectitudinem, vt dicit Scotus 4. Prol. Q. Cum Theologia noſtra neceſſariorum non habeat euidentiam ex obiecto? Reſp. Scotus dum ait. Obiectum eſt virtualiter conforme, loquitur abſolutè de intellectu creato non ſe determinando ad intellectum viatoris, vel comprehenſoris; ſicque habet veritatem in intellectu beato creato. Etſi inſtes ex 14. Quol. apud Scotum. Obiectum, ſiue Eſſentia non mouet intellectum beatum, ergo non poterit virtualiter eſſe conforme. Dico. Voluntas ſupplet pro Eſſentia. Nam eſſentia volens, ſiue Deus volens, eſt id quod mouet. Etſi dubites, Eſſentia diuina, vt hæc, eſt ſubiectum in Theologia, at vt ſic, eſt ens maximè ſpeculabile. Huius difficultatis, quæ eſt Thomæ Anglici reſp. quære. Si denuo ex Anglico dicas. Fruitio non eſt in noſtra poteſtate, itaquè non eſt praxis. Neges id quod aſſumitur.

25. *Iacobus.* Scotus 4. Prol. Q. ad O. dicit. Si actus fruitionis, ſeu dilectionis eliceretur circa vnam perſonam, excludendo alias, ſicut infideles elicerent, eſſet actus non rectus. Oppoſitum huius habet Scotus lib. 1. Q. 2. ad A. vbi vult. Quod poſſumus frui vna perſona, non fruendo alia.

Lucas. Reſp. In via Scoti clarum eſt vnam perſonam, ſine alterius fruitione frui poſſe. At id contingere poteſt duobus modis, actualiter, ſeu habitualiter; actualiter verum eſt, idquè ſenſit Scotus lib. 2. Q. 1. d. 1. Quod conceditur ab omnibus ſcotiſtis; habitualiter verò non poteſt frui vna perſona ſine alia, & hoc dixit Scotus 4. Prol. Q. Nam ſi ſic frueretur altera ſine altera, actus non eſſet rectus.

26. *Iacobus.* Scotus 4. Prol. Q. ad O. dicit. Hæ propoſitiones, Deus eſt Trinus, pater generat, & ſimiles, virtualiter includunt notitiam dilectionis. Oppoſitum huius habet Scotus hic in principio reſp. ad Q. vbi vult. Quod obiectum ſit illud, quod continet virtualiter notitiam, ergo non erunt concluſiones, ſeu propoſitiones, illæ virtualiter continentes notitiam rectitudinis.

Lucas. Reſp. Obiectum, ſeu Deus virtualiter continet notitiam rectitudinis originatiuè; illæ autem propoſitiones continent virtualiter terminatiuè. Aut dicas. Scotus non dicit quod illæ veritates contineant, ſed dicit quod includunt, & id verum eſt. Si dicas ergo formaliter includunt, & non virtualiter. Dico. Litera Scoti ſic debet intelligi. Iſta propoſitio. Deus eſt Trinus, includit notitiam, quæ eſt virtualiter directiua, & hic eſt ſenſus verus. Dices amplius. Si hæ veritates, Deus eſt Trinus, pater generat, includũt virtualiter notitiam dilectionis, ideſt, ſunt practicæ, ergo, quæcunque notitia de Deo Phiſica, ſeu Methaphiſica, ſeu quęuis alia erit practica, cuius tamen oppoſitum tuetur Scotus. Conſequentia patet. Nam Deus eſt ens ſummè perfectum, actus purus, infinitus, &c. Sunt perfectiones Methaphicæ, & ita benè virtualiter includunt notitiam rectitudinis tendentis in Deum, vti illæ Deus eſt Trinus, etc. Preterea Angelus eſt naturę intellectualis, Angelus eſt creatura, Cęlum eſt cauſa generationis plantarum, eſſent propoſitiones practicę, quas ſic nullus verè intelligens diceret. Conſequentia patet. Nam prima, ita virtualiter continet notitiam rectitudinis dilectionis tendentis in Angelum, ſicut illa. Deus eſt Trinus, continet notitiam rectitudinis tendentis in Deum. Vnde per primam poſſum ſcire Angelum eſſe magis diligendum, quam aſinum, & per ſecundam, quod eſt minus diligendus, quam Deus, & per tertiam, quod Cęlum eſt magis diligendum, quam plumbũ. Reſp. Nego quod aliqua illarum propoſitionum ſpeculatiuarum contineat notitiam rectitudinis dilectionis eo modo, quo dilectio eſt operatio theologica, quamuis poſſit cõtinere notitiam rectitudinis, quæ non ſit theologica. Hinc expende. Quod dilectio theologica, niſi obex ponatur, aut eſt meritoria, aut eſt fruitio in particulari, ſequens claram Dei viſionem, quod non contingit de dilectione tendente in Deum, quę tantum ſequitur cognitionem naturalem, ſeu Methaphiſicam ipſius Dei. Vnde notitia theologica docet Deum diligere ex toto corde, & tota mente, &c. Et proximum ſicut ſe ipſum, quod non facit notitia Methaph. de Deo. Dices rurſus. Dilectioni illi inſequenti notitiam Methaph. ſibi contingit diffinitio praxis aſſignata à Scoto in principio Q. 4. Prol. vt patet, diligenter examinando particulas illius diffinitionis, ergo eædem propoſitiones Methaph. erunt ve-

rè practicę. Reſp. Scotus in initio Q. 4. Prol. diffiniuit praxim in communi,& nō tantum praxim theologicam,& ex eo patet quia eam diffiniuit ex fundamentis Ariſt. Adiunges. Saltim illa cognitio Methaphiſica eſt apta nata dirigere ſecundū dilectionem ſibi proportionatam, & ſic, adhuc remanebit ſcientia practica, quod proportionabiliter poteſt dici de ſubſtantijs aliarum ſcientiarum ſpeculatiuarum. Reſp. Methaphiſica, vt eſt ſcientia de Deo, & ordinatur ad dilectionem proportionatam dirigendam, iam non eſt Methaphiſica, ſed Ethica, ſeu moralis, quæ docet Deum eſſe colendum. Replicabis. Ex data reſponſione ſequitur, quod ſcientia eſſet practica à fine,non ab obiecto, quod eſt contra Scotum 4. Prol. Q. Nam obiectum Methaphiſicum, quantum eſt ex ſe,virtualiter continet notitiam Methaphiſicam, virtualiter directiuam in dilectionem ſibi proportionatam. Dico. Dilectio illa Methaphiſica eſt quędam naturalis complacentia,& vt talis, non aliquis actus elicitus liberè à voluntate; ſtatim enim, vt liberè elicitur inſequitur cognitionem moralem, ſicquè patet ad pręſentem difficultatem.

27.*Iacobus.* Scotus 4. Prol. Q. ad P. dicit. Theologia autem eſt magis propriè de perſonalibus, quam de eſſentialibus, quia eſſentialia plurima poſſunt à nobis cognoſci in Methaphiſica. Oppoſitum tamen huius habet Scotus lib. 3. d. 25. Q. 1. ad B. vbi ponit quatuordecim articulos fidei, ſeptem ad intra, ideſt non ratione naturę aſſumptæ, & ſeptem ratione naturæ aſſumptæ. Inter illos ſeptem, qui ſunt non ratione naturæ aſſumptæ, quatuor ſunt eſſentiales, & tres ſunt notionales, ergo videtur quod magis de eſſentialibus ſit, quam de notionalibus, ideſt perſonalibus.

Lucas. Reſp. Scoti dictum 4. Prol. Q. vt ipſemet innuit, ſic debet intelligi. Methaphiſicus via naturali multa cognouit de Deo eſſentialia, vt, quod eſt independens optimum, infinitum, &c. De perſonalibus nullum penitus cognouit, idcirco dicitur, quod Theologia magis eſt de perſonalibus, non quin cognoſcat Theologus multo plura eſſentialia, quam notionalia, appropriatè tamen dicitur eſſe de perſonalibus ob dictam cauſam. Rurſus. Primum, & potiſſimum, quod ſit in fide noſtra, & circa quod principalius debeat verſari Theologus, eſt Myſterium Sanctiſſimæ Trinitatis. Quod Verbum neceſſario præcedit notionalia, ideo fortè, Theologia (dicit Scotus) eſt magis propriè de perſonalibus, quam de eſſentialibus. Expende. Quædam eſſentialia ſunt, quæ cognoſcuntur tam à Methaphiſico, quam à Theologo, vt ens ęternum, neceſſarium, &c. Quædam ſunt, quæ tantum cognoſcuntur à Theologo, & illa dicuntur ſibi propria, vt creare, iuſtificare, &c. Perſonalia verò proprijſſimè dicuntur. Quorum cognitio (dicit Scotus) eſt perfectior, quam ſit quęcunquè cognitio, quæ de Deo poſſit haberi à Methaphiſico. Quod dictum quomodo intelligatur, alibi oſtendimus 1. ſcilicet Prol. Q. ratione tertia contra Philoſophos.

28.*Iacobus.* Scotus 4.Prol.Q. ad P. Concedit ordinem naturalem in diuinis his verbis. In intellectu ſuo natum eſt primum obiectum Theologicum,quaſi gignere notitiam conformem volitioni rectæ, priorē naturaliter ipſa volitione, & ſubdit. Prius naturaliter intellectus intelligit obiectum primum, quam voluntas velit illud. Oppoſitum huius colligitur ex doctrina Scoti, vbique. Nam prioritas naturæ eſt quando prius poteſt eſſe ſine poſteriori; modo, nec eſſentia poteſt eſſe ſine intellectu,

nec intellectus ſine voluntate in Deo, ergo non videtur eſſe huiuſmodi prioritas naturæ.

Lucas. Reſp. Prioritas naturæ duobus modis poteſt capi, vno modo vt eſt inter prius & poſterius diſtincta realiter, vel vbi eſt dependentia, & hæc prioritas notat imperfectionem, in Deo non poteſt reperiri, alio modo, vt prioritas naturæ eſt præſuppoſitio huius ab hoc, & hoc pacto ponitur prioritas naturæ in Deo, vt dicit Scotus 4. Prol. Q. & lib. 3. d. 1. Q. 1. & 1. & 14. Q. Quolib. Expende. Ordo naturæ quandoque in via Scoti confunditur, & capitur pro ordine originis, vt habetur. d. 6. lib. 1. & 12. Q. 2. & ordo naturæ eſt in diuinis, non ſolum comparando primum ſignum naturæ ad ſecundum, vt totam productionem ad intra, ad totam productionem ad extra: de quibus mentionem habet Scotus lib. 2. d. 1. ſed quoque eſt ordo naturæ in vnoquoque illorum ſignorum, vt prius natura producitur Filius, quam Spiritus ſanctus, & prius natura producitur lapis in eſſe cognito, quam in eſſe volito.

29\. *Iacobus.* Scotus 4. Prol. Q. ad P. dicit. Igitur prius naturaliter volitione intellectus poteſt habere omnem notitiam ſufficienter, virtualiter incluſam in intellectione primi obiecti: talis eſt quæcunque notitia neceſſaria de primo obiecto, &c. Ex quo videtur velle, quod notitia notionalium, & obiectorum ſecundariorum, vt rerum viſarum in Verbo, præcedat omnem volitionem diuinam. Oppoſitum huius habet Scotus vbique, potiſſimum, 1. Q. Quol. vbi vult eſſentialia immediatiora eſſe Eſſentiæ, & præcedere notionalia.

Lucas. Reſp. Pro hac ſedanda difficultate, notandum. Reſpectu obiecti primarij, & ſecundarij, eſt tantum vnum intelligere, ſimiliter vnicum velle, quæ per diuerſos reſpectus rationis tranſeunt ſuper diuerſa obiecta, & intelligere ſimpliciter eſſentiæ præcedit velle ſimpliciter, & intelligere; vt per vnum reſpectum rationis tranſit ſuper vnum obiectum ſecundarium, præcedit velle ſibi proportionatum, ſcilicet quod per vnum reſpectum rationis tranſit ſuper illud met obiectum, neq; dicatur ſemper proportionabiliter, idque intendit Scotus 4. Q. Prol. id eſt. intelligere præcedit, & conſequenter habet reſpectum prioritatis, qui eſt vna conditio requiſita ad notitiam practicam. Dices Scotus 14. Quol. art. 2. dicit. Obiectum diuinum ordine quodam naturali mouet intellectum diuinum, primò ad intellectionem actualem ſui, ſecundò mouet ipſum ad actualem notitiam geniti ſui. Additque; hanc ſequitur motio voluntatis, & hæc eſt duplex, ſcilicet ad amare ſimplex, & etiam ad amorem procedentem, &c. Ergo ſecundum Scotum. ibi eſt iſte ordo, intelligere eſſentiale, generare, & volitio eſſentialis, tertio loco, & ſpirare in quarto. Ergo notionale præcedit eſſentiale ad intra, quod eſt contra determinata. Reſp. Scotus 14. Quol. aſſignat duas origines completas, vnam ad intra, & aliam ad extra; & ibi vult, quod totus ordo originis ad intra præcidit totū ordinē originis ad extra, & eo loci ſibi ſufficiebat, quod volitio eſſētialis, & ſpirare, præcederent notitiam lapidis, & ibi dicere non intendebat, de præceſſione eorum, quę ſunt ad intra inter ſe, at quod omnia ad intra, id eſt, quæ ſunt in primo ordine originis præcedunt omnia, quæ ſunt in ſecūdo ordine originis, quæ in reſpectiuo ſermone dicuntur ad extra.

30\. *Iacobus.* Scotus 4. Prol. Q. ad Q. videtur dicere, quòd Theologia neceſſariorum, in intellectu diuino ſit practica. Oppoſitum huius habet eamet. Q. 4.

Prol.

Prol. parum infra ad R. vbi dicit Theologiam non eſſe practicam, ſcilicet neceſſariorum, in intellectu diuino.

Lucas. Reſp. Scotus 4. Prologi Q. Quid ſit de Theologia neceſſariorum in intellectu diuino, loquitur ſub diſiunctione, an ſit practica, vel ſpeculatiua, & non ſe determinat. Dubius enim, & problematicus eſt de hac re. Quæres; Quis horum modorum eſt magis ad mentem Scotis? Lychetus ſic dicit. Notitia practica tria reſpicit. Primum quod ſit prior praxi, ſecundum, quod ſit conformis, tertium, quod potentia practicans ſit regulabilis, ſicque ſecundum hunc modum dicendi, Theologia Dei de neceſſarijs non eſt practica. Petrus Tart. Q. 2. art. 2. Dub. 3. in Porph. tenet. Theologiam neceſſariorum in intellectu diuino eſſe praticam. Franc. lib. 1. D. 48. Q. 2. tenet abſolutè quod eſt practica. Baſolus 4. Prol. Q. tenet Theologiam neceſſariorum in intellectu viatoris eſſe practicam; ſed in intellectu diuino, & in intellectu beato creato, ponit ſimpliciter, quod ſit ſpeculatiua; hoc fundamento. Ad notitiam practicam requiritur, quod potentia practicans poſſit errare, quod non contingit de voluntate Dei, nec de voluntate alicuius beati; ſicque in intellectu creato beato, ponitur ſimpliciter quod ſit ſpeculatiua. Sed quid ſentit Scotus? Dicitur, ſcilicet, ſe id determinare in 3. D. 36. vbi dicit ſic. Quando igitur dicitur concors, vt actum eſt in 1. in Q. de Theologia practica, & ſpeculatiua, debet intelligi. 1. conformatiua praxis ſibi ipſi; hoc eſt, quod debet eſſe talis cognitio, cui quātum eſt ex ſe praxis recta debet conformari; & talis cognitio eſt prudentia, ſiue in eodem dictante ſequatur electio, ſiue non. Hæc Scotus, ex quo aliqui inferunt, quod Scotus ſe ibi determinat, & ſufficit quod notitia practica ſit dictatiua, ſiue actu dictet, ſiue non. Ego vero putarem quod notitia practica ad duo poteſt comparari, ad praxim ſcilicet, & ad potentiam practicantem: ibi ſe determinat quod ſiue ſequatur praxis, ſiue non, ſemper illa notitia dictatiua erit practica; Idque vult etiam Scotus 4. Prol. Q. At non ſe determinat lib. 3. comparando notitiam practicam ad potentiam practicantem, quod eſt præſens difficultas. Certò ſe determinat Scotus, quod non eſt neceſſe praxim, & notitiam practicam eſſe in eodem ſuppoſito, ideo notitia in intellectū diuino; quod ab Angelo mouendum eſt cœlum, eſt practica, quia non requiritur, quod ſint in eodem ſuppoſito. Sed circa aliam difficultatem. Si Theologia neceſſariorum ſit practica in intellectu diuino, non ſe determinauit, ſi benè ponderetur litera Scoti lib. 3. Itaquod in hoc ſemper Scotus fuit dubius. Dices. Scotus lib. 3. d. 37. habet hæc verba. Et ita eſſet in Deo ponere rationem ſcientię practicę, quod negatum eſt in primo, ergo videtur, quod ſe determinet, quod non ſit practica. Hoc nihil eſt. Quoniam. quando Scotus protulit hęc verba, vt patet ibi, loquebatur de Theologia contingentium, & de illa clarum eſt in 4. Prol. Q. Quod eſt tantum ſpeculatiua. Aut dic. Quod Scotus eo loci loquitur ad hominem, arguit enim ibi contra Thomā. Sicq; patet, quod Scotus ſemper remanſit anxius, & dubius circa hoc. Teneas ergo hanc concluſionem diſiunctiuam, vt tenet Paulus, & Vigerius. Licet ipſe videatur aliquantiſper declinare, quod ſit practica. Idque determinate tenet Petrus Tart., ſcilicet, quod non requiritur, quod potentia practicans ſit regulabilis. Hæc enim ſunt, quæ tenent diuerſi Scotiſtæ. Tu verò teneas quod vis; cum apud Scotum hoc ſit problematicum.

31. *Iacobus.* Scotus 4. Prol. Q. Reſp. ad quæſtionem, dicit. Scientia practica eſt ſic practica ab obiecto, & cum hoc debet aſpicere potentiam dirigibilē. Oppoſitum patet ſic. Nam ſi Theologia eſt ab obiecto practica, ergo abſque reſpiciat potentiam dirigibilem.

Lucas. Reſp. Scotus 4. Prol. Q. dat duos modos dicendi; quomodo Theologia neceſſariorũ poſſit dici in intellectu diuino practica, vel ſpeculatiua; & tenenti, quod ille duplex reſpectus ſufficiat ad notitiam practicam, ſcilicet, quod ſit prior praxi, & conformis. Tunc dicitur, quod eſt practica. tenenti autem, quod vltra hoc requiratur, quod potentia practicans ſit dirigibilis, dicat conſequenter: & ſic non eſt in hoc arguendũs Scotus, vt fecit. Thom. Angl. ſic dicens. Cum ſecundum Scotum ſcientia ſit practica ab obiecto, ergo ab obiecto theologico erit practica, vel ſpeculatiua abſque hoc, quod reſpiciat potentiam dirigibilem, vel non. Et expende, quod idem Angl. dicit differentiam illam inter notitiam oſtenſiuam, & directiuam poſitam à Scoto 4. Prol. eſſe chimericam. nam per id ſolum, quod aliquid bonum alicui oſtenditur; per hoc ſolum ille ſufficienter dirigitur: nihil enim facit dans alij conſilium, niſi oſtendere ei quod eſt melius agendum, & iſta oſtenſio ſufficienter dirigit. Nec etiam viſu dirigens videntem aliquid aliud facit niſi oſtendere locum, quò eſt eundum, & tamen viſus dicitur dirigere. Si hæc impugnatio aliquid valeret, probaret omnem ſcientiā eſſe practicam, & nullam ſpeculatiuam, vt omnis ſit oſtenſiua ſubiecti, & per illud directiua, & oſtenſiua, ergo omnis eſſet practica. Reſpond. igitur, eſſe notitiam oſtenſiuam dupliciter, primo quid ſit ſubiectum, & quale præciſè, vel quomodo circa tale obiectum ſit operandum; hæcque oſtenſiua eſt quoque directiua, & practica, ſed non oſtenſiua prima.

32. *Iacobus.* Scotus 4. Prol. ad S. Videtur concludere non eſſe neceſſariam praxim, & notitiam practicam eſſe in eodem ſuppoſito; Id quoque habet lib. 3. d. 36. Oppoſitum habet Scotus lib. 1. d. 38. ad A. vbi dicit. Cognitio autem non ponitur practica in aliquo, vt eſt eius, niſi reſpectu praxis, quæ eſt in poteſtate eius. Ex quibus verbis videtur velle requiri, quod notitia practica, & praxis ſint in eodem ſuppoſito.

Lucas. Reſp. An notitia practica, & praxis ſint eiuſdem ſuppoſiti, vel ne, in via Sco. ſemper problema fuit. Nam d. 36. vno modo, & d. 38. alio modo ait. At 4. Prol. vbi eſt locus proprius materiæ videtur, declinare ad illam partem, quod non requiratur, vt notitia practica, & praxis ſint in eodem ſuppoſito; ſic hæc pars videtur ex hoc magis probabilis & præcipuè, quia Sco. d. 38. modicum antequam proferret illam propoſitionem. In eodem eſt praxis, & notitia practica. dicit ſic. Nunc aliqua applicando ad propoſitum, poteſt dici, &c. Dico ergo ex illo verbo, poteſt, quòd protulit illam propoſitionem ſecundum communem viam, quæ ſic tenebat, & non ex mente propria.

33. *Iacobus.* Scotus 4. Prol. ad T. dicit. Ab Angelo mouendum eſt cœlum, eſt propoſitio practica. Oppoſitum patet ratione. Si eſt propoſitio practica, quomodo à Phiſico, & Metaphiſico ſpeculabilia tractantibus tantum conſideratur?

Lucas. Reſp. Aliquid dicitur practicum, & ſpeculatiuum bifariam, extrinſecè quando ſcilicet illud cognoſcitur in alio, ſicut res cognita in Eſſentia diuina eſt practica extrinſecè, quia cognita cum Eſſentia eſt practica,

Ideo

Ideo eadem notitia eſt practica, & ſpeculatiua ſecundum diuerſos modos cognoſcendi. Intrinſecè verò, quia quantum eſt ex ſe in genere ſuo eſt ſpeculatiua, ſicut Angelus mouet cœlum, eſt ſpeculatiua phiſicè, quia vt ſic conſideratur in genere proprio; eſt autem practica, & cognita á theologo lumine fidei. Rurſus. Angelus mouet quadam neceſſitate naturali ſecundum Ariſt. ideo illa motio eſt praxis, nec conſequenter illa notitia eſt practica. At ſecundum Theologos, non ſic mouet; ſicque motio eſt praxis, & notitia eſt practica. Scotus autem 4. Prol. loquitur ad Theologos, non ad Philoſophos.

34. *Iacobus.* Sco. 4. Prol. ad T. ait. Omnes veritates de voluntate diuina neceſſariæ ſunt practicæ. Oppoſitum habet in eadem Quæſt. ad Q. contrarium ponens.

Lucas. Reſp. Sco. ſic debet intelligi, ſunt practicæ, vt ſunt in intellectu creato. Sed quid de intellectu diuino? Dico, Si notitia practica requirat potentiam practicamtem regulabilem, tales veritates in intellectu diuino ſunt ſpeculatiuæ. Si verò hoc non requiritur, ſunt practicę. Et ſemper fuit problema apud Scotum de Theologia neceſſariorum in intellectu diuino ſi ſit practica, vel ſpeculatiua. In intellectu verò creato clarum eſt, quòd ſunt practicæ.

35. *Iacobus.* Scotus 4. Prol. Q. ad Bb. videtur velle. Quod ſẽtitiua hominis eſt nobilior ſentitiua bruti, ex quo ordinatur ad intellectiuam. Ex hoc videtur ſequi, quod ſenſitiua ſit formaliter in homine, & realiter diſtincta ab intellectiua. Oppoſitum huius habet lib. 2. d. 15. vbi vult. Quod anima ſenſitiua non diſtinguitur in homine ab intellectiua eſſentialiter, & & quod ſit tantum in homine virtualiter.

Lucas. Reſp. Circa id, ſcilicet, quod Anima ſenſitiua ſit formaliter in homine, & ab intellectiua diſtincta realiter ſunt duæ oppiniones. Altera eſt Occam lib. 4. d. 10. diff. 1. & Quol. 3. Q. 13. Vbi ex profeſſo tenet, quod ſenſitiua ſit in homine formaliter, realiter diſtincta ab intellectiua. Altera eſt opinio Scoti loco citato, vbi totum oppoſitum tenet alterius opinionis, cum quo ſunt plures Theologi, vt videre eſt. Et ad illud 4. Q. Prol dicitur, quod non eſt locus detererminandi hanc materiam, vel exémplariter eſt locutus, & ab exemplis non deſumitur auctoritas.

36. *Iacobus.* Scotus 4. Prol. Q. ad E. dicit. Ad primum dico, quod non poteſt eſſe circa idem obiectum habitus practicus, & ſpeculatiuus. Oppoſitum patet. Nam de Deo eſt Theologia, Methaphiſica, & Phiſica, ergo circa idem eſt habitus practicus, & ſpeculatiuus.

Lucas. Reſp. Paulus ſuper hanc Q. dicit. Dictum Scoti habere veritatem de obiecto complexo, ſed non de incomplexo; eadem enim concluſio non poteſt eſſe practica, & ſpeculatiua. Adde tu, quod etiam de obiecto complexo habet veritatem eodem modo conſiderato; idque eſt quod cõmuniter dicunt ſcotiſtæ, quod eſt verum circa idem obiectum formale, ſed non circa idem obiectum materiale, quia circa tale benè poteſt eſſe habitus practicus, & ſpeculatiuus.

37. *Iacobus.* Scotus 4. Prol. Q. ad E. dicit. Speculatiuum, & practicum, ſunt differentiæ eſſentiales habituum, & actuum. Oppoſitum huius habet Scotus eamet Q. ad D. vbi ponit Practicum, & ſpeculatiuum differentias accidentales.

Lucas. Reſp. Vigerius ſic dicit. Speculatiuum, & practicum ſunt prædicata ſecundi

cendi, ideo dicuntur differentiæ eſſentiales, quia eas nobis circunloquuntur. Lychetus ait. Dicuntur eſſentiales, quia ſequuntur eſſentiam, ſiuè naturam, non tamen ſunt differentiæ eſſentiales, cum ſint prædicata ſecundi modi. Adde tertio, & magis ad propoſitum literæ Scoti, ſic dicentis. Speculatiuum, & practicum ſunt differentiæ accidentales intellectus, licet ſint eſſentiales habituum, & actuum. Ex quo colligitur, quod Scotus loquitur reſpectiuè, & vult dicere, quod reſpectu actuum, & habituum ſunt differentię eſſentiales, ideſt non ita accidentales, vt ſunt reſpectu intellectus, quoniam in intellectu ſunt accidentia cõmunia ſeparabilia, ſed reſpectu actuum, & habituum ſunt paſſiones, & ideo intellectus poteſt tranſire à practico, in ſpeculatiuũ, & è contra, ſicut lignum ab albo ad nigrum: non ſic autem actus, & habitus, cum reſpectu eorum ſint paſſiones, ſed extenditur notitia ad hunc ſenſum, quod ſua extenſio eſt ſua directiuitas, ſeu ſua regulabilitas. Antonius And. 6. Methaph. Q. 2. inquit. Practicum, & ſpeculatiuum poſſunt accipi dupliciter. Vno modo, vt practicum dicit illum duplicem reſpectum conformitatis, & proprietatis naturalis, & ſpeculatiuum dicit priuationem illius duplicis reſpectus. Secundo modo, pro ratione intrinſeca illius notitiæ, quę eſt ratio fundandi illum duplicem reſpectum in practico, & negationem in ſpeculatiuo. Tunc dico. Primo modo non ſunt differentiæ eſſentiales, at benè ſecundo modo. Idquè eſt optimum concilium.

38. *Iacobus.* Scotus 4. Prol. Q. ad H. dicit. Medicina alia ſpeculatiua, & alia practica. Oppoſitum huius habet Auicennas aſſerens Medicinam ſpeculatiuam.

Lucas. Reſp. In via Scoti verum eſt dicere. Medicinam ſimpliciter practicam, & ſecundum quid ſpeculatiuam eſſe, ſcilicet in quadam comparatione; ſicque debet gloſari Auicen. Quod ſit Theorica in reſpectiuo ſermone, vt illa Medicina, quæ non eſt de curis, ſi comparatur ad illam, quę eſt de curis, dicitur Theorica reſpectiuè, vt patet. Dices. An Theorica ſit ars. Aliquibus videtur quod non, quia non eſt factiua. Dico tamen. Quod eſt factiua remotè, ſi non propinquè.

39. *Iacobus.* Scotus 4. Prol. Q. ad H. dicit. Falſum eſt, quod à fine, vt finis eſt, vt diſtinguitur contra obiectum, accipiatur primo bonitas actus moralis; & idem habet 17. primi, & lib. 2. d. 7. vbi vult. Circunſtantiam obiecti eſſe primam à qua primo actus dicitur bonus. Oppoſitum huius habet Scotus 18. Quol. vbi dicit. Prima bonitas videtur eſſe circunſtantia finis, quia ex natura agentis, & actionis, & obiecti ſtatim concluditur, quod talis actus non deberet competere tali, niſi in ordine ad talem finem, & debet eligi, & appetit propter talem finem. Et iſta circunſtantia non eſt ipſius actus, vt in eſſe reali poſiti, vel non præciſe ſic, ſed eſt ipſius actus voliti, & per actum voluntatis ad talem finem relati, imo non minus eſt electio bona, quę ſit per finem debitum; eſtò quod per actum illum elicitum extra non attingatur finis dilectionis, quam ſi attingeretur. Hęc Scotus. Ex quibus verbis habes, quod prima circunſtantia eſt circunſtantia finis, non obiecti.

Lucas. Reſp. Finis eſt prima circunſtantia, vbi coincidit cum obiecto, ſed non vbi diſtinguuntur. At hoc non poteſt ſtare. Quoniam Scotus 18. Quol. poſtquam enumerauit circunſtantiam obiecti, ſtatim poſuit circunſtantiam finis, & eam dixit eſſe primam, vt diſtinguitur contra circun-

cunſtantiam obiecti. Ideo dicitur aliter, quod circunſtantia finis, vt diſtinguitur contra circunſtantiam obiecti eſt prima primitate perfectionis, & circunſtantia obiecti eſt prima primitate naturæ, ſiue generationis. Iuxta illud 9. Methaph. t. 15. Priora generatione ſunt poſteriora perfectione. Poteris etiam reſpondere ex Scoto ibidem, ſcilicet 18. Quol. vbi dicit. Circunſtantia obiecti eſt purè potentialis ad alias circunſtantias, aliæ verò circunſtantiæ ſunt differentiæ. Dum ergo ait. Quod prima bonitas actus moralis eſt à fine, verum eſt inter circunſtantias ſe tenentes ex parte differentiarum. Dum autem 4. Prol. Q. inquit. Ab obiecto, verum eſt inter circunſtantias ſe tenentes ex parte potentialitatis.

FINIS PROLOGI.

PRIMA DISTINCTIO.
QVESTIO PRIMA.
LIBRI PRIMI.

1\. *Iacobus.* SCOTVS lib. 1. d. 1. Q. 1. ad A. dicit. Fruitio in communi excedit fruitionem ordinatam, & diuiditur in ordinatam, & in inordinatam. Oppoſitum huius patet ſic. Inter extrema contradictionis nullum aſſignatur medium, ergo cum fruitio ordinata, & inordinata, talia ſint extrema nõ erit aſſignare fruitionem in communi, tanquam medium.

Lucas. Reſp. In via Scoti datur fruitio ordinata, & fruitio in communi ad iſtas duas fruitiones. Alia datur diuiſio fruitionis in fruitionem, ſcilicet in via, & in fruitionem in patria, taliſque eſt diuiſio generis in ſpecies. Nam, vt habet Scotus in quarto d. 49. Q. 5. fruitio viæ, & patriæ, ſpecie differunt, & ſcias quod fruitio ordinata eſt illa, quæ habet obiectum debitum, debitaſque circunſtantias. Fruitio inordinata eſt quando obiectum debitum non habet, etſi adſit, & non ſint conditiones contrariæ veris circunſtantijs debitis. Fruitio in communi eſt, quæ caret illis circunſtantijs, non tamen habet conditiones repugnantes illis debitis circunſtantijs. His notatis dicitur ad contradictionem. Fruitio in communi non eſt alia fruitio, ſignata, ab ordinata, & inordinata, quia non ponit in numerum cum illis, quaſi ſit vna tertia fruitio, ſed eſt communis, & indifferens, ſicut commune ad ſua inferiora, vt animal non ponit in numerum cum homine, & alijs ſpeciebus.

2\. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 1. Q. 1. ad A. dicit. Voluntas (loquendo de creata) non determinatur ex ſe ad fruitionem ordinatam. Oppoſitum ſic patet ex doctrina Scoti. Nam voluntas beata creata eſt determinata, ergo voluntas poteſt habere ex ſe determinationem ad fruitionem.

Lucas. Reſp. Aliquid determinari ſtat dupliciter, primo, vt ex ſui natura determinetur, ſecundo, quod aliunde, ſcilicet ab extrinſeco, ſibi adueniente determinetur. Voluntas, vt ait Scotus in primo, non determinatur ex ſui natura, at non negat, quin poſſit determinari ab extrinſeco, ſibi adueniente, vt voluntas beata determinatur ad beatitudinem, que beatitudo eſt fruitio ſummi boni. Et aduerte, quod inter fruitionem, & vſum datur actus medius, patet de actu ſpei, vt habet Scotus in ter-

tio d. 26. reſp. ad Q. ſecundum mentem propriam. Etſi amore concupiſcentiæ Deus ametur, vt diligere Deum propter retributionem, iuxta illud Pſalmi 118. Inclinaui cor meum, &c. iſte actus non eſt propriè frui, nec propriè vti. Et Scotus d. 1. Q. 3. talem actum medium ſic perſuadet. Voluntati poteſt oſtendi aliquod bonum abſolutè apprehenſum, non ſub ratione boni per ſe, nec propter aliud bonum; & voluntas circa tale ſic oſtenſum poteſt habere aliquem actum, & non neceſſario ordinatum, igitur poteſt habere aliquem actum volendi abſolute, abſquè relatione ad aliud, & abſquè fruitione propter ſe. Dices Aug. primo de Doctr. Chriſt. cap. 6. vbi inquirit. Quomodo Deus diligat nos, quærit. Vtrum Deus fruatur nobis, & vtatur nobis; & determinat, quod vtitur nobis, & arguendo ſic ait. Si non fruitur, nec vtitur, non inuenitur quomodo diligat nos, ſi ratio Aug. valeat, neceſſe eſt, quod omnis actus ſit vſus, vel fruitio. Dico. Si ad vſum requiritur tantum habitualis relatio, tunc non datur actus medius, ſi autem requiritur actualis relatio, tunc datur actus medius. Quomodo autem Deus vtatur nobis lege Magiſt. d. 1. primi.

3. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 1. Q. 1. dicit. Ex mente Aug. lib. 83. Q. Summa peruerſitas in fruendo vtendis. Oppoſitum videtur dicere Paulus ſcribendo ad Philemonem, vbi ait. Fruar te in domino.

Lucas. Reſp. Frui, vt ait Bonauentura d. 1. primi, art. 2. Q. 1. tribus modis accipi poteſt. Primo, vt dicit actum voluntatis cum gaudio, & ſic Aug. 10. de Trin. cap. 10. dicit. Fruimur cognitis, ideſt, in quibus voluntas delectatur. Secundo capitur, vt dicit actum voluntatis cum quietatione, & ſic Aug. ait. Inquietum eſt cor noſtrum, donec requieſcat in te. Tertio modo capitur, vt complectitur vtrumque, vt inquit Aug. 4. de Trin. Scio quieſcere in cognitis voluntatem propter ſe delectatam. His dictis, cum inquit Scotus. Summa eſt peruerſitas frui vtendis, id eſt verum tertio modo, vel dic. Frui quandoquè capitur communiter pro actu cuiuſcunque potentiæ delectabilis; & ſic in Prou. cap. 7. legitur. Fruimur cupitis amplexibus; & Aug. 83. Q. Q. 30. Fruimur cibo, & & potu; & aliquando capitur proprijſſimè pro amore liberę voluntatis, quo finaliter quieſcit in amato, cui repugnat referri ad aliud, vt ad alium. Hocquè modo loquitur Scotus. Quæres: quis actus eſt prior, frui vtendis, vel vti fruendis? Franciſcus Mair. lib. 1. d. 1. Q. 1. ita dicit. Maius vitium eſt vti fruendis, quam frui vtendis, hoc idem tenet Paulus lib. 1. d. 1. Nam deordinatio circa vltimum finem eſt prior, quam deordinatio circa ea, quæ ſunt ad finem vltimum ordinata. Præterea Aug. lib. de ciuitate Dei, dicit. Duo amores fecerunt ſibi duas ciuitates, vnam, quæ incipit ab amore ſui, vſque ad contemptum Dei, procedit de malo ad peius; quomodo ergo contemptus Dei eſt peior amore ſui, ergo vti fruendis eſt peior. Adde tu. Qui vtitur Deo, facit interpretatiuè Deum creaturam, & qui fruitur creatura, interpretatiuè facit creaturam Deum; at primum (vt patet) eſt peius ſecundo igitur, &c. Ad dictum Apoſtoli reſp. quære apud diuum Thomam in Epiſt. ad Philemonem optimè exponentem.

4. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 1. Q. 1. ad A. dicit. Ens in communi eſt obiectum potentiæ. Oppoſitum habet 1. Prol. Q. vbi vult. Quod ens in communi non eſt obiectum ipſius potentiæ.

Lucas. Reſp. Scotus d. 1. primi arguit, dum aſſumit ens in communi obiectum

potentiæ)

potentiæ) contra Auicen. qui concedit ens primum obiectum noſtri intellectus naturaliter motiuum 1. Methaph. cap. 5. & 9. Methaph. cap. 7. Idem Auicen. poſuit animam ſeparatam cognoſcere ſubſtantiam immaterialem in ſe naturaliter. Arguit ergo ad hominem ex conceſſis ab Auicen.

5. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 1. Q. 1. ad B. videtur dicere, & probare in rationibus, quas habet in Auicen. Quod naturaliter poſſumus ſcire fruendum eſſe Deo clare viſo. Oppoſitum patet ex Scoto 1. Prol. Q. & alibi. Nam Deo ſic eſſe fruendum, eſt tantum creditum, & non naturaliter ſcitum.

Lucas. Reſp. Cometius ſic dicit. Scotus non intendit probare ratione naturali quod Deo ſit fruendum nudè viſo, neque vult probare ratione naturali ſciri poſſe, nullo alio eſſe fruendum, citra Deum clare viſum. At vult, vt ſuppoſito ſecundum Auicen. quod ſecunda intelligentia, clare intelligat primam, & ſic de alijs, concluditur euidenter ſecundum ipſum in nullo eſſe vltimate quietandum citra ſupremum; & hoc modo argumenta Scoti ſunt ad hominem. Lych. ſic dicit. 1. & 2. ratio Scoti contra Auicen. ſunt ad hominem, quia præſupponunt, quod intellectus, & voluntas creata habeant ens in quantum ens pro obiecto adequato, etſi hoc eſſet notum via naturali, tunc rationes Scoti naturaliter concluderent. Bargius ſic. Scotus 1. Prol. Q. & d. 3. primi Q. 3. & 14. Quol. habet, quod non eſt notum naturaliter ens eſſe ſic obiectum naturale intellectus coniuncti. Idcirco rationes Scoti in Auicen. ſunt creditæ, vt dicit Baſol. lib. 4. d. 49. Q. 5. valent tamen ad Auicen. dicentem, ens eſſe tale obiectum, ſicque ſunt ad hominem, & non ſimpliciter concludunt. Obidquè prima ratio poſita contra Auicen. ſoluitur à Scoto 1. Prol. Q. & 14. Quol. Quæras. Num voluntas ex puris naturalibus poſſit diligere Deum ſuper omnia, ſic, vt poſſit frui Deo. Robertus Olcot Q. 4. primi dicit. Hæc. Deus eſt diligendus ab homine ſuper omnia, non poteſt ratione naturali probari, quia præſupponit Deum eſſe, quod non eſt ratione naturali ſcibile, ſed tantum per fidem, ſed hoc non placet Scoto, quia d. 2. primi Q. 3. vnitas Dei eſt accepta à lege, & à naturali doctrina. Addit idem Olcot. Hęc conditionalis. Si Deus eſt diligendus ab homine ſuper omnia, poteſt ratione naturali probari. Alph. Q. 5. primi, d. 1. tenet, quod naturaliter poteſt demonſtrari, quod voluntas creata non poteſt quietari, & beatificari in aliquo extra Deum. Henr. Quol. 2. art. 3. Oppoſitum tenent Occam, & Gabriel d. 1. primi. Nam non poteſt naturaliter demonſtrari fruitionem quietantem hominem, homini eſſe poſſibilem, dicit Occam. Voluntas habet deſiderium ad bonum maius quocunque bono creato, ait Alph. At, his pręmiſſis, videamus quid circa hoc ſentiat Scotus. De mente Scoti videtur poſſe teneri, quod voluntas ex ſuis naturalibus poteſt diligere Deum ſuper omnia. Vnde lib. 4. d. 4. Q. 8. habet hęc verba. Videtur tamen mihi, quod per rationem naturalem poſſit probari, (ſublata imperfectione ſtatus iſtius) quoad cognitionem, quod natura humana ſit capax beatitudinis veræ; idque probat ibi duplici ratione, vna ex parte obiecti, & altera ex parte actus. Et lib. 3. d. 27. ait. Ex puris naturalibus poteſt quecunque voluntas (ſaltem in ſtatu naturæ inſtitutæ) diligere Deum ſuper omnia; idquè tribus rationibus ibi probat. His dictis de mente Scoti patet, quod voluntas ex puris naturalibus poteſt diligere Deum ſuper omnia. Dices. Scotus videtur habere

bere oppoſitum lib. 2. d. 28. in fine, vbi habet hæc verba formalia. Quæcunque voluntas actum huius præcepti exequitur, licet informis, diſponit ſe de congruo ad gratiam gratificantem, cui oblatæ cum reſiſtit, & peccabit mortaliter, vel conſentit, & iuſticabitur. Ibi. Duo Scotus videtur velle. Primum, quod voluntas exiſtens in peccato mortali poteſt diligere Deum; cuius oppoſitum habet lib. 3. d. 13. vbi vult. Quod fruitio ordinata neceſſario præſupponit gratiam. Alterum, Quod in actu dilectionis Dei, dum offert Deus gratiam, ſi reſiſtat, peccat mortaliter; ergo in tali actu neceſſario habet gratiam, & iſta non poteſt homo ex puris natulalibus Deum diligere. Ad hoc dicitur quod Scotus lib. 2. loquitur recitatiuè, & non aſſertiuè, ſicque nihil contra nos. Secundo dicitur benè ponderando literam Scoti, quæ ſic ait. Hæc opinio non ponit partem negatiuam, quaſi per impotentiam liberi arbitrij, ſed in quantum ipſum comparatur ad Deum; liberaliter offerentem gratiam libero arbitrio, tamen aliqualiter diſpoſito. Hæc Scotus. Ex his vult id eſſe: quia Deus liberaliter offert gratiam, & non quod ex natura liberi arbitrij in ſe ſibi repugnet, quin ex puris naturalibus poſſit diligere Deum. Iſtius opinionis eſt etiam Baſolus lib. 2. d. 27. quod ſcilicet, in ſtatu naturæ lapſæ ex puris naturalibus poteſt voluntas noſtra Deum ſuper omnia diligere. Sicque tenendum eſt in via Scoti: idem quoque Gabriel lib. 2. d. 28. tenet. Si quis tamen velit in via Scoti tenere oppoſitum, reſpondeat ad Scotum in 4. ex illo verbo, ſublata imperfectione ſtatus iſtius. Ex quo homo tantum habere poteſt ex natura potentiæ hoc, & non vt ligatus; hæcque ſolutio poteſt haberi ex Scoto prima Prol. & 14. Quol. Soluitur etiam ex illo verbo. Videtur tamen mihi, quod quidem in illa litera ponderandum eſt. Ad Scotum autem lib. 3. dicas. ex illo verbo. Saltem in ſtatu naturæ inſtitutę, tamen quicquid ſit; in hac materia. Hę propoſitiones notandæ ſunt. Prima. Voluntas ex naturalibus poteſt diligere Deum ſuper omnia. Secunda. Intellectus ex ſuis naturalibus poteſt intelligere Deum eſſe ſuper omnia diligendum. Tertia. Intellectus ex puris naturalibus non poteſt intelligere, quod finis noſter ſit, vt fruamur Deo clare viſo. Quarta, Homo in puris naturalibus poteſt agere moraliter, ad gratiam ſe diſponere, & præcepta ſeruare, etſi non ad intentionem mandantis, qui vult nos mandata ſeruare, vt habeamus vitam ęternam. Quinta. Dilectio Dei nunquam de facto habetur ſine gratia, quia facienti quod in ſe eſt, & ſufficienter diſpoſito ad gratiam, eam Deus infundit. Sexta. Exiſtens in peccato mortali non poteſt Deum diligere, quia talis interpretatiuè vult Deum non eſſe, vt dicit Scotus lib. 2. d. 21. Q. 2. & talis non vult Deum eſſe ſummè ſapientem, quia vult Deum ignorare peccata ſua, & non vult Deum eſſe omnipotentē, quia præponit voluntatem ſuam voluntati diuinæ, nec vult ipſum eſſe iuſtum, quia non vult quod vindicetur, ſeu puniat peccata ſua. At circa hæc, dubium aliud emergit. Quid eſt perfectius, frui Deo, an vti creatura? Reſp. frui Deo eſt perfectius. Dices. Tunc ſequeretur, quod Sortes videns Platonem in extrema neceſſitate non deberet dimittere fruitionem Dei, vt à morte liberaret Platonem, ſi poſſet eum liberare, quia non deberet dimittere operationem perfectiorem propter minus perfectam; Robertus Olcot. Sic reſp. Quod vel Sortes eſt perſona illa, quæ pro illo tempore debet iuuare Platonem, obbligatur intea-

intendere omnino Deo in omni actu latriæ, ſicut eſt Sacerdos tempore conſecrationis, ſi tunc ſibi innoteſcit indigentia Platonis, vel Sortes eſt perſona, quæ fruitur Deo fruitione voluntaria, ſi primo modo, dico quod Sortes tenetur continuare actum ſuum, ſicut Sacerdos tenetur continuare ſumptionem Euchariſtię, ex præcepto Eccleſiæ. Si ſecundo modo, poteſt dimittere fruitionem actualem, & ſubuenire indigenti. Dices, adhuc ſtat argumentum, quia non debet dimittere operationem perfectiorem propter minus perfectam. Dico. Argumétum peccat ex falſa imaginatione, ſcilicet, quod ſortes poſſit frui Deo intensè, & miniſtrare Platoni. Si enim ordinate iuuat, propter Deum iuuat, & ita iuuando proximo, Deo fruitur. Aut dic, quod vna operatio eſt perfectiſſima cum aliquibus circunſtantijs, quæ cum eiſdem poteſt eſſe vitioſa, aliquo nouo appoſito. Hinc aliquando opus vitæ actiuæ eſt perfectius, & aliquando cum alijs circunſtantijs opus vitæ contemplatiuæ. Vnde in illo caſu, Sortes non dimitteret operationem perfectiorem propter minus perfectam, ſed e conuerſo. Ideo nota; quod frui, non ſolum eſt immediate Deum diligere, ſed etiam creaturam in ordine ad Deum. Dices. Num creatura ſit equè ſicut Deus diligenda? Minimè. contra. Homo ſe debet magis diligere, quam Deum; quia amicabilia ad alterum, ex Ariſt. 9. Eth. præſupponunt amicabilia ad ſe, & homo eſt ſibi maximè amicus, vt patet ibidem. Reſp. Omnia dicta Philoſophi ſunt vera comparando hominem ad alia omnia poſt Deum. Hinc dicit Gabriel. Creatura rationalis appetitu naturali tendit in ſui conſeruationem, tamquam in finem vltimum ſui appetitus naturalis, ſed appetitu naturali, & libero poteſt, & debet tendere in aliud, quam in ſe ſcilicet tanquam in finem ſuum. Dices ſi teneor diligere magis Deum, quam omnia, ergo magis teneor diligere id, quod eſt magis ad honorem Dei; at, quod ſaluentur centum homines, eſt magis ad honorem Dei, quam ego ſolus: ergo videtur quod magis debeam appetere illos ſaluari, quam me, quod eſt falſum, vt patet lib. 3. d. 29. vbi ait Scotus. Poſt Deum debet quis diligere ſe ſuper omnia. Dico ex ordine charitatis in multis caſibus, quorum vnus eſt in propoſito, magis teneor diligere id, quod minus eſt ad gloriam Dei. Non eſt ergo vera illa propoſitio, vbi cætera non ſunt paria. Dubitabis. fructione eſt fruendum, fruitio eſt creatura, ergo fruendum eſt creatura. Dicitur, fruitione, vt actu, non vt obiecto, fruendum eſt.

6. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 1. Q. 1. ad B. dicit. Accidit enim, quod coniungantur in eodem ratio primi effectiui, & ratio finis, nec quietat in quantum finis. ſed in quantum obiectum perfectiſſimum. Oppoſitum habet lib. p. d. 2. Q. 1. vbi probat illum eſſe infinitæ virtutis, quia ſimul, quantum eſt de ſe, obiectum eſt infinitorum obiectorum.

Lucas. Reſp. Certe Scotus concedit, quod ratio primi effectiui concludit rationē vltimi finis, at quia primum effectiuum non eſt quietare vltimatè, in quantum primum effectiuum, quia vt ſic, tantum efficit, ſed dicitur quietare in quantum obiectum perfectiſſimum, & ratio perfectiſſima terminandi actum potentię natæ quietari in tali obiecto. Secundo dic, quòd non accidit ex natura rei, quia ſic de neceſſitate coniunguntur in eodem ratio finis, & ratio primi effectiui, ſed accidit in propoſito ad opinion. Auicen. quia intelligentia quarta eſt à tertia, quæ nō eſt eius finis ex natura rei. Ideirco accidit Auic. q͛d, in eodē coniugatur, & c.

7. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 1. Q. 1. ad D. dicit. In poteſtate cuiuſcunquè agentis eſt agere, & modus agendi. Oppoſitum patet ſic. Nam ſequitur, quod Deus poſſet peccare, quia cum ſit in eius poteſtate actus, erit etiam, & modus.

Lucas. Reſp. Propoſitio Scoti eſt vera, vbi modus eſt actui compoſſibilis, modo licet in poteſtate Dei ſit agere; tamen peccare eſt modus, qui repugnat illi actui, & eſt ſibi incompoſſibilis, & ideo non ſequitur. Lych. arguit ſic contra illam regulam Scoti. Doctor ſubtilis Q. 2. d. 1. lib. 1. ait. Quamuis ſit in poteſtate frui, & non frui, non tamen frui ſic, & non frui ſic. Reſp. Quod abſolutè poteſt vna perſona frui, & non alia, ſed non ordinatè, quia tota rectitudo fruendi ſumitur à voluntate diuina: & ſi loqueremur de fruitione in patria. Tunc diceremus, quod fruitio viſionem præſupponeret, ſed non eſt in poteſtate noſtra, quod ibi videatur vna, & non alia. Ibi enim eſt plena fruitio. Si queras. An liceat Deo ſeruire ex mercede? Riccardus Q. 2. d. 1. lib. 1. ſatisfacit iſti dubio. At clarius S. Bon. lib. 1. d. 27. art. 2. Q. 2. ſic. Duplex eſt merces, ęterna, & temporalis, prima eſt laudabis, ſecunda vituperabilis. Tunc dicitur, quod actus mercennarius primo modo eſt laudabilis. Et de hoc dicitur. Merces tua magna nimis, hiſq; panibus fidei, & charitatis, mercennarius abundat, & de iſtis Pſal. 118. dicitur. Inclinaui cor meum ad faciendas iuſtificationes, &c. De actu autem ſecundo, qui eſt vituperabilis, mercennarius fugit, dum videt lupum venientem; quia mercennarius eſt.

8. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 1. Q. 1. ad E. dicit. Et fortè in apprehenſione præuia præcedit fruitionem eliciendam, quaſi ratio obiecti alliciens. Oppoſitum ſic patet. Ratio obiecti allicientis eſt ens rationis, ergo non poteſt allicere.

Lucas. Reſp. Aliquid allicere poteſt intelligi dupliciter, formaliter, aut fundamentaliter; verum eſt quod formaliter ens rationis non poteſt allicere, cum ſit relatio, & nulla relatio agit; poteſt tamen allicere ratione fundamenti, quia ſic non repugnat.

9. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 1. Q. 1. ad E. tenet pro firmo, obiectum immediatum fruitionis eſſe Deum. Oppoſitum ſic patet, ſcilicet, quod viſio beati ſit obiectum immediatum fruitionis. Nullus amor concupiſcentiæ fertur immediatè ſuper rem, ſed ſuper habitionem rei, ſeu ſuper actum, quo res habetur, ſed fruitio eſt amor concupiſcentiæ, ergo immediatius fertur ſuper viſionem, quam ſuper rem.

Lucas. Reſp. Durandus tenet, quod obiectum fruitionis non eſt Deus, ſed viſio beati, & dicit, quod viſio eſt obiectum immediatum, & Deus eſt obiectum mediatum, & remotum. At hæc poſitio falſa eſt; contra quam ſic arguitur. Fruitio eſt actus charitatis, ſed charitas vera eſt, vt diligatur Deus ſuper omnia. Secundo. Aug. de Doctrina Chriſtiana dicit. Idem eſt obiectum fruitionis noſtræ, & angelicæ, ſed viſio noſtra non eſt obiectum fruitionis angelicæ, ergo, nec noſtra fruitio. Tertio. Viſione beatifica eſt vtendum, ergo non eſt obiectum fruitionis. Antecedens eſt Aug. 1. de Doctrina Chriſtiana, vbi ait. Alijs à Deo eſt vtendum. His dictis. Ad dubium nego, quod fruitio ſit amor concupiſcentiæ. Dices. Fruitio ſuccedit deſiderio reſpectu eiuſdem obiecti, ſed deſiderium eſt circa actum, quo Deus habebitur, & non circa Deum abſolutè, ergo ſimiliter de fruitione. Dico. Reſpectu Dei eſt deſiderium,

rium, & non ſolum reſpectu viſionis. Vel dic. Fruitio patriæ ſuccedit fruitioni viæ, ideſt amori, & charitati, qua Deus diligitur per ſe, quæ dilectio eſt cauſa deſiderij, quo viator habeat Deum. Amplius dices. Fruitio cum ſit delectatio, obiectum eius erit aliqua operatio noſtra coniungens conueniens cum conuenienti, eo quia ex tali coniunctione cauſatur delectatio, ſed Deus non eſt delectatio nobis inhærens, ergo, &c. Dicitur, quod fruitio non eſt delectatio, imo delectatio eſt paſſio fruitionis. Dices. Sicut ſe habet delectatio ad bonum, ſic triſtitia ad malum, ſed ſumma triſtitia, quam habent damnati, non eſt de Deo ſecundum ſe, ſed de carentia viſionis, ſicut de obiecto proximo, & immediato; igitur ſumma delectatio, & fruitio non eſt de Deo immediatè ſecundum ſe, ſed de viſione Dei. Reſp. Non eſt ſimile de triſtitia damnatorum, & delectatione bonorum, quia triſtitia damnatorum eſt inordinata; diligunt enim ſe vſq; ad cõtemptum Dei, ideo triſtantur primo, & immediatè de carentia ſuæ formalis perfectionis; delectatio verò bonorum eſt ordinata, ideo primo, & magis gaudent de bonitate Dei, quam de formali perfectione ſui. Ad formam igitur rationis dico, quod maior eſt vera, vbi triſtitia eſt ordinata, ſicut dilectio. & tunc minor non eſt ad propoſitum, quia triſtitia damnatorum eſt inordinata; ſicque ratio non cogit.

Prima diſt. Queſt. ſecunda, lib. primi.

1\. *Iacobus.* SCOTVS lib. 1. d. 1. Q. 2. in initio dicit. Quod quadruplex eſt diſtinctio in diuinis, quarum prima eſt Eſſentiæ ab Ideis. Oppoſitum patet ſic. Nam in Deo eſt tantum vnica res, ideo non poterit eſſe aliqua diſtinctio realis exiſtentiæ ab Ideis.

Lucas. Reſp. In via Scoti datur diſtinctio formalis, vel ex natura rei Eſſentiæ ab Ideis, quæ ſtat cum identitate reali, tantaquè eſt diſtinctio, quod poſſibile eſt viatorem frui Eſſentia, & non Ideis, quia Eſſentia eſt obiectum primarium, Idea ſecundarium: & ideo non ſolum viator poteſt frui Eſſentia, ſed etiam beatus eadem frui poteſt, Ideis non fruendo. Nam ſi non poſſet videri, vel frui Eſſentia ſine obiectis ſecundarijs, tunc perirent reuelationes, quia Deus tunc non poſſet aliquid reuelare vni ſancto, & non alij. Tum perirent illuminationes angelicę, tum non daretur differentia ſanctorum in videndo, tum auferretur priuilegium Chriſti. Idcirco communiter tenetur, quod abſolutè poſſit frui Eſſentia ſine Ideis. Queres: quomodo poteſt Deus facere beatum aliquid videre, quod non viderit prius? Id facit actu diſtincto alio, ab eo, quo beatus videt Eſſentiam. Inſtabis. Contra hunc modum dicendi, eſt Aug. de notitia mattutina, & veſpertina, vbi vult. Quod eodem actu cognoſcitur Verbum, & cognita in Verbo. Dico. Scias, quod Scotus in 3. ait. Quod anima Chriſti per aliquem actum videt Verbum, & per illum actum omnia relucentia in Verbo ſunt ſibi pręſentia actu primo. Hæc Scotus. Et non eſt intelligendum, quod Scotus velit. Quod vno actu cognoſcat Verbum, & ea, quæ ſunt in Verbo, quoniam actus ex obiectis ſpecificatur 2. de Anima 33. Sed habet intelligi, quod per actum,

actum, quo videt Verbum, omnia relucentia in Verbo ſunt ſibi præſentia, ſiue in actu primo, ſic quando voluerit poterit ſe conuertere; & non intelligas, quod per vnum actum intelligendi intelligat Verbum, & relucentia in eo, nec quod ille actus ſit repræſentatiuus relucentium in Verbo. Ex his patet ad Aug. Et argumentum ſoluitur Gabr. 14. d. 3. & Occam 12. Q. 3. At, num Deus poſſit cauſare actum fruitionis in voluntate ſine viſione in intellectu, cum dicat Aug. Nil volitum, niſi cognitum? Reſp. Vorilion ſic, viſio, & fruitio cum ſint actus diſtincti eſſentialiter in diuerſis potentijs, & non apparet ratio, quare Deus non poteſt cauſare fruitionem ſine viſione, licet Henricus teneat oppoſitum; quando dicitur. Nil volitum, niſi cognitum. Debet intelligi de lege communi, non quin Deus poſſit in oppoſitum, & maximè cum dicat Aug. Simplices, & idiotæ rapiunt cælos. Hæc Vorilion. Adde. Si inter fruitionem, & viſionem eſt ordo eſſentialis, Deus non poteſt cauſare ſecundum abſque primo. Mirabile enim eſt, quod rem ignotam ego diligam, cum dicat Aug. Inuiſa poſſumus diligere, incognita nequaquam, &c. At quid in via Scoti eſt dicendum? Reſp. Scotus lib. 4. d. 10. Q. 9. Quod Deus de potentia abſoluta poteſt cauſare viſionem in oculo ſine præſentia obiecti, & ſine quocunque reſpectu ad obiectum, cum viſio ſit qualitas obſoluta, vt probat 13. Quol. Si igitur Deus ſine obiecto, & reſpectu ad obiectum poteſt cauſare viſionem illius obiecti in oculo, ergo à fortiori poterit fruitionem ſine viſione cauſare; cum non minus, imo magis dependeat viſio corporalis ab obiecto, quam fruitio à viſione. Nam fruitio non prerequirit viſioné, vt cauſam, quam Deus poteſt ſupplere, cum talis cauſa ſine qua non reducatur ad genus cauſæ efficientis, & non dependet fruitio à viſione, vt ab obiecto, eo modo, quo viſio. Dices. Quod viſio poſſit eſſe ſine obiecto, ſicut, & intellectio, repugnat dictis Scoti lib. 3. d. 15. vbi dicit. Quod ratio motiua obiecti poteſt ſuppleri, ſed non terminatiua, quia eſt eſsẽtialis, & à nullo poteſt ſuppleri. Ad hoc reſp. Tatar. in 4. d. 10. Q. 9. Quod viſio capitur dupliciter. Primo, vt quædam qualitas abſoluta, & de hoc intelligit Scotus in 4. dum dicit. Deus poteſt cauſare viſionem in oculo, ſiue beato, ſiue non beato, & tamen nihil videbit. Secundo, capitur pro qualitate cum attingentia, ſeu repræſentatione talis obiecti, & ſic non poteſt dari, quin tale obiectum videatur: primo modo eſt tantum qualitas abſoluta, & non viſio; ſecundo modo eſt viſio. Tunc dico. Quod viſio pro ſubſtrato poteſt dari ſine obiecto, ſed non pro formali. Et dum Ariſt. 7. Phiſic. 20. dicit. Quod viſio, & intellectio ſunt ad aliquid, debet intelligi formaliter, & non fundamentaliter; ſicque tenendo, oportet dicere, quod relatio terminatiua viſionis ad obiectum non eſt eſſentialis, in quantum qualitas, ſed tantum in quantum viſio; & ſic patet ad Scotum. Dices: Oppoſitum habet Scotus lib. 1. d. 11. Q. 1. Dico, loquitur ibi Scotus communiter, & quod ſit ex natura rei non appoſito aliquo miraculo. Vel dic. Scotus loquitur ibi in diuinis, vbi talia ſunt ſimpliciter neceſſaria. Idcirco non poteſt poni aliquis actus voluntatis, ſiue operatiuus, ſiue productiuus ſine actu intellectus prçuio ſibi correſpondente.

2. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 1. Q. 2. ad A. dicit. E conuerſo autem non eſt poſſibi- quod fruatur ordinatè perſona non fruendo eſſentia, quia perſona in ratione ſui includit eſſentiam. Oppoſitum habet Scotus pluribus

in locis, vbi vult; quod perſona in ſui ratione eſſentiam non includit.

Lucas. Reſp. Quando Scotus dicit perſonam in ſui ratione eſſentiam includere, non capit rationem pro quidditate, quia nihil includit perſona quidditatiuè, niſi reſpectum, ſecundum opinionem multorum, ſed capitur perſona realiter pro conſtituto ex eſſentia, & reſpectu.

3. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 1. Q. 2. ad A. dicit. Frui poteſt viator ordinatè vna perſona ſine alia, conſequenterque concipitur vna perſona ſine alia. Oppoſitum patet ex natura relatiuorum. Nam perſona eſt correlatiua, igitur ſi concipitur, & ſuum correlatiuum concipitur.

Lucas. Reſp. Paulus dicit. Non oportet, quod cognoſcens vnũ relatiuorũ cognoſcat & reliquum, niſi confusè; vt ſi quis cognoſcit patrem, ſufficit cognoſcere Patrem genuiſſe Filium, ſed nõ determinando, quem Filium: Addit. Dato quod relatiua ſimul cognoſcantur, non tamen ſequitur, quod ſimul diligantur, quia fruimur Creatore, non tamen aliquo correlatiuo, ſcilicet creatura. Vigerius ſic dicit. Vnum relatiuum poteſt cognoſci ſine reliquo quantum ad nomen, ſed non diffinitiuè iuxta illud Ariſt. Si quis nouerit diffinitiuè vnum relatiuum, & reliquum.

4. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 1. Q. 2. ad E. dicit. Pater prius origine quam generet Filium eſt perfectè beatus. Oppoſitum ſic patet. Si Pater conſtituitur in eſſe, ſecundum communem viam, per relationem, quomodo igitur eſt perfectè beatus, antequam generet Filium.

Lucas. Reſp. De originis proprietate alibi dictum eſt. Sed pro eneruanda difficultate ſciendum eſt duos eſſe modos dicendi de perſonarum diuinarum conſtitutione. Vnus ſecundum Bonauenturam, quod ſcilicet perſonæ conſtituũtur per abſoluta, vt refert Scotus d. 26. primi, & illi opinioni probabiliter adheret. Si teneatur hæc poſitio facilè defendetur iſta propoſitio: Pater eſt perfectè beatus, &c. Non enim eſt dubium, quod prima perſona in diuinis eſt prius perfectè beata, quam generet, quia in illo priori quo eſt perſona, habet perfectam beatitudinem. At in præſenti non eſt tenenda illa poſitio, quia Scotus nihil haberet contra Henr. qui tenet perſonas conſtitui per relationem, & tunc negaret aſſumptum. Tenendo ergo ſecundum viam communem, vt tenet hic Scotus ſcilicet perſonas conſtitui per relationes, inter Scotiſtas eſt maxima diuerſitas de modo exponendi hanc propoſitionem. Aliqui dicunt quod dicere. Pater eſt perfectè beatus, &c. capitur, ac ſi diceretur. Pater eſt à ſe beatus, Filius à Patre. Sed nihil eſt, ſic enim conueniret cũ Henr. & mens Scoti de ſignorum importantia ſufficienter non haberetur: nam ſigna huiuſmodi non ſolum dicunt aliquid rationis, ſed aliquid à parte rei, ſcilicet vltra illud quod eſt eſſe à ſe, vel ab alio; adhuc notatur aliud à parte rei, ſcilicet in quo comparantur eſſentialia ad notionalia ſecundum prioritatem, & poſterioritatem. Vnde ſic poſſunt ordinari talia ſigna in diuinis; imaginari enim debemus quatuor ſigna naturæ ſine imperfectione in quorum primo conſideratur eſſentia, vt radix omnium diuinorum. In ſecundo conſideratur, vt pullulant ab ea omnia eſſentialia, ideſt proprietates abſolutæ, vt bonitas, iuſtitia, &c. comparantur in ordine ad ipſam eſſentiam. In tertio, comparantur in ordine ad ſe inuicem; & penes iſta tria ſigna naturæ, nulla attenduntur ſigna originis; In quarto autem ſigno pullulant relationes ab eſſentia, & penès iſtud attenditur triplex ſignum originis. In quorum primo comparantur eſſentialia ad primum notionale, & primum

notionale ad ſe ipſum; ſicque in illo primo inſtanti verum eſt dicere, pater eſt, & pater eſt pater, capiendo li pater ſubſtantiuè, non adiectiuè, ideſt, vt idem eſt, quod ſuppoſitum patris, & nomen proprium, & ſingulare. In ſecundo autem ſigno comparatur primum notionale, ſcilicet pater, vel paternitas ſecundo notionali, ideſt filio, vel filiationi; & in iſto verum eſt dicere, filius eſt, & filius eſt filius, & pater eſt pater adiectiuè. In tertio verò ſigno originis, comparantur hæc duo notionalia tertio notionali, ſcilicet Spiritui Sancto, vel ſpirationi paſſiuè; & alia ſigna originis non ſine ratione à Scoto poſita ſunt. Nam pater non prius producit filium, quam velit, & non poteſt velle niſi prius intelligat, at in illo priori quo intelligit eſt beatus, ergo de primo ad vltimum, prius eſt beatus, quam generet, cum non prius generet, quã velit, & intelligat. Damaſcenus, & Auguſtinus poſuerunt ſigna originis, vt alibi dictum eſt. Alia eſt opinio, quam ſequitur Trombetta in Formalitatibus, quod accipitur ibi pater non pro relatione, in quantum habens paternitatem, ſed pro abſoluto patris, quod eſt ipſe Deus, & ita ſenſus eſt. Deus in aliquo priori origine, imò natura eſt in ſe beatus, antequam generet filium, patet, quia dicens perfectionem in diuinis prius natura eſt perſonis diuinis: hęc expoſitio, licet ſit bona, non tamẽ ad mentem Scoti in propoſito contra Henr. Alij, quos ſequitur Lych. Exponunt ſic. Pater eſt prius origine perfectè beatus antequam generet Filium, ideſt, quam habeat Filium genitum; itaquod in aliquo priori originis Pater eſt perfectè beatus, & in aliquo poſteriori originis Filius eſt genitus; quod ſic exponunt. In illo inſtanti quo Pater habet eſſe, in eodem inſtanti habet omnem perfectionem diuinam, & quia in aliquo priori originis habet eſſe per generationem actiuam, ſiue per paternitatem, ſequitur, quod in illo priori eſt perfectè beatus, & videt eſſentiam non videndo eam in Filio, quia in illo priori Filius non eſt. Et addunt, quod ipſum generare Patris eſt prius verè ipſo Filio, quia producens non tantum eſt prius ipſo producto accipiendo ipſum pro abſoluto producentis, ſed etiam producens, in quantum producens actu, eſt prius producto; ſic in propoſito, Pater, vt producit Filium, eſt prior ipſo Filio, & quia conſtituitur in eſſe Patris per generationem actiuam, ſequitur, quod tali productione actiua, eſt prior ipſo Filio Pater. Hęc opinio ſatis videtur ad mentem Scoti, & magis probabilis cęteris ſupradictis. Alia eſt opinio aliquorum dicentium dictum Scoti debere intelligi comparando ambo prędicata, ſcilicet beatitudo, & generatio ad ipſum Patrem, & ita verè eſt, quia eſſe beatum prius competit Patri, quam generare, quia eſſentialia in diuinis ſunt immediatiora notionalibus. At hæc opinio reicitur, tamquam inconueniens in arte Logica, & reali. Nullum prædicatum immediatius conuenit ſubiecto, quam idem ſibi ipſi: quando enim aliquid eſt de intrinſeca ratione alicuius, prius competit illi, quam illud, quod non eſt de intrinſeca ratione: in propoſito, generare reſpectu Patris eſt huiuſmodi, & non eſſe beatum, ergo, &c. Doctores Pariſienſes, & Magiſter de Cornibus, & Lambertus ſic exponunt; quod Scotus ſic intelligit, prout hæc duo prædicata eſſe beatum, & generare, non ad Patrem, ſed ad ſe inuicem referuntur, cum eſſe beatum ſit ſimpliciter prius ipſo generare. Nam, ſi per impoſſibile, poſſet non generare, tunc non minus eſſe beatus, ſed nunquam poſſet generare, niſi eſſet beatus, patet. Quandocunque aliqua

qua duo ſic ſe habent, quod inter ipſa eſt prius vnum alio, poſterius dependet à priori ſecundum hunc eſſe, tunc illud, quod dependet non poteſt eſſe ſine illo, à quo dependet, vt eſt in propoſito. At contra. Sequitur ex dictis, quod Sortes prius animal eſſet, quam homo, patet, quia hęc duo prædicata, ſi ad inuicem comparentur, prius eſt animalitas, quam humanitas, & tamen conſequens eſt falſum; quod id, quod competat alicui per alterum, quod poſterius inſit illi, quam illud per ſe competit, poſito, quod vtrumq; idem componant, ſed animalitas prius competit Sorti, quam humanitas, ergo, &c. Reſp. Negando ſimilitudinem de prioritate vnius, & alterius. Nam animalitas reſpectu Sortis accipitur à quo non conuertitur ſubſiſtendi conſequentia, & ita quando ſunt duo, quorum vnum eſt magis commune, quam alterum, tunc magis commune eſt prius, pro quanto non conuertitur ſubſiſtendi conſequentia, ſed in prioritate Patris in diuinis ſecus eſt, quia illa prioritas eſt reſpectu veri eſſe exiſtentię, comparando ad inuicem, nō enim implicat contradictionem, beatum eſſe, & non generare. Si enim beatitudo eſſet propter generationem, nec Filius, nec Spiritus ſanctus eſſent beati, cum non generent; at benè implicat animalitatem, quæ eſt in humanitate, eſſe ſine humanitate, cum vniuerſalia non exiſtant niſi in ſingularibus, & particularia hoc modo ſunt priora, & prius exiſtunt. Nam nonnulli alij ſcotiſtæ dicunt, licet hæ duæ opiniones immediatè poſitæ ſint bonæ, non tamen ſequūtur tramitem Scoti in præſenti negotio contra Henr. qui non vult obijcere contra eum Logicè, ſed à parte rei, vt patet in litera Doctoris ſubtilis. Iſta opinio in aliquo conuenit cum opinione Lycheti, & magis videtur ad mentem Scoti, facilior ad ſuſtinendum, & expeditior ad reſpondendum, taliſque eſt. Pater prius origine eſt perfectè beatus, antequam generet Filium, ideſt prius, quam generatio actiua terminetur ad Filium, ſed non intelligit, antequam illa generatio ſit formaliter in Patre, quia Pater conſtituitur in eſſe Patris per generationem actiuam, quæ nullo modo eſt poſterior ipſo Patre formaliter, cum non detur effectus formalis prior ſua cauſa formali. Vel clarius. Pater antequam generet Filium, eſt Pater formaliter, non autem terminatiuè. Dices. Pater in primo ſigno originis eſt Pater, ergo ibi eſt patertinas, ergo cognoſcit ſe, & ſuam paternitatem, & ſuum correlatiuum, ſcilicet filiationem, ergo, & Filium, ergo Filius eſt in primo ſigno originis, quod eſt inconueniens. Reſp. Paternitas eſt in primo ſigno formaliter, non autem terminatiuè, & non ſequitur, formaliter hic eſt paternitas, ergo filiatio, & licet Filius cognoſcatur in illo priori à Patre, non tamen pro illo priori, imò in illo priori Pater intelligit Filium eſſe pro ſecundo ſigno. Dices adhuc. Pater in illo priori, vel eſt Pater, vel non; ſi non, ergo non eſt beatus; ſi ſic, ergo generat cum in eſſe Pater conſtituatur per generationem. Vtique eſt Pater formaliter, non autem terminatiuè. Et ſi replices. Relatiui eſſe eſt intrinſecè ad aliud eſſe, ergo in quocunque priori vnum relatiuum habet eſſe, pro eodem, & aliud habebit. Concedo de prioritate naturæ, non tamen originis. Relatiua enim ſecundi modi, vt Pater, & Filius admittunt hanc prioritatem originis. Et nota, quod licet referri ſit de eſſentia relatiui, terminatiuè tamen non eſt de eſſentia, licet diffiniatur cum illo. Vlterius. Relatiui eſſe eſt ad aliud ſe habere completè, non tamen in completè, vel tanquam ad terminum

formalis, & ſic terminus formalis paternitatis in primo ſigno eſt Eſſentia diuina, quæ eſt terminus formalis emanationum diuinarum, vel tanquam ad terminum adequatum, & ſic non.

5. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 1. Q. 2. ad C. dicit. Nō minus ad intellectionem requiritur intelligibile, quam intellectus. Oppoſitum habet lib. 1. d. 3. Q. 8. vbi dicit. Plus concurrit ad intellectionem obiectum, quam intellectus.

Lucas. Reſp. Dictum Scoti d. 3. primi, verum eſt, quando ambo ſunt creata, ſed ſi intellectus eſt creatus, & obiectum increatum, tunc verius agit obiectum, quam intellectus; quando verò increata ſunt ambo ex quo concurrunt, vt dicitur in præſenti. Vel dic, quod Scotus Q. 2. d. 1. non vult habere, quod ſicut vnum agit, ſic & reliquum, at quod ambo equè eſſentialiter ad intellectionem requiruntur.

6. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 1. Q. 2. in 2. art. dicit. Beatus poteſt frui eſſentia ſine perſonis, & vna perſona ſine alia. Oppoſitum deducitur ex Ioanne cap. 17. Hęc eſt vita ęterna, vt cognoſcant te ſolum Deum verum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum. Ex Aug. etiam. Res quibus fruendum eſt, ſunt Pater, Filius, & Spiritus ſanctus, ergo videtur, &c.

Lucas. Reſp. Res viſæ in eſſentia ſunt obiecta ſecundaria, & perſonæ ſimiliter ſunt obiecta ſecundaria, & quia ratio obiecti beatifici non ſunt perſonalitates, & ſecunda obiecta, ſed eſſentia; ſicque patet, quid dicendum ad illud argumentum. Dices. Scotus lib. 3. d. 1. Q. 5. volens probare, quod eſſentia non eſt terminus formalis Incarnationis, ideſt terminus formalis quo, illius vnionis, vtitur iſta maxima. In quocunque ſuppoſito eſt ratio terminandi formalis, ipſum terminat, ergo ſi eſſentia eſt ratio formalis terminandi, cum in tribus ſuppoſitis ſit. Tria ſuppoſita iſtam vnionem terminabunt. Ita dicam à ſimili. Si eſſentia eſt ratio formalis terminandi fruitionem, cum ſit in tribus ex illa maxima Scoti in tertio, illa tria ſuppoſita terminabunt, & ſic non poterimus frui eſſentia ſine perſonis, nec vna perſona ſine alia. Reſp. Non eſt ſimile de vnione, & de fruitione, quia eſſentię, vt eſt obiectum, quo, & quod fruitionis, accidit eſſe in ſuppoſitis; ita quod per poſſibile, vel impoſſibile, ſi non eſſet in ſuppoſitis, adhuc eſſet tale obiectum; ſed, vt ſit ratio terminandi illam vnionem, non ſibi accidit eſſe in ſuppoſitis, imò neceſſariò, vt ſic eſſet in ſuppoſitis, & tunc eſſet tantum ratio, ſiue terminus quo, & ſuppoſitum quod. Vel dic, quod non eſt ſimile de actu viſionis, & fruitionis immanente, & de vnione illa quaſi transeunte: primi enim magis abſtrahunt à cognitionibus obiecti, & ſic non oportet quemlibet talem terminari ad omnia in obiecto beatifico, ſicut oportet vnionem ad perſonas, ſi eſſentia foret ratio terminationis, licet hoc oporteat reſpectu vnionis, & fruitionis, quę ponuntur in beatis de facto, & de quolibet actu eiuſdem rationis.

7. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 1. Q. 2. ad D. dicit. Ideo non competit ei, quod eſt commune in Deo, imò Eſſentia diuina, quę eſt de ſe, hęc eſt communis tribus perſonis. Oppoſitum videtur habere lib. 2. d. 3. Q. 7. vbi ſic ait omnis quidditas, quantum eſt de ſe, eſt communicabilis, etiam quidditas diuina, quia nec ex perfectione ſibi repugnat, vt patet de Eſſentia diuina. Ex hoc habet, quod communitas non dicit imperfectionem.

Lucas. Reſp. Commune ſine ſui diuiſione non dicit imperfectionem, & reperitur in Deo, ſed benè vniuerſale, cum ſui diuiſione dicit imperfectionem, & non reperitur in Deo. Hinc commune reperitur à parte rei

realiter

realiter exiſtens, ſed vniuerſale reale actu tantum datur ab opere intellectus, & ſic patet, quod commune, & vniuerſale non ſunt idem. Dices. Etiam de mente Scoti dantur naturæ communes à parte rei in iſtis inferioribus. Non dantur eo modo, quo Eſſentia diuina eſt communis à parte rei, & actu ſimiliter ſit in pluribus, & ſimul de illis prędicetur. Naturæ enim communes à parte rei, non ſunt communes, niſi per indifferentiam.

8. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 1. Q. 2. ad D. dicit. Eſſentia Diuina poteſt terminare viſionem abſque hoc, quod perſonæ videantur. Oppoſitum patet ſic. Sicut principium eſt in tribus, ita ratio formalis fruitionis eſt in tribus, ergo, ſicut vna non poteſt creare ſine alia, ita nec obiectum fruitionis erit ſine alia.

Lucas. Reſp. Similitudo hæc non valet, quia creare eſt ratio tranſiens, frui verò eſt immanens, & terminare fruitionem non eſt agere, ſicut creare. Vnde tres facere poſſunt, quod vna tantum terminabit, & in actionibus immanentibus idem poteſt eſſe, quo, & quod, vt eſſentia poteſt eſſe id, quod terminat fruitionem, & eſt ratio formalis ſic terminandi, ſed non ſic eſt de actibus tranſeuntibus. Dices. Hoc videtur contra Aug. 1. de Trin. vbi ſic ait. Plenum gaudium eſt frui tota Trinitate. Dicitur. Eſt plenum gaudium extenſiuè, ſed plenum gaudium intenſiuè poteſt eſſe in vna, ſicut in tribus. Adhuc dices. Non poteſt videri natura intuitiuè, niſi videatur ſuppoſitum. Nego, quia accidens in Sacramento altaris videtur, & tamen ibi nullum eſt ſuppoſitum, nec per ſe, nec per accidens: & ſi Deus corrumperet ſubſtantiam lapidis, remanentibus omnibus accidentibus, non minus viderentur accidentia illa tunc, ſicut nunc, & tamen nullum ſuppoſitum ibi eſſet: imo, quod plus eſt, poteſt videri intuitiuè natura aliqua, non viſa eius ſingularitate, patet de albedine, quæ intuitiue videtur, & tamen ſua ſingularitas, neque intuitiuè, neque abſtractiuè cognoſcitur, & tamen eſt intimior ſingularitas naturæ, quam ſit ratio ſuppoſiti, quia ſingularitas eſt eadem realiter, quod non ſic eſt ratio ſuppoſitalis, quia diſtinguitur realiter negatiuè. Inſuper. Quia ratio ſuppoſitalis præſupponit ſingularitatem in natura, & tamen poteſt videri ſine differentia indiuiduali, ergo à fortiori ſine ratione ſuppoſitali. Si autem dicas. Viſio terminatur ad exiſtens. Concedo ex Scoto lib. 4. d. 45. Q. 3. ſoluendo princ. vbi ait. Natura in ratione naturę exiſtens eſt, & non quia hæc; ſi ergo exiſtentia præcedit ſingularitatem, à fortiori & ſuppoſitationem, cum remotior ſit à natura ſuppoſitatio, quam realitas. Quæres. Scotus 1. Methaph. Q. 6. & Ant. Q. 8. volunt, quod ſingularitas non ſit ratio formalis operandi, eſt tamen ratio ſine qua non. Num ita ſit dicendum de ratione ſuppoſitali? Dico, quod non; quia tunc non poſſet aliqua natura immutare potentiam, niſi eſſet ſuppoſitata, cuius oppoſitum tuetur Scotus pluribus in locis. Et quando dicitur. Viſio eſt exiſtens, intelligitur de viſione perfecta. Nam Scotus lib. 3. d. 14. habet hæc verba. Notitia intuitiua concernit actualem exiſtentiam. Dico autem, quod illa, vel eſt perfecta, qualis eſt de obiecto præſente per exiſtentiam, vel imperfecta, qualis eſt opinio de futuro, vel memoria de præterito. Hæc Scotus. Dubitabis. Eſſentia, & perſona vnam habent ſolam exiſtentiam, ergo non poteſt videri vnum ſine alio. Reſp. Lychetus, quod habent eamdem exiſtentiam realiter; ſed non forma-

formaliter, ſeu ex natura rei. Adde, quod exiſtentia eſt ratio ſine qua non videndi; itaque ſine ea non poteſt dari viſio; ſed non ſequitur, quod faciat videre omnia, quæ ſunt in ea, cum non ſit ratio formalis videndi, ſed ratio ſine qua non.

9. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 1. Q. 2. ad E. dicit. Voluntas poteſt habere velle circa Epiſcopatum, non ponendo actum circa Sacerdotium. Oppoſitum ſic patet. Impoſibile eſt habere Epiſcopatum ſine Sacerdotio, ergo voluntas non poteſt velle primum abſque ſecundo.

Lucas. Reſp. Negando conſequentiam. Nam licet velle efficaci voluntas non poſſit velle impoſſibile, tam poteſt velle ſimplici, & ineficaci, vt docet Scotus lib. 2. d. 6. Q. 1. Et Ariſt. 3. Ethic. cap. 5. vbi dicit. Voluntas eſt impoſſibilium. Dices. Volens antecedens, vult, & conſequens, vt aiunt Logici, ergo ſi vult Epiſcopatum, neceſſariò, & Sacerdotium vult. Reſp. Falſum eſt: quia voluutas non neceſſitatur, ſicut intellectus, & eſt magis abſtractiua; imo contra illam regulam in aliquo caſu tenetur velle oppoſitum conſequentis; volendo tamen antecedens. Nam ad pænitere ſequitur peccaſſe, tamen volens antecedens ſcilicet, pænitere, tenetur velle non peccaſſe; quia ſi vellet peccaſſe, peccaret: ita in propoſito.

10. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 1. Q. 2. ad E. dicit. Eſſentia, & perſona differunt ratione. Oppoſitum habet lib. 1. d. 8. Q. 4. vbi vult. Quod perſonæ diſtinguantur formaliter ab eſſentia.

Lucas. Reſp. Ex conceſſis ab Henr. Scotus reſp. prima d. 1. lib. vel dic, quod loquitur communiter, cum non ſit ibi locus proprius examinandi hanc materiam. Viger. dicit, quod differunt ratione quidditatiua. Paulus autem, quod differunt ratione formali. Quæres. Eſto, quod Eſſentia quietet, & perſona deinde quietet fruentem, vtrum eadem quietatione? Dicitur, quod ſic, talique exemplo patet, nam ſit albedo, ſub qua veniat aliud, & aliud ſubiectum, ipſa remanente immobili, tunc eſſet manifeſtum, quod remaneret idem actus, ita in propoſito. At, num albedo eadem exiſtens numero per potentiam diuinam, in quatuor ſubiectis, numero, & loco diſtinctis, poſito quod videam illa quatuor in quibus eſt vna albedo, vtrum tunc in me, ſint quatuor viſiones, vel vna viſio? Dico, in caſu illo, eſſet tantum vna viſio, & non quatuor, idque docet Scotus lib. 1. d. 1. Q. 2. vbi vult. Quod ſi quis primo quietetur in eſſentia, poſtea in vna, deinde in alia, eſt tantum vna quietatio, & non plures, & ſubdit ſoluendo vltimum, quod tantum eſſet vnus actus, quia tantum eſt ibi vna ratio formalis; ita dicas in caſu poſito, quod cum ſit vna tantum ratio formalis, eſſet tantum vna viſio; idque confirmari poteſt ex Scoto lib. 4. d. 10. Q. 2. vbi ponens multas regulas declarantes, quomodo vnum corpus poſſit eſſe in diuerſis locis, inter illas ponit hanc; Sicut ſe habet corpus in ratione actiui ad diuerſa paſſa ſibi approximata, quando eſt in vno; ita ſimiliter ſe habet, quando eſt in diuerſis; ſicut homo exiſtens in vno loco, non poteſt debellare viginti, ita exiſtens in diuerſis locis, non poteſt debellare viginti, ſimiliter vna gutta aquę poſita in mille locis, non maiorem habet virtutem, quam habeat exiſtens in vno loco. Vnde fallit imaginatio dicentium, quod vna gutta aque poſſit poni in tot locis, quod portaret nauem: ita dicatur in propoſito, id quod faceret albedo in vno loco faceret vnam ſolam viſionem, ita qua-

tuor faceret tantum vnam viſionem. Vnde ſi humanitas, per impoſſibile, fuiſſet aſſumpta à tribus ſuppoſitis diuinis, Beata Maria haberet tantum tres filios, & tamen vnam tantum maternitatem haberet per vnitantem termini formalis: ita dicatur in propoſito. Dices, ex 2. de Anima 33. Actus diſtinguntur per obiecta, ſed obiecta ſunt quatuor, ergo quatuor ſunt viſiones. Dicitur, Verum eſt, quando multiplicatur terminus formalis, quod non eſt in propoſito.

11 *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 1. Q. 2. ad G. dicit. Non eſt in poteſtate voluntatis frui ſic, & non frui ſic. De poteſtate abſoluta comprehenſoris. Oppoſitum habet lib. 3. d. 4. & multis in locis, vbi dicit. In cuius poteſtate eſt agere, eſt modus agendi, ſimiliter e conuerſo.

Lucas. Reſp. Verum dicit Scotus lib. 3. Si ille modus ſe teneat ex parte agentis, & eſt ei compoſſibilis, non autem ſi ſe tenet ex parti obiecti, vt dicit lib. 1. & ideo, contradictio ſoluitur ex verbis Scoti, quando dicit lib. 1. Quæ naturaliter competit actui in ratione obiecti. Nam in poteſtate mea eſt comedere, & non eſt in poteſtate mea comedere ſaporosè, & non ſaporosè, cum talis conditio ſe teneat ex parte ſubiecti.

12. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 1. Q. 2. ad G. dicit. Licet in poteſtate voluntatis ſit elicere actum peccati, & non elicere; tamen ſi actus poſitus in eſſe habeat deordinationem ex natura ſui, non eſt in poteſtate voluntatis, vt actus poſitus in eſſe ſit, vel non ſit deordinatus. Oppoſitum huius ſic deduci videtur. Quomodo actus, cum ſit ens poſitiuum, habet deordinationem ex natura, cum illa deordinatio ſit quædam priuatio?

Lucas. Reſp. Actus ille non habet deordinationem ex natura rei, ideſt ex quidditate ſua, ſed ex natura rei ad hunc ſenſum, quia deordinatio illa ſequitur neceſſario poſito illo actu, & maximè tenendo id, quod habet Scotus lib. 2. d. 21. Q. 2. & lib. 3. d. 37. Quod præcepta Dealogi ſunt de iure naturæ, tunc ſi fiat oppoſitum illius prçcepti, deordinatio ſequitur ex natura rei. Vnde nota, quod duo præcepta primæ tabulæ sũt de iure nature ſtrinctè capiẽdo ius nature, & ſuper ea Deus nõ poteſt diſpẽſare; ſi autẽ ſit de iure nature, vt alia duo, tertiũ præceptũ nõ poteſt Deus ſuper ea diſpẽſare; ſi autẽ ſit de iure naturæ, nõ vt alia duo, ideſt largè, Deus poteſt diſpenſare, ſicut poteſt ſuper præcepta ſecundæ tabulæ, & ſic actus, quibus ſunt annexa præcepta ſecundæ tabulæ; Deus poteſt referre in ſe ipſum, quia poteſt diſpenſare illa præcepta.

13. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 1. Q. 2. ad G. dicit. Actus autem fruitionis, quantum eſt ex natura ſui primi obiecti, natus eſt, vt ſit trium perſonarum in Eſſentia. Oppoſitum ſic patet, Deus poteſt facere, vt quis fruatur Eſſenſia ſine perſona; ſi igitur ille actus ex natura ſua eſt obiecti primi trium perſonarum; Quomodo id poteſt facere Deus?

Lucas. Reſp. Vigerius dicit, quod hoc debet intelligi, quod actus eſt talis ex natura ſua, ideſt regulariter de potentia ordinata, & de lege communi. Adde tu, quod ſunt multa competentia alicui ex natura rei, quæ tamen poſſunt impediri à Deo, vt igni competit ex natura rei comburere, & graui deſcendere, & tamen à Deo prohiberi poſſunt. Vnde licet Deus non poſſit tollere aptitudinem rerum, ipſis rebus remanentibus, poteſt tamen facere ne illæ aptitudines exeant in actus ſecundos. Poteſt etiam Deus ad ſe referre actum, & peccatum, primo, vt ex hoc eliciat aliquod bonum, ſecundo, vt occaſione illius peccati Deus velit oſtendere ſuam iuſtitiam, aut miſericordiam, tertio, vt ex illo pecca-

to

to cauſet feruidam penitentiam, qualia non oſtendiſſet, ſi non peccaſſet homo, vel Angelus. Quæres, vtrum eodem actu numero, quo quis peccat mortaliter, & fruitur creatura, poſſit frui Deo, ita quod ſit dilectio eadem numero, qua quis primo offendit Deum, & poſt eadem dilectione mereatur? Dico affirmatiuè, quod eodem actu primo peccabit fruendo creatura, & poſtea merebitur fruendo Deo, quia illi modi, ſcilicet ſic, & ſic frui, ſunt accidentales, & ita ille actus aliquantulum durans pro vna ſui parte erit peccatum, & pro alia meritorius; trahitur enim hæc ſententia à Scoto lib. 4. d. 14. Q. 2. vbi vult, quod idem actus numero poſſit eſſe pro vna ſui parte attritio, & pro alia contritio; ſicque in principio non erit meritorius, in fine vero ſic.

14. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 1. Q. 2. ad S. dicit. Ratio boni fruibilis non eſt ratio boni in communi; ſed boni perfecti, quod eſt bonum, non habens defectum. Oppoſitum ſic patet. Nam relatio originis in Deo non habet defectum, vt videre eſt, ergo erit ratio obiecti fruibilis.

Lucas. Reſp. Relationem diuinam non habere defectum poteſt dupliciter intelligi contrariè, ſcilicet, & ſic non habet aliquem defectum, vel negatiuè, & ſic habet defectum, & conſequenter nō poſſet eſſe ratio fruitionis, hæcque inquit Scotus 5. Q. Quol.

15. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 1. Q. 2. ad I. dicit. Ratio ſuppoſiti non eſt ratio formalis, nec terminus formalis actus fruitionis. Oppoſitum habet libro tertio diſt. 1. Q. 5. vbi vult, quod proprietas ſuppoſitalis ſit ratio terminandi vnionem.

Lucas. Reſp. Dictum Scoti lib. 1. intelligitur de actione vera, ſcilicet viſione, & fruitione, in tertio verò determinare, aut quod intelligitur de actionibus perficientibus naturam, ſicut non eſt vnio, aut quod loquitur de actionibus perficientibus naturam per informationem.

Prima diſt. Queſt. tertia, lib. primi.

1. *Iacobus.* SCOTVS lib. 1. d. 1. Q. 3. ad A. dicit. In intellectu ſunt duo actus, vnus quo aſſentitur vero non complexo propter ſe, alius, quo aſſentitur vero, non propter ſe, & habent diſtincta obiecta ſibi correſpondentia, & ipſos cauſantia. Oppoſitum habet lib. 1. d. 3. Q. 8. vbi vult, quod cauſatio actus ſit quoque ab intellectu, & magis principaliter.

Lucas. Reſp. Scoti dictum non excludit intellectum, imò illi duo actus, vt actus cauſantur ab intellectu, & obiecto, & minus principaliter ab obiecto, ſed, vt tales actus, ſcilicet, quod vnus ſit per ſe, & alius propter aliud ſecundum has conditiones totaliter ſunt ab obiecto; ſicque debet intelligi dictum Scoti.

2. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 1. Q. 3. ad A. ponit actum medium, quod non eſt vſus, nec fruitio, ſed actus neuter, & poteſt eſſe meritorius, vt patet de actu ſpei, qui non eſt vſus, nec fruitio. Oppoſitum ſic patet. Omnis actus voluntatis eſt vſus, vel fruitio, ergo, &c.

Lucas. Reſp. In via Scoti actus ille medius certè datur; & ſcias, quod voluntas poteſt habere quatuor actus. Prior eſt, velle, & hoc dupliciter, vel

propter

propter ſe, vel propter aliud. Alter eſt, nolle, & hoc propter ſe, vel propter ſe, vel propter aliud. Tertius eſt, nec conſentire, nec diſentire alicui ſibi oblato per intellectum. Quartus eſt, actus ſuſpenſiuus, quo ſuſpendit velle, & nolle, circa aliquod obiectum, & iſte actus eſt poſitiuus. His notatis. Nego, quod omnis actus voluntatis ſit vſus, vel fruitio. Dices. Omnis actus deliberatus voluntatis, vel eſt circa debitum obiectum propter debitum finem, cum alijs circunſtantijs, vel non; ſi primo modo, eſt bonus, ſi ſecundo modo, eſt malus; ſed ſi iſte actus neuter caret aliqua circunſtantia finis, ergo eſt malus. Dico, ſi iſte actus neuter tenetur habere circunſtantiam finis, argumentum valeret, at non ſic eſt in propoſito, quia non tenetur habere talem finem, quia neſcit an Deus ſit, vel creet.

¶. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 1. Q. 3. ad A. ponit quatuor, quæ realiter diſtinguuntur, actum imperfectum volendi bonum propter aliud, qui vocatur vſus, actum volendi bonum propter ſe, qui vocatur fruitio, actum neutrũ, & delectationem ſequentem actum. Oppoſitum ſic patet. Nam delectatio non diſtinguitur à fruitione, cum ſit de eſſentia beatitudinis; quia Aug. lib. 10. confeſ. ait. Beatitudo eſt gaudium de vita beata.

Lucas. Reſp. In via Scoti delectatio realiter diſtinguitur ab actu, quem inſequitur. Nam lib. 4. d. 49. Q. 7. tenet, quod viſio poteſt ſeparari à delectatione, quod non eſſet niſi realiter diſtinguerentur. Et addit. Quod tunc beatus beatum videbit, & non gaudebit. Franc. lib. 1. d. 1. Q. 2. probat qnatuor ſignis, quod delectatio ſit paſſio ab actu realiter diſtincta. Primum eſt de incontinente, & intemperato, quia intemperatus habet actum ſine delectatione, vt patet de actu bibendi in ebrio; incontinens verò habet actum eiuſdem ſpeciei, cum actu intemperati, cum delectatione tamen, vt patet de infirmo vinum potante. Secundum ſignum eſt. Demones diligunt ſe intenſiuè, & tamen non delectantur ſaltem intenſiuè. Tertium eſt. Angeli boni odiunt malos, & tamen non triſtantur. Quartum. Quia Deus non triſtatur, & tamen odit peccatores. His dictis patet ad dubium; & ad illud, quod dicitur. Delectatio eſt de eſſentia beatitudinis, negandum eſt. Nam delectatio eſt paſſio conſequens ipſam beatitudinem, (ita expones Aug. hic citatum) quæ beatitudo, ſeu fruitio eſt nobilior delectatione, quod ſic patet. Tum, quia cuius contrariũ eſt peius, ipſum eſt nobilius, ſed odium Dei eſt peius triſtitia; ergo dilectio eſt melior delectatione. Tum, amor amicitiæ eſt perfectiſſimum accidens, quod poſſit homini competere, quia maximè à Deo acceptatur, ergo eſt perfectior delectatione, quod ille amor ſit perfectiſſimus claret. Nam elicitur à perfectiori habitu inter omnes habitus creatos, qui eſt charitas. Dices. Illud eſt nobilius, quod quietat voluntatem, delectatio eſt ſic, ergo, &c. Reſp. Scotus lib. 4. d. 49. Q. 2. ſolu 2. princ. Quod quietare vltimatè ſtat dupliciter; primo modo, quia eſt vltimum diligibile propter ſe, & non propter aliud, vel quia eſt aliquid, poſt quod non eſt aliud quietans; primo modo fruitio quietat, & non delectatio, & quod ſic quietat eſt nobilius, quia non eſt propter aliud; ſecundo modo delectatio vltimatè quietat, ſed tale non eſt nobilius, cum ſit propter aliud. Delectatio enim eſt propter operationem 10. Ethic. quia conſeruat operantem in opere. Replicabis. Delectatio eſt poſterior, ergo perfectior. Dico, quod regula Ariſt. habet veritatem in eodem genere, vt ait Scotus

tus lib. 4. vt ſupra, quando, ſcilicet vnum ordinatur eſſentialiter ad aliud, vt ſemen ad hominem, at ſic non eſt in propoſito, quia fruitio non ordinatur ad delectationem, ſed e conuerſo; idque expreſsè docet Scotus lib. 4. d. 49. Q. 7. & citat Ariſt. 10. Ethic. cap. 3. Multa bona appeteremus, etiam ſi delectationem non haberemus, vt ſcire, recordari, & virtutes: non enim laboramus, vt quieſcamus, ſed quieſcimus, vt laboremus, & ideo non eſt operatio propter delectationē, ſed magis, e cõuerſo. Hęc Scot. lib. 4. d. 49. Q. 7. Qui valde egregiè docet, quomodo delectatione, aut alijs paſſionibus nõ coniungimur efficacibus obiectis ſed ſequuntur operationes coniungentes nos obiectis. Ex hocque patet, quod paſſio non eſt de eſſentia beatitudinis, at de eius eſſentia eſt, quod coniungat obiecto beatifico, ſed hoc non poteſt facere paſſio. Et nota, quod voluntas duobus modis conſideratur, vno modo, vt operatiua, ſecundo modo, vt receptiua; primo modo perficitur ſimpliciter operatione coniungente nos ſimpliciter, & vltimatè optimo ſimpliciter; ſecundo modo eſt perfectibilis non operatione, ſed paſſionibus ſupernaturalibus, quia talium eſt vltimitatè receptiua, ſicque gaudio, & delectatione perficitur. Finaliter dices. Voluntas recipit ſuas operationes, ergo, vt receptiua eiſdem perficitur. Dico, quod non eſt perfectibilis operatione in quantum receptiua, & hoc maximè verum eſt in via Scoti, qui lib. 4. d. 49. Q. 11. determinat voluntatem reſpectu illarum operationum, effectiuè, & receptiuè ſe habere, reſpectu verò paſſionum, tantum receptiuè.

4 *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 1. Q. 3. ad P. dicit. Peruerſitas eſt in actu elicito voluntatis formaliter, quia delectatio eſt praua. Oppoſitum cõmuniter dicitur. Peccaui nimis cogitatione, delectatione, &c.

Lucas. Reſp. Peccatum non eſt niſi in voluntate, ſed delectatio, & triſtitia non ſunt in poteſtate voluntatis, niſi mediatè, ſed in quo eſt formaliter peccatum, debet eſſe immediatè in poteſtate voluntatis. Etiã docet Scotus lib. 2. d. 4. & 5. quomodo in voluntate eſt tantum peccatum, vt elicit actum malum, & non in quantum recipit eũ, quia voluntas eſt tantum libera elicitiuè, & non paſſiuè: Idcirco fatui cenſendi ſunt, culpam de delectationibus, vt pote peccaui, quia habui delectationem in comedendo, &c. Sed debet dicere culpam de actibus, ad quos ſequuntur delectationes, qui ſunt immediatè in poteſtate noſtra. His patet ad dictum commune. Falsè enim dicunt, peccaui delectatione, & ſi quid veri habeat, eſt tantum concomitenter. Quæres, à quo cauſatur delectatio in via Scoti? Paulus ſuper iſtam Quæſt. tenet, quod delectatio eſt effectiue ab obiecto, quamuis non finaliter; idque probat dicto Scoti ibidem, vbi ſic ait. Sed ita ratio non concludit. Procedit enim ac ſi obiectum non poſſet eſſe efficiens, & finis delectationis. Secundo probat; quia multum tentati ex præſentia obiecti delectabilis, volunt remiſsè, & tamen multum delectãtur, cum eis obiectum præſentetur, quod non eſſet, ſi delectatio eſſet ab actu, & nõ ab obiecto; quia cauſa non poteſt eſſe remiſſa, & effectus intenſus. Tertio boni tentati vitio carnis delectantur, cum eis obiectum præſentatur, & tamen habent nolle circa illud, ergo ab obiecto, & non ab actu cauſatur ipſa delectatio. Quarto ſi mea manus tangat obiectum conueniens, ſtatim ſequitur delectatio, & non mediante aliquo actu, ergo ab obiecto eſt talis delectatio. Hæc ex Paulo. At Scotus

lib.

lib. 3. d. 15. & lib. 4. d. 14. Q. 2. & d. 46. Q. 4. dicit oppoſitum. Nam vult, quod triſtitia cauſetur immediatè à duabus cauſis, idest ab euentu alicuius rei, & à nolitione illius, & ab actuali apprehenſione illius rei nolitę, & declarat 14. d. 4. quomodo triſtitia de peccatis ſit tantum volita mediatè, & non immediatè, & conſimiliter eſt dicendum de gaudio, quod tantum immediatè cauſatur ab actu voluntatis, & mediatè à cauſantibus iſtum actum. Quod hæc ſit mens Scoti dicũt Occam, & Gabriel ita tenentes, & citantes Scotum, & patet ſic. Primo de multis obiectis delectamur, quę non ſunt, ergo ab ipſis non cauſatur delectatio. Secundo, quandoque ab obiectis parum mouentibus delectamur, quod non eſſet, ſi ab obiecto cauſaretur. Tertio, poſito actu voluntatis ponitur delectatio, & eo remoto, remouetur, ergo eſt cauſa eius. Sed nota, licet voluntas liberè cauſet actum, actus tamen naturaliter cauſat delectationem, & ſolum per potentiam diuinam poteſt impediri delectatio, poſito actu, vt dicit Scotus lib. 4. d. 49. Q. 7, Sed non poteſt eſſe delectatio ſine actu, ſicque patet in via Scoti, quod delectatio eſt ab actu,& nõ ab obiecto. Ad primum Pauli, dico, quod Scotus vbi eum citat, non loquitur aſſertiuè, quia loquitur cum, videtur. In alijs verò locis ſuperius citatis, loquitur aſſertiuè; loco autem citato à Paulo tantum intendebat Scotus, quod obiectum non ſit cauſa finalis delectationis, ſed ſi ſit de cauſa, eſt tantum cauſa effectiua, non tamen id aſſerit, quod ſit cauſa effectiua, vel dic, quod obiectum eſt cauſa efficiens mediata, & non immediata. Dices. Scotus lib. 4. d. 49. Q. 7. habet hæc verba. Paſſio, & gaudium recipitur in potentia, vt ab obiecto; & modicum poſt dicit. Paſſio non reſpicit obiectum beatificum, vt talis, ſed ſolum, vt cauſam efficientem. Dico, obiectum beatificum reſpectu paſſionis, quæ dicitur gaudiũ, nõ eſt eius obiectũ aliquo modo, nec mediatũ, nec immediatũ, quia per talẽ paſſionẽ vnquam poſſumus attingere illud obiectũ nec mediatè, nec immediatè, & ſic nullo modo eſt obiectum eius, & tamen eius cauſa efficiens, non immediata, ſed mediata tantum. Ad ſecundum, negatur, quod parum volentes, multum delectentur delectatione intellectiua, poſſunt tamen nolle, & cum hoc multum delectari in parte ſenſitiua, vt patet in Virgine corrupta, idque propter colligantiam voluntatis in parte ſenſitiua, quam colligantiam. Docet Scotus lib. 2. d. 29. & alibi, & nota ſi voluntas delectatur delectatione inſequente actum ſuum, tunc peccat, quia talis delectatio eſt in poteſtate ſua; ſed ſi delectetur ex illa colligantia cum ſenſu, non peccat, niſi actus illius ſenſus, vt imperatus, ſit in poteſtate voluntatis, vt eliciat, actum illius ſenſus, nec ne. Ad tertium negatur, quod remiſſè volentes, maximè delectentur delectatione inſequente actum voluntatis, de qua eſt in propoſito. Ad quartum patet per diſtinctionem de delectatione ſenſitiua, & intellectiua, & delectatio ſenſitiua eſt ab actu obiecti, qui dicitur factio, immediatè, & ab obiecto mediatè.

Prima diſt. Queſt. quarta, lib. primi.

1\. *Iacobus.* SCOTVS lib. 1. d. 1. Q. 4. in argumento ad oppoſitum dicit. Neceſſitas naturalis non ſtat cum libertate. Oppoſitum patet d. 10. lib. 1. vbi habet, quod producere liberè ſtat cum neceſſitate. Voluntas enim diuina de neceſſitate vult Eſſentiam diuinam, & creaturam vult merè contingenter.

Lucas. Reſp. Lych. ſic ait Voluntas diuina neceſſario eſt rectiſſima. Secundo. Eſſētia diuina eſt in infinitum diligibilis. Tertio. Voluntas diuina ſi poſſet deficere ab vno gradu rectitudinis, poſſet non eſſe Deus, quod eſt impoſſibile. Tunc dicit. Voluntas diuina de neceſsitate diligit Eſſentiam diuinam, quia non eſt obliquabilis; ſed non eſt ſimile de voluntate noſtra, quæ eſt obliquabilis, ideo non habet illam neceſsitatem circa eſſentiam diuinam, quam habet voluntas diuina. Hæc Lich. Tu verò reſpondeas ex loco hic citato in oppoſitum à Scoto, quod producere liberè ſtat cum neceſsitate, ſed non inquit cum neceſsitate naturali, vt patet de volnntate diuina, quæ liberè, & neceſſariò producit Spiritum ſanctum. Non ergo negat Scotus, quod neceſsitas ſtat cum libertate, ſed tantum de neceſsitate naturali. Dices. Scotus ait. Voluntas non poteſt neceſsitate naturali velle finem, nec per cōſequens aliquo modo; Dico, quod tantum reſpectu voluntatis diuinæ ſtat neceſsitas cum libertate, ſed reſpectu voluntatis noſtræ, nec naturalis, nec aliqua alia neceſsitas abſolutè ſtat cum libertate. Dices ex Occam. Idem indiſtinctum ſe habet liberè, & neceſſariò, quia Voluntas reſpectu volitionis, quam recipit, ſe habet de neceſſitate, & per modum naturæ, ſed reſpectu volitionis, quam cauſat in alia voluntate, ſe habet contingenter. Franc. lib. 1. d. 1. Q. 8. ſic reſp. Voluntas eſt libera actiuè, non tamen receptiuè. Adde tu, voluntas eſt libera, vt potentia, non vt obiectum.

2\. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 1. Q. 4. in argumento ad oppoſitum dicit. Diuerſi modi operandi arguunt diuerſas potentias. Oppoſitum videtur habere Ariſt. 2. de Anima 23. Potentiæ diſtinguuntur per actus, ergo non per diuerſos modos operandi.

Lucas. Reſp. Re vera diuerſi modi operandi arguunt diuerſas potentias; ſed non diuerſi actus: quia actus diſtincti ſpecie ex diuerſitate obiectorum poſſunt eſſe ab eadem potentia; ideo dicit Scotus, diuerſi modi &c. & non diuerſi actus; quia velle, & nolle ſunt diuerſi actus diſtincti ſpecie, & tamen ſucceſſiuè poſſunt eſſe ab eadem voluntate circa idem obiectū. Et Scotus lib. 2. d. 16. ſolu. 2. princ. dicit, quod non oportet, vt ſit tāta diſtinctio in potentijs ſicut in actibus, quia intelligere, & velle diſtinguuntur realiter, ſed non tanta diſtinctione intellectus, & voluntas, & ratio eſt vt docet Scotus lib. 2. d. 1. Q. 6. & lib. 3. d. 14. Q. 1. & 13. Quol. Actus ſumunt diſtinctionem etiam ab obiectis, & ideo non eſt neceſſe, vt tantum diſtinguantur potentiæ ſicut actus. Et notat Scotus, quod actus poteſt diſtingui tripliciter, primo per ſuas differentias nobis ignotas, ſecundo per ſuas paſſiones, tertio per ſua obie-

cta

cta. Vnde non eſt neceſſe, vt ſit tanta diſtinctio, in potentijs ſicut in actibus; idcirco, velle, & nolle, ab eadem potentia circa idem obiectum diſtinguũtur realiter per ſuas vltimas differentias nobis ignotas, & non ex potentia, nec ex parte obiecti. Et nota, quando actus diſtinguũtur per ſuas vltimas differentias, vel per ſua obiecta, tunc non licet ex diſtinctione actus, arguere diſtinctioné potentiarum; ſed quando actus diſtinguũtur effectiue per potentias, vt ſic, & non alio modo licet à poſteriori poteſt, arguere diſtinctioné potentiarum. Idq; innuit Scotus lib; 3. d. 1. Q. 6. & ita intelligitur dictum Ariſt. Potentiæ diſtinguuntur per actus.

3\. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 1. Q. 4. in argumento ad oppoſitum dicit. Actus vtendi eſt per ſe vnus. Ex quibus verbis videtur, quod eodem actu, diligatur finis, & ens ad finem. Oppoſitum habet lib. 3. d. 29. vbi vult, quod cum diligo creaturam propter Deum, dilectio tunc acta circa Deum ſit actus rectus, ſed circa creaturam ſit reflexus: modo actus rectus, & reflexus non poſſunt eſſe vnus numero.

Lucas. Reſp. In via Scoti non poteſt diligi Deus, & creatura eodem actu, vt patet loco citato in 2. lib. Nam ex Ariſt. 2. de anima 33. Actus diſtinguũtur per obiecta, ſed Deus, & creatura ſunt duo obiecta, ergo duo actus etiam 2. phiſ. 89. ait Sicut ſe habet principium in ſpeculabilibus, ita finis in operabilibus: ſed principium, & concluſio diuerſis actibus intelliguntur, quorum vnus dicitur intellectus, alter ſcientia, ita diuerſis actibus debet intelligi finis, & ens ad finem. Tum ſi eodem actu diligo Deum, & creaturam, ergo equaliter, & equè intenſe diligeretur Deus, & creatura, quod eſt falſum. Tum etiam, Dilectio Dei eſt cauſa dilectionis creaturę, ergo neceſſario ſunt duo actus; quia idem non eſt cauſa ſui ipſius. Bonauentura lib. 3. d. 27. art. 2. Q. 3. dicit. Deus, & creatura poſſunt tripliciter conſiderari; primo Deus ſub ratione finis, & proximus ſub ratione entis ad finem, & eodem amore diligitur Deus, & proximus. Secundo Deus, vt bonum optatum, & proximus, vt eſt is cui bonum optatur, & ſic vterque etiam eodem amore diligitur. Tertio poſſunt conſiderari, vt obiecta è diuerſo diſtincta, & ſic non poſſunt eodem actu diligi. Hæc ſententia Bon. placet Vorilioni lib. 3. d. 27. & tenetur à Franciſco lib. 3. d. 23. art. 9. vbi dicit. Eodem actu in patria videtur Deus, & creatura, eodemq; actu finis, & ea quæ ſunt ad finem. At quicquid dicant illi, in via Scoti tenendũ eſt, quod neceſſariò sũt duo actus, & ad dictũ Scoti lib. 1. dicitur, ſi bene ponderetur litera eius in illo loco tantum vult, quod ſit vnus ex parte potentię, ſed non ex parte obiecti, ita quod ſit liber circa vtrumque extremum, & non quod ſit liber circa ens ad finem, & non liber circa finem. & ad hunc ſenſum dicitur eſſe vnus actus. Replicabis. Scotus in Reportatis lib. 1. d. 28. Q. 1. ait. Eodem actu diligo Deum in ſe, & volo proximum Deum diligere. Reſp. ſi ponderetur dictum Scoti in Report. litera eſt corrupta, & loco de li vno actu, debet ſtare, vno habitu, & quod ſic debeat corrigi tota litera Scoti ibidem expreſſè ſonat. Vnde nota, quod eodem habitu, in via Scoti diligitur Deus, & creatura, vt patet lib. 3. d. 18. Inſtabis adhuc. Scotus in 3. d. 28. inquit. Eodem volo Deum, & volo te velle Deum. Doctor eo loci intelligit de eodem habitu, & non de eodem actu.

4\. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 1. Q. 4. tenet, quod voluntas ſit potentia libera. Oppoſitum

ſitum videtur ex diffinitione potentiæ ab Ariſt. 5. Meth. 17. & 9. Meth. 2., quæ diffinitio non videtur competere voluntati.

Lucas. Reſp. Scotus 9. Meth. Q. 3. & 4. inquit, quod diffinitur ibi potentia ſiſicè, & nō Meth. & nota quod in diffinitione potentiæ data ab Ariſt. potentia diffinitur per reſpectū, quē habent cauſæ inter ſe, & nō per reſpectū quem habent cauſæ ad effectum. Adhuc ſcias velim, quod voluntas dum mouet ſe ipſam non requiritur, quod mouens, & motum diſtinguantur realiter, ſed ſufficit, quod ſit tantum diſtinctio realis inter voluntatem mouentem, & id quod producitur ab ipſa voluntate.

5. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 1. Q. 4. In ſecunda ratione dicit. Diuerſa approximatio paſſi ad agens non cauſat neceſſitatem, ſed tantum facit intenſiorem, & minus intenſum actum. Oppoſitum habet lib. 3. d. 26. & 31. & lib. 4. d. 9. Q. 5. vbi vult, fruitionem in via, & fruitionem in patria differre ex diuerſa approximatione obiecti, & ait ad literam E. Ex diuerſa approximatione agentis ad paſſum variatur effectus, aliter enim agit agens, quod per lineam rectam approximatur paſſo, quam per reflexam, vel fractam, & ibi Scotus probat, quod differant ſpecie illæ duæ fruitiones, quia ſi eſſent eiuſdem ſpeciei, tunc vna tantum poſſet augeri, ſcilicet fruitio in via, quod æquipolleret alij, quod eſt falſum, Tum, cognitio intuitiua, & abſtractiua differunt ſpecie, & tamen hoc prouenit ex obiecto, alio, & alio modo approximato.

Lucas. Reſp. Ponderandum venit verbum illud Scoti in primo, ſcilicet, (eodem modo) quod nō debet referri ad actum perfectum, vel imperfectum, ſiue eiuſdem, ſiue alterius ſpeciei, ſed debet referri ad modum agendi, ſcilicet neceſſario, vel contingenter, quia ſi remanet eadem voluntas in patria, & in via, ſequitur, quod ſi in via eſt principium elicitiuum contingenter, ſimiliter in patria, licet ſit alia, & alia præſentia obiecti faciens actum perfectum, & imperfectum, alterius, & alterius ſpeciei; tamen alia, & alia præſentia non dat voluntati, vt eliciat contingenter, vel neceſſario, quia hoc habet à natura ſua. Dices. Scotus lib. 2. d. 1. Q. 1. dicit, quod voluntas vult actum beatificum immutabiliter. Reſp. Scotus ibi loquitur ad hominem! Tum, quia ibi non eſt locus materiæ, loquitur communiter. Tum, loquitur ad hunc ſenſum, id eſt, quod ille actus nunquam interrumpatur. Tandem loquitur in ſermone reſpectiuo, comparat enim ibi actum beatificum ad actum meritorium in via, & reſpectu illius poteſt dici actus ille beatificus immobilis, ſeu quod voluntas illum vult immobiliter.

6. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 1. Q. 4. contra 3. art. vult. Quod voluntas non neceſſariò fruatur, quantum eſt ex parte ſui. Oppoſitum ſic deducitur. Quomodo ſaluatur certitudo beatorum, & quomodo obſtinatio demonum?

Lucas. Reſp. Quod inquit Scotus verè ait, & tenendum eſt. Ad illud de certitudine dicendum eſt ſecundum Franc. quod Deus eſt totalis cauſa beatitudinis, & ſic ſaluatur eius certitudo. At in hoc Franc. deuiat à Scoto. Ideo aliter dico in via Scoti, vt ait ipſe lib. 4. d. 49. Q. 6. Perpetuitas, & ſecuritas non eſt de eſſentia beatitudinis, & addit, quod illa certitudo eſt tantum in intellectu beati ex reuelatione ſibi à Deo facta. Adde tu. Etſi voluntas beati, quantum eſt ex ſe poſſit non frui; ſcit tamen beatum ſe nunquam velle dimittere, ſcit interrumpere actum beatificum, & ſcit ex reuelatione Deum ſemper velle huic actui comparari; ſicque ſtante libertate, adhuc eſt certus de ſua beatitudine. Ad illud

de

de obſtinatione demonum dico; in duobus conſiſtit eorum obſtinatio. Primum eſt actus elicitus malus, & de iſto non eſt neceſse, quod diabolus ſemper neceſſitetur ad actum iſtum. Verum eſt enim, quod Deus non concurrit ad aliquem actum bonum, ſi id non obſtat, quod ipſi non poſſint ſuſpendere eorum actum malum. Alterum eſt, in quo ſunt penæ, & triſtitia, quantum ad hoc damnati ſemper neceſſitantur ad triſtitiam, nec poſſunt non triſtari quantuncunque forte ab eis cauſetur. Iſta eſt reſp. Franc.

7\. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 1. Q. 4. contra 3. art. in deciſione illius dicit. Quod voluntas poteſt non frui Deo clare viſo. Oppoſitum ſic patet. Si poteſt non frui, ergo poteſt peccare, quia tenetur ad fruitionem interruptam ſub pena peccati mortalis.

Lucas. Reſp. Reſponſionem quære. At poteris etiam ſatisfacere ex dictis Scoti in 4. d. 49. Q. 6. vbi docet, quommodo voluntas beati fiat impeccabilis, & quomodo non.

8\. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 1. Q. 4. contra 4. art. dicit. Potentia eſt qua ſimpliciter poſſumus, habitus verò quo ſic poſſumus; quæ propoſitio habetur etiam d. 17. lib. 1. Oppoſitum ſic patet. Species intelligibilis eſt id, quo ſimpliciter poſſumus exire in actum intelligendi, & non eſt potentia, nec pars potentiæ.

Lucas. Reſp. Dictum Scoti verum eſt ſuppoſita preſentia obiecti, remoto omni impedimento, & tanquam principio quo actiuo.

9\. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 1. Q. 4. in deciſione queſtionis dicit. Quod voluntas non eleuata ſupernaturaliter poteſt frui illo fine. Oppoſitum ſic patet. Intellectus, & voluntas ſunt equales, quia tantum poteſt intellectus intelligere, quantum voluntas velle, & è conuerſo, ſed in puris naturalibus non poteſt intellectus intelligere illud obiectum, ergo, nec voluntas velle.

Lucas. Reſp. Scotus lib. 1. d. 3. Q. 3. & d. 17. & lib. 3. d. 14. Q. 1. negat. Quod intellectus naturaliter non poſſit ſine lumine ſupernaturali intelligere Deum. Dices. Oppoſitum habetur in Clementinis. Reſp. Quære. Vel dic ex diſtinctione de facto, & de poſſibili, vel complete, aut incõpletè. Quæres an Deus de potentia abſoluta poſſit facere naturam intellectualem creatam beatam ſecundum intellectum, & damnatam ſecundum voluntatem. Dicitur ex ſententia Scoti ſic. Anima poteſt eſſe in intellectu beata, & in voluntate damnata negatiuè. At, num, ſtante beatitudine in intellectu poſſit voluntas eſſe damnata contrariè? Dico; ſi per damnari cõtrariè, intelligas, quod habeat nolle circa Deũ, ita quod odio habeat Deum. Dico quod non; quoniam odium Dei in via Scoti eſt impoſſibile, vt patet lib. 4. d. 49. Q. 9. & lib. 2. d. 43. Q. 1. ſed ſi loquaris de damnatione contraria, ideſt de illo male velle continuo, & de illa continua triſtitia. Dico, quod ſic: & huius ratio eſt, quia voluntas non eſt libera paſſiuè; & ita Deus de potentia abſoluta poteſt illam ſibi imprimere ſtante beatitudine in intellectu. Et ſcias, quod ſecundum tenentes, odium Dei eſſe poſſibile, tunc poſſet eſſe clara viſio in intellectu, cum odio in voluntate; ſed hoc non eſt tenendum ad mentem Scoti.

10\. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 1. Q. 4. in reſp. Tertij argumenti pro opinione dicit. In poteſtate voluntatis eſt velle ſic, vel ſic, & velle, & nolle. Oppoſitum habet Scotus lib. 4. d. 49. Q. 7. vbi dicit. Non eſt in poteſtate animæ

videre,

videre, & non gaudere; & ex hoc ſic, ergo non eſt in poteſtate eius quod videat, & non fruatur.

Lucas. Reſp. Aliqui adduxerunt hunc locum, vt repugnantem his, quæ dicit Scotus Q. 4. d. 1. lib. 1. ſed alucinantur certè, quoniam delectatio non eſt fruitio, ſed paſſio quædam ſequens viſionem. Vnde hæc ſunt verba Scoti in 4. Dico, ergo, quod abſolutè poteſt viſio à gaudio ſeparari ſine contradictione; & tu dicis, quod tunc videret, & gauderet. Dico hoc verum eſſe, ſed hoc non eſt in poteſtate ſua, ſed diuina, quæ conſeruat viſionem, & non gaudium. Hæc Scotus.

11. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 1. Q. 4. ad tertiũ argumentũ pro opinione videtur dubitare ſi detur odium Dei, his verbis. Et ideo non poſſet forte voluntas nolle illud, quia obiectum actus nolendi eſt malum, vel defectiuum. Oppoſitum tenet aſſertiuè, quod ſcilicet odium Dei non eſt poſſibile. lib. 2. d. 6. Q. 2. & d. 43. Q. 1. lib. 4. d. 49. Q. 9.

Lucas. Reſp. In via Scoti odium Dei eſt impoſſibile, etſi Q. 4. d. 1. lib. 1. loquatur cum forté, ob id non concedit eſſe poſsibile. Dices. Pſalmiſta ait. Superbia eorũ qui te oderunt, aſcendit ſemper. Et in Euangelio. Qui me odit, & Patrem meum odit. Auctoritates illę, & con ſimiles gloſſandæ ſunt. Odio habetur Deus non in ſe, at in ſuo effectu. Et hic pondera duplicem eſſe Dei effectum, primarium, & ſecundarium; non oditur Deus, quo ad effectus primarios, at quo ad ſecundarios. Doctrina, & diſtinctio digna ſcolæ S. Thomæ Aquin. Si autem accipiatur odium Dei interpretatiuè, quod idem eſt, quod ſpernere Deum, ſic odium Dei eſt poſſibile; & ſic omnis peccans mortaliter odit Deũ, ſicut omnis peccans mortaliter appetit ęqualitatem Dei interpratatiuè, vt dicit Scotus lib. 2. d. 21. Q. 2.

12. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 1. Q. 4. in reſp. ad dictum Aug. 13. de Trin. cap. 3. de Mimo, dicit. Dico, quod non intelligit de volitione actuali. Vult enim, quod Mimus ille, de quo loquitur ibi, verum dixiſſet, &c. Loquitur, ergo de volitione habituali, & aptitudinali, qua, ſcilicet ipſa voluntas prona eſt, vt ſtatim inclinetur ad actum volendi beatitudinem, ſi actualiter offeratur ſibi ab intellectu. Oppoſitum ſic patet. Nam Aug. ibi habet, quod omnes volunt beatitudinem, ſed non omnes laudent. Si intelligatur de laudatione aptitudinali, clarum eſt, quod omnes laudant, ergo intelligit de actuali, & ſic, ne fiat ęquiuocatio, neceſſe eſt, quod intelligat de volitione actuali.

Lucas. Reſp. Non ſic aptitudinaliter laudant, ſicut aptitudinaliter appetunt beatitudinem, quia laus Dei non eſt ita eius commodum, ſicut eſt beatitudo, ideo magis aptitudinaliter in eam inclinantur. Adde tu. Quod illa prima ſolutio Scoti ad auct. Aug. eſt parui momenti, ideo dat ibi aliam ſolutionem efficaciorem, in qua declarat, quomodo voluntas appetitu naturali appetat beatitudinem neceſſariò, ſed non appetitu libero, quia appetitus liber eſt intimior voluntati, quam naturalis, cum ſit de eius quidditate. Dices. Si naturaliter appetimus beatitudinem, ergo non meremur appetendo eam. Scotus reſp. lib. 3. d. 18. & clarius lib. 4. d. 49. Q. 9. quod finis poteſt dupliciter appeti, vel ſub ratione boni honeſti, & ſic eſt actus meritorius, vel ſub ratione commodi, & ſic non eſt meritorius. Et Scotus lib. 4. ibi, addit, quod damnati appetitu naturali appetunt beatitudinem. Dices. Talis appetitus erit fruſtra. Dico. Illud eſt fruſtra, quod caret aliqua perfectione ſecundum

dum totam ſpeciem, ſed non ſi caret illa in aliquo indiuiduo. Et declarat ibi Scotus, quod non poſſumus habere velle circa miſeriam, & nolle circa beatitudinem: non tamen ex hoc ſequitur, quod neceſſario velim beatitudinem, & nolle circa miſeriam, ſed volo beatitudinem contingenter, & nolo miſeriam contingenter; quia velle, & nolle ſunt duo actus voluntatis poſitiui. Et addit, quod voluntas ſi determinetur ad volendum beatitudinem, & ad nolendum miſeriam, ſi eliciat aliquem actum circa iſta obiecta neceſſario, & determinatum eliciat actum circa beatitudinem, & actum nolitionis circa miſeriam, non tamen abſolutè determinatur ad vnum actum eliciendum, vel alium. Hæc Scotus.

13. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 1. Q. 4. ad arg. in 4. art. vult. Si voluntas eliceret actum naturaliter, non eſſet meritorius, cum eſſet ſine charitate. Oppoſitum ſic videtur. Nam ſupleat Deus actionem charitatis, tunc eſſet meritorius actus ille.

Lucas. Reſp. Baſolus lib. 3. d. 14. Q. 1: art. 2. tenet, quod actus elicitus circa obiectũ ſine charitate, ſit beatificus. Vocat enim illam ſummam fruitionem, quia de potentia abſoluta poteſt Deus cauſare ſine charitate fruitionẽ beatificã. At Frãc. nõ tenet ſic lib. 4. d. 49. Q. 5. ſolu. 2. princip. vbi dicit, quod talis fruitio non eſt beatifica, quia non eſt tanta, quanta nata eſt haberi à tali voluntate circa tale obiectum. Et ſi Deus suplet actionem charitatis, non eſſet illa fruitio beatifica, vt dicit Scotus lib. 1. d. 1. Q. 4. eſtq; locus proprius huius deciſionis ad quem in 4. d. 49. Q. 5. ſe citat. Dices. Scotus lib. 1. d. 17. & lib. 3. d. 13, Q. 4. dicit. De potentia Dei abſoluta poteſt eſſe actus meritorius ſine charitate, & tenet, quod de potentia abſoluta Dei poteſt conferre alicui animæ sũmã fruitionẽ ſine charitate. Dico; In illis locis Scotus ſic appellat eam ſummam fruitionem, ſed non beatificam, & ita ea, quæ in illis locis habentur non repugnant, quæ habet lib. 1. d. 1. Q. 4. Niſi velis dicere, quod Scotus lib. 1. loquitur de voluntate actiuè cõparata ad ſummam fruitionem, & lib. 3. loquitur de voluntate paſſiuè comparata ad ſummam fruitionem. Vel dic, quod Scotus loquitur de potentia ordinata, aut quod reſpondet ex conceſſis ab homine. Eſt enim actus beatificus capiendo actum beatificum pro fruitione elicita, præſuppoſita clara viſione Dei, non eſt autem actus beatificus, capiendo pro fruitione elicita ſecundum potentiam Dei ordinatam, ſcilicet mediante charitate præuia. Quæres: num talis fruitio elicita ſine charitate quietaret ſic fruentem? dico, quod quietaret, quia Scotus lib. 1. d. 1. Q. 3. & lib. 4. d. 49. Q. 5. ponit beatitudinem in actibus, & non in habitibus; imo habitus non requiruntur, niſi propter actus, ſicque quietaret, & maximè illa fruitio in qua Deus ſuppleret cauſalitatem charitatis, quæ deberet ineſſe. Dices amplius Scotus lib. 1. d. 17. reſp. ad 2. pro opinione Magiſtri dicit, quod talis fruitio non eſſet beatifica. At oppoſitum habet ibidem in corpore queſt. & lib. 3. d. 13. ſolu. 3. quartæ quæſt. vbi ait, quod gratia non requiritur abſolutè, nec ad actum meritorium, nec ad fruitionem. Reſp. Scotus lib. 3. & d. 17. primi loquitur de potentia abſoluta, & vt potentia tantum recipit, & non agit; in alio verò loco de potentia ordinata, & vt voluntas agit.

14. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 1. Q. 4. ad 2. princ. dicit. Quod finis mouet efficiens neceſſario, conſequenterque eſt cauſa alicuius effectus. Oppoſitum ſic

patet. Cū cauſa finalis tantum eſſe cognitum habeat, vt pluribus in locis aſſerit Scotus, quomodo poteſt eſſe cauſa &c.

Lucas. Reſp. Pro præſenti difficultate tollenda triplex occurrit opinio. Prima eſt Henr. dicentis. Id quod mouet efficiens non eſt finis in mente, quia talis tantum habet eſſe cognitum, ideo non poteſt eſſe cauſa alicuius effectus realis, nec eſt finis extra, quia talis ſequitur cauſationem, ideo non poteſt eſſe cauſa; Præterea: ſicut efficiens, materia, & forma cauſant tantum ſecundum eſſe reale, ita videtur dicendum de fine, qui eſt cauſa cauſarum, & nobilior alijs cauſis ſecundum Auicen. & Scotum in Meth. Dicit ergo Henr. Eſſentia ſeu quidditas finis, vt abſtrahit à fine in mente, & à fine extra, eſt cauſa, quæ mouet efficiens. Hanc opinionē imitatus eſt Sueſſ. 5. Met. diſp. 2. At in hanc opinionem ſic. Illa quidditas abſtracta ab illis duabus, tantum habet eſſe per intellectum, ergo incidit in inconueniens, quod vitare volebat. Secundo ſic. Tunc medici operatio eſſe fruſtra, nam ſiuè medicus attingat finem ad extra, ſiue non, ſemper attingeret finem in eſſe quidditatiuo. Tertio; finis habet rationem optimi, ſed hæc quidditas non habet rationem optimi; quia melior eſt ſanitas ad extra quàm ſanitas quidditatiuè. Ad primum autem motiuum Henr. dicitur. Non eſt incōueniens eſſe cognitum, ſiue intentionale cauſare eſſe reale mediatè, ſed bene immediatè, vnde finis in mente eſt cauſa in eſſe intentionali, ſed non pro eſſe intentionali, at pro eſſe ad extra. Ad ſecundum, negatur ſimilitudo, quia finis tantum mouet methaphoricè, & mediatè tantum cauſat; aliæ vero cauſæ immediatè cauſant in eſſe reali, & habent aliū modum eſſendi requirentem eſſe reale. Altera eſt opinio Ianduni, & eam accepit à Buridano, quod finis ad extra acquiſitus eſt cauſa finalis, quia talis habet eſſe reale. Idq; ſic probat. Primo ſic. Finis habet rationē optimi & habere rationē optimi cōpetit fini ad intra, & ad extra. Secūdo ōnis cauſatio realis vult omnes cauſas reales. Tertio: ad hoc eſt dictū Auer. 12. meth. vbi dicit. Balneū in mēte mouet, vt efficiens, ſed extra mouet vt finis. Verum, in hāc poſitionem, ſic. Primo ſic, quia tunc idem eſſet cauſa ſui ipſius. Secundo, quia eſſet cauſa, quando non eſt. Tertio. Tunc cauſa, & effectus non ſimul eſſent, & eſſent, quod tamen vult Ariſt. 5. Meth. 3. Quarto, tunc finis non moueret efficiens, quia nondum eſt. Ad primum motiuum dicitur, habere rationem optimi ſtat dupliciter; primo, quia omnia ſunt ordinata, & ipſum eſt illud, quod appetitur. Secundo, quia eo cauſante, aliæ cauſæ cauſant, tunc dico, finis extra habet rationem optimi, primo, & non ſecundo modo. Ad ſecundum, negatur de cauſis mediatis, vt dictum eſt, quod tantum mouet efficiens. Ad Auer. dico, quod finis extra mouet vt finis, ideſt eſt res, propter quam quis operatur; ſed hæc motio methaphorica non poteſt ſibi competere, niſi vt habet eſſe in anima. Tertia opinio eſt Scoti 9. meth. Q. 1. & S. Thom. 2. 2. Q. 83. dicentium, quod finis tantum eſt cauſa, prout mouet efficiens, ſed tantum mouet, vt habet eſſe in intentione, ergo vt ſic tantum eſt cauſa. Et Auic. 6. Methap. de fine loquens, ait, quod cauſa finalis nō eſt, vt inuenta extra, ſed tantum eſt in intentione agentis. Hęcque opinio ſic patet. Primo. Finis eo modo eſt cauſa, quo eſt prior effectu, ſed ſic eſt tantum in intentione, ergo. Secundo. Eo modo eſt cauſa, quo non habet rationem cauſati, ſed ſic tantum eſt in intentione.

Tertio.

Tertio. Eodem modo eſt cauſa quo concurrit cum agente, ſed tantum hoc habet in intentione. Hiſque patet hæc opinio communis. Et notá, quod aliud eſt eſſe per quod agit, & propter quod agit. Agens agit per cauſam formalem, & agit propter finem. Dices, effectus non habet perfectius eſſe quam ſua cauſa, ſed effectus habet eſſe reale, ergo, &c. Dico. Propoſitio aſſumpta, ſcilicet, effectus non habet perfectius eſſe, quam ſua cauſa eſt falſa. Nam compoſitum eſt perfectius materia, & forma, & effectus eſt perfectior ſua cauſa equiuoca, partiali, minus principali, & ſua cauſa inſtrumentali, vel dic, cum cauſa habeat eſſe ſpirituale, habet eſſe perfectius ſimpliciter, ſed non perfectius eſſe tale. Adhuc dices, inanimata mouentur propter finem, & non habent cauſam finalem. Dico, quod inanimata appetunt finem, quem non habent in intentione; eſt tamen in intelligentia dirigente opus, opus enim naturæ, eſt opus intelligentiæ, Auer. 12. Meth. Tandem dices: ſi cauſa finalis cauſat intentionaliter, tunc habet et debiliſſimum modum cauſandi, quomodo, ergo erit cauſa cauſarum ex Auuic.? Reſp. Id prouenit ex perfectione cauſæ finalis, quod cauſet ſecundum eſſe cognitum, id enim non conuenit alijs cauſis, mouetque alias cauſas, & quoquo modo continet cauſationes aliarum cauſarum.

Prima diſt. Queſt. quinta, lib. primi.

1. *Iacobus.* SCOTVS lib. 1. d. 1. Q. 5. ad penultimam Q. dicit. Senſus non ducit, ſed ducitur ex Damaſc. lib. 2. cap. 24. Oppoſitum videtur habere lib. 1. d. 3. Q. 7. vbi dicit. Senſus ſe habet actiuè ad ſenſationem, ergo non ducitur.

Lucas. Reſp. Scoti dictum, dum dicitur. Senſus ducitur, ideſt, non agit liberè, ſed naturaliter, itaquod non poteſt non agere præſentato obiecto; at non negat, quin ſenſus actiuè ſe habeat ad ſenſationem. Hæc gloſa eſt Scoti lib. 1. d. 17. Q. 2.

2. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 1. Q. 5. ad arg. 1. Q. dicit. Quod Deus fruitur ſe ipſo. Oppoſitum ſic patet. Si Deus frueretur nobis, egeret nobis, ergo ſi fruitur ſe ipſo, eget ſe ipſo, quod eſt falſum.

Lucas. Reſp. Ricardus lib. 1. d. 1. art. 2. reſp. negat conſequentiam, quia nullus propriè indiget ſe ipſo; ſicque Deus fruitur ſe ipſo ſine aliqua indigentia, aut quod egeat ſe ipſo.

SECVNDA DISTINCTIO QVESTIO PRIMA. LIBRI PRIMI.

1. Iacobus. SCOTVS lib. 1. d. 2. Q. 1. in arg. ad oppoſitum. Tenet Deum eſſe in infinitum in vigore, idque per totam queſt. oſtendit, & ab Ariſt. 8. Phiſ. argumentum deſumit, vbi probat primum mouens eſſe potentiæ infinitę, quia mouet motu infinito, ſed hæc concluſio non poteſt intelligi, tantum de infinito durationis, quia per infinitatẽ potentiæ probat, quod non poſſit eſſe in magnitudine, non repugnat autem magnitudini ſecundum Ariſt. potentia infinita in duratione, ſicut ponit in cælo. Oppoſitum habet Ariſt. primo Phiſ. 35. vbi vult. Non dari infinitum ſecundum quantitatem, nec ſecundum formam, ſeu ſpeciem, ideſt intenſionem, & perfectionem.

Lucas. Reſp. Doctor ſubtilis Q. 9. Qnol. ſolu. princ. tractat diſuſe dari infinitum in vigore. Ioannis Iand. 8. Phiſ. & Sueſſ. 12. Meth. dicunt habere potentiam infinitam in duratione cum cauſalitate prima ſuper motum æternum, inferre primum motorem non eſſe in magnitudine. Dic impugnationes contra eos, & alios modos dicendi, vt noſtri. Quod Deus ſit infinitus in vigorẽ patet ex Ariſt. 3. Phiſ. 32. Non differt eſſe à poſſe in Deo. Tunc infinitas molis eſt poſſibilis, vt patet in continuo diuiſibili in infinitum, ergo & infinitas virtutis, ſi eſt poſſibilis, ergo ibi eſt: item 2. de generatione 58. Natura ſemper facit quod melius eſt ſed infinitas intenſiua eſt melior non intenſiua, ergo &c. patet etiam ex Scoto 2. d. 1. Ad Dictum Ariſt. adductum in contradictione, dico, quod exponit ſe per li, ſecundum ſpeciem, intelligere ſecundum qualitatem, & ibi vult, quod non detur infinitum in magnitudine, nec in qualitate. Dices: ſi Deus eſſet infiniti vigoris, & eſſet tunc corpus actu infinitum, vel ſaltem maius, quam nunc ſit primum cœlum. Deus poſſet illud mouere; patet ex proportione inter motorem, & mobile, ſed conſequens eſt contra Phil. 2. cœli 71. & 12. Meth. 41. vbi vult, quod ſi vna ſtella adderetur cœlo, vel ſi maius fuiſſet cœlum, tunc cęlum non moueretur, vel tardius, & cum fatigatione moueretur. Dico, quod non poſſet tunc cælum moueri, idque per accidens eſſet, nam tale corpus occuparet omne ſpacium, & repugnantia non eſſet ab intrinſeco, ſed ab eſtrinſeco. Vel dicas, quod creſcendo eius extenſibilitas, creſceret quoque virtus, & intenſitas, & ita tanta eſſet reſiſtentia in mobili, quanta eſſet virtus mouentis, & non eſſet tunc aliquis motus, quia actio fit à proportione maioris quantitatis, vt patet primo de generatione verſus finem. Sed quid, ſi cęlum fieret maius, & non infinitum? Non moueretur, vel ſi moueretur, cum fatigatione motoris coniuncti orbi moueretur, qui dicitur anima orbis, & non ratione motoris primi, qui eſt infiniti vigoris. Dices adhuc.

Ariſt.

Ariſt. 12. Meth. 48. vult intelligentias ſe excedere ſecundum numerũ orbium, quod non eſſet, ſi prima eſſet infinita in vigore. Tum, infinitum dicit imperfectionem, quia carentiam termini, ergo non eſt in Deo ponendum. Dicendum ad primum, quod verum eſt de intelligentijs vnitis orbibus, non autem de prima, quæ non vnitur. Ad alterum, procedit de infinito negatiuè, ſeu priuatiuè, non autem de infinito contrariè. Amplius dices. Omnis virtus (ſaltem à poſteriori) manifeſtatur nobis per aliquem ſuum effectum, ſed nullus effectus reperitur infinitus. Tum, ſequeretur equalitas omnium aliorum à Deo, quia quodlibet eorum diſtat in infinitum à prima cauſa; ergo cũ equaliter diſtent, erũt eiuſdẽ perfectionis. Ad primũ horum dicitur, quod effectus de nihilo productus manifeſtat nobis infinitatem ipſius Dei. Sed hæc reſponſio non eſt Phiſ.; ideo illa propoſitio eſt vera de potentia vniuoca, & non ęquiuoca, ſicut eſt Deus. Ad alterum, nobilitas vnius effectus ad alterum, non attenditur pęnes hoc, quod non magis diſtet à prima cauſa, ſed quia omnes conueniunt in vna ratione cum Deo, ſcilicet in ſubiecto, quam rationem vnus effectus nobiliori modo participat, quam alter: vel dic omnes effectus equaliter diſtãt, ad hunc ſenſum, ſcilicet quod quodlibet eorum infinite exceditur a prima cauſa, tamen inequaliter quo ad hoc, quia vnus effectus participat aliquas participationes, quas alius non participat. Adhuc dices. Ariſt. 10. Meth. 7. habet, quod omnium eſt vna menſura, & Auer. exponit, quod eſt Deus; at menſura omnium non poteſt eſſe infinita, cum debeat eſſe notior menſurato, etſi eſſet infinita, non eſſet notior, cum infinitum ſit ignotum. Tum: tertio de Anima 18. Omni potentiæ actiuæ correſpondet paſſiua; ſed huic infinitę virtuti actiuæ nihil videtur infinitum paſſiuè ſibi corriſpondere. Ad primum horum Scotus d. 8. 1. Q. 3. negat. expoſitionem Auer. Ad illud Ariſt. dic quod talis menſura eſt notior naturaliter, licet non quantum ad noſtrum modum cognoſcendi, vel dic, quod duplex eſt menſura, vna per ſui reduplicationem, & talis eſt notior menſurato, alia per virtualem perfectionem, vt eſt Deus, & de tali menſura falſum eſt, quod debeat eſſe notior menſurato. Ad alterum dicitur, quod falſum eſt de potentia actiua, quę agit nullo præſuppoſito, aut quęre reſponſionem ex prima Prol. queſtione. Iterum dices, talis virtus infinita eſt ocioſa. quia non exit in actum vt infinita, ſed vt finita. Tum: virtus illa proportionatur primo mobili; ſed tale eſt finitum, ergo. Ad primum horum dicitur, quod verum eſt de potentia actiua, quæ ordinatur ad aliud, tanquam ad finem ſuum, ſicut non eſt prima cauſa. Vel dic, quod exit in actum non producendo infinitum effectum, ſed producendo entia infinita in infinitum, quæ, quantũ eſt de ſe poſſet ſimul producere. Vel dic, quod non exeat in infinitum effectum, non eſt ex ſui defectu, ſed ex ratione motorum ſecundorum, ſine quibus, in via Phi. non poteſt exire in actum; & hoc eſt, quod ſolet Scotus dicere, quod cauſæ ſecundæ requiruntur propter imperfectionem effectuum. Ad alterum, nego quod illa virtus proportionetur primo mobili. Nã ab Auer. datur motor finitę motionis, qui eſt appropriatus, & proportionatus orbi, & datur motor infinitæ motionis, qui eſt ab orbe ſeparatus. Dices adhuc. Auer. primo cęli 38. & 63. vult, quod ſi virtus primi motoris eſt infinita, tunc motus fieret in inſtanti. Ad hanc

& ſimi-

& ſimiles auctoritates reſp. quære ex Scoto lib. 1. d. 2. Q. 1. ſolu. vlt. princ. Dices. Auer. ait, quod motor habet velocitatem terminatam, & naturam terminatam. Reſp. loquitur Auer. de motoribus in plurali. Et ſi inſtes, Omnis motor habet motionem terminatam. Verum eſt de motore, qui eſt virtus, & anima orbis.

2. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 2. Q. 1. ad G. dicit. Proprietates entis infiniti relatiuæ ad creaturas, immediatius ſe habent ad illa, quę ſunt media in demõſtratione quia, quam proprietates abſolutæ. Idque confirmatur à Scoto d. 26. primi vbi vult, quod Chriſtus in Euangelio nominauit perſonas diuinas nominibus relatiuis, tanquam notioribus nobis, & addit. Si dicatur. Hoc fecit Papa, Rex &c. nobis eſt magis notum, quam ſi dicatur, Petrus, vel Ioannes hoc fecit. Oppoſitum ſic patet. Nam videtur, quod relatiuum ſit notius abſoluto, cum ſemper pręſupponat abſolutum.

Lucas. Reſp. Scotus 26. primi huic obiectioni reſp. quod officia ſunt notiora perſonis abſolutis. Modo effectiuum, & finitiuum ſunt, vel ſaltem ęquipollent nominibus reſpectiuis importantibus officium, & confirmari poteſt ex his, quæ habet Scotus 39. d. 1. vbi ait. Quod in paſſionibus diſiunctis entis, licet illud totum diſiunctum non poſſit demonſtrari de ente. tamen cõmuniter ſumpto illo extremo, quod eſt minus nobile, de aliquo ente poteſt concludi illud extremum, quod eſt nobilius; ſicut ſequitur, aliquod ens eſt infinitum, ergo aliquod eſt infinitum. Dices, quare ex dependentia licet arguere independentiam, & non e contra. Et ex cauſato contingenti, & finito, licet arguere cauſam neceſſariam, & infinitam, & non e contra? Reſp. In relatiuis tertij modi licet ex vno aliud arguere, & non e contra. At relatio creaturæ ad Deum eſt tertij modi, vt habet Scotus lib. 1. d. 3. Q. 5. & d. 30. Hoc idem habet Ant. And. 5. Methap. Q. 15. Ideo ex vno licet aliud arguere, & non e contra. Vnde nota, quod proprietates relatiuæ ſũt iſtæ. Primum effectiuum. Primum finitiuum. Primum independens Primum eminens &c. Proprietates abſolutæ ſunt iſtę. Habens infinitum intellectum, infinitam voluntatem, infinitam volitionem, volitioque eſt vna, & intellectio reſpectu omnium, &c. iſtæque proprietates abſolutæ ſunt in Deo realiter, ſed reſpectiuæ ſunt in Deo denominatione extrinſeca, vt Cauſa, Gubernator, &c. vt habet Scotus 30. d. 1. Quæres, vnde eſt, quod proprietates relatiuæ ſumuntur in demonſtratione quia ad probandum exiſtentiam de ente infinito immediatius, quam proprietates abſolutæ? Dico, quanto aliqua ſunt rei, vel quidditati proximiora, tanto immediatiora ſunt in demõſtratione propter quid, & tanto remotiora in demonſtratione quia, & quanto ſunt aliqua à re, vel quidditate remotiora, tanto ſunt immediatiora in demonſtratione quia, & remotiora in demoſtratione propter quid.

3. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 2. Q. 1. ad G. videtur innuere dari cauſam exemplarem, his verbis, quod additur de cauſa exemplari. Oppoſitum habet Ariſt. 5. Meth. 2. & 3. Et 2. Phiſ. 31. vbi numerans cauſas, tantum quatuor genera poſuit.

Lucas. Reſp. Scotus non ponit cauſam exemplarem tanquã diſtinctam ab alijs quatuor cauſis: Vnde cauſa exemplaris eſt quoddam efficiens, & reducitur ad genus cauſę efficientis; Quicquid dicat Henric. quol. 9. Q. 1.

& 2.

& 2. qui poſuit cauſam exemplarem eſſe aliud genus cauſę diſtinctum ab alijs quatuor generibus. Et aduerte, quod multi Theologi appellant cauſam exemplarem formam, & ſic artifex poteſt dici cauſa formalis; ſed clarum eſt, quod habet reduci ad genus cauſæ efficientis; nam etſi ſit forma, non eſt forma rei operatę, ſed eſt forma, per quam operans operatur, quę debet reduci ad efficiens. Vnde Auer. lib. Deſtr. Deſtruct. Diſputatione tertia in fine ponit Deum efficientem, finem, & formam omnium; quod ſic intelligitur; quia efficit, & finit omnia, & omnibus dat formam.

4. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 2. Q. 1. ad H. videtur ponere infinitum eſſe poſſibile. Oppoſitum huius ſentit Philoſophia aborrens ipſum infinitum.

Lucas. Reſp. Scotus concedit infinitudinem conformiter ad Philoſophum ſolum aſcendendo, & in accidentaliter ordinatis, vt ſunt indiuidua; ſed non ponit infinitudinem in eſſentialiter ordinatis. Quæres. An in generationibus ſit procedere in infinitum. Reſp. Pariſienſes 2. de gener. Q. vlt. in fine dub. vlt. Quod in his, quæ differunt ſpecie, generatio perpetuat ſecundum circulum, & non in rectum: & ratio eſt. Quia ſpecies ſunt finitæ; at in his, quæ differunt numero, generatio perpetuatur in rectum, non ſecundum circulum: & ratio eſt. Quia in his, poteſt procedi in infinitum, &c.

5. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 2. Q. 1. ad I. ait. Cauſa per accidens eſt, quæ non ſecundum naturam propriam, ſed ſecundum aliquid, ſibi accidens cauſat. Oppoſitum eius videtur ſequi. Nam tunc ignis calefaceret per accidens, quia per calorem, qui eſt ſibi accidens.

Lucas. Reſp. Paulus ſcriptor ſic dicit. Ignis per ſe ignit, & per accidens calefacit. Vel dic, quod Scotus per cauſam per accidens intelligit ea, quæ accidentaliter, & non neceſſario vniuntur, vt medicus ędificat, album legit, & nigrum cantat, &c. Vbi per accidens, & contingenter extrema hęc coniunguntur; ſed non ſic ſe habent ignis, & calor, quia & ſi per accidens, tamen neceſſarió vniuntur; idq; confirmatur per exempla Ariſt. 5. Methaph. 2. vbi exemplificat ſic. Vt Policletus eſt ſtatuæ factor, & muſicus, & albus, & ſtatuæ factor. Et docet ibi Ariſt. quod eſt ordo in cauſis per accidens. Nam vna eſt propinquior cauſæ per ſe, & vna eſt remotior. Policletus enim reſpectu ſtatuæ faciendę, eſt propinquior cauſæ per ſe, quam ſit album, & muſicum.

6. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 2. Q. 1. ad I. dicit. In cauſis per ſe, & in cauſis eſſentialiter ordinatis, eſt cauſalitas alterius rationis, & ordinis, quia ſuperior eſt perfectior. Et d. 3. primi. Q. 8. dicit. Quod cauſa quanto eſt remotior, tanto eſt perfectior. Oppoſitum huius ſic apparet. Cęlum eſt remotior cauſa, quam ſit homo in generatione hominis, & tamen non eſt perfectior homine.

Lucas. Reſp. Quando dicitur, quod cęlum eſt cauſa, accipitur cęlum pro agregato ex orbę, & intelligentia; iſtoq; modo eſt perfectius homine. Vel dic, cęlum eſt nobilius homine ratione cauſæ, non autem in ratione entis.

7. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 2. Q. 1. ad I. Elicit ex Ariſt. Si cauſæ efficientes procedunt in infinitum, ergo nulla eſt cauſa efficiens, patet conſequentia: ſi cauſæ ſunt infinitæ, ergo nulla eſt prima, ſi non eſt prima, nec aliqua ſequens, ergo nulla. Oppoſitum ſic patet. Ratio enim Scoti, & Ariſt. videtur petere principium. Nam ſuppoſiit omnes cauſas eſſe medias, ſi eſſent infinitæ, ergo præſuppoſiit primum, & vltimum.

Reſp.

Lucas. Reſp. Antonius Andr. dicit, quod ratio Scoti, & Ariſt. ſupponit quod omnes cauſæ eſſent mediæ per abnegationem primitatis, & finitatis; non enim accipit Philoſophus quod eſſent infinitæ cauſæ mediæ, poſitiuè, ſed negatiuè, ſcilicet per abnegationem primæ cauſę ſimpliciter, & vltimę.

8. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 2. Q. 1. ad K. in 4. prob. probat ſic, quod ſit impoſſibilis infinitas eſſentialiter ordinatorum. Tum 4. quia ſuperior cauſa eſt perfectior in cauſando, ergo in infinitum ſuperior eſt in infinitum perfectior, & ita infinitæ perfectionis, in cauſando, & per conſequẽs nõ cauſans in virtute alterius, quia quælibet talis eſt imperfectè cauſans, quia eſt dependens ab alia in cauſando. Oppoſitum ſic patet: nam opponens concederet, quod in infinitum ſuperior eſt in infinitum perfectior, ſed non ſequitur ex hoc, quod prima detur, at quacunq; alia data daretur ſuperior, & perfectior.

Lucas. Reſp. Franc. à Lycheto inquit rationem Scoti euidenter concludere. Ponatur quod A. cauſetur à cauſis eſſentialiter ordinatis, omnes in actu ſimul concurrunt, & ſuperior eſt perfectior, & in infinitum perfectior, & illa, quæ in infinitum eſt ſuperior, actu concurrit ad effectũ A. igitur erit ibi ſtatus; quia illa, quæ in infinitum eſt perfectior ſi ponitur cauſata, non erit in infinitum perfectior, quia cauſa illius, à qua dependebit, erit perfectior. Non valet ergo dicere, illa prima non poteſt aſſignari, quia data quacunque, adhuc ſuperior erit aſſignanda, & ſic in infinitum, quia, Quæro à te, an omnes cauſę eſſentialiter ordinatæ concurrant ad effectum A. ſi non, ergo non erunt eſſentialiter ordinatæ, quod eſt contra ſuppoſitum; ſi ſic, ergo danda eſt aliqua in actu, quæ ſit in infinitum perfectior, & ſuperior, & ibi erit ſtatus, quia illa non erit cauſata, nec dependeret ab alio.

9. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 2. Q. 1. ad K. dicit. Quia aliquod ſubiectum eſt mutatum, & ita terminus mutationis incipit eſſe in ſubiecto. Oppoſitum ſic patet. Materia prima in creatione fuit mutata de non eſſe ad eſſe, & tamen terminus, ideſt forma non incepit eſſe in ſubiecto, quia fuit creata informis, ergo falſa eſt illa conſequentia Scoti, ſi ſubiectum eſt mutatum, ergo terminus mutationis incipit eſſe in ſubiecto.

Lucas. Reſp. Conſequentia Scoti debet intelligi de mutatione ſubiectiua, & non de mutatione obiectiua. Dices: in corruptione hominis mutatur ſubiectum, & tamen terminus mutationis non incipit eſſe in ſubiecto. Dico, quod Scoti dictum intelligitur, de mutatione ſubiectiua perfectiua, & non de mutatione ſubiectiua deperditiua.

10. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 2. Q. 1. ad O. ex Ariſt. 8. Methaph. 10. Formę ſe habent ſicut numeri, & d. 17. ſic exponit, ſicut numerus additus numero variat ſpeciem, quod ita gradus additus formę variat ſpeciem, & intelligitur de gradu ſpecifico. Ex quo habes, quod eſſentia cuiuslibet ſpeciei conſiſtit in indiuiſibili, & non ſuſcipit magis, & minus. Oppoſitum habet Ariſt. in Prædicamentis, quod ſcilicet quantitas non ſuſcipit, magis, & minus.

Lucas. Reſp. In via Scoti ſpecies non ſuſcipit magis, & minus; idq; tenent Occam. Alphon. Ant. Andr. Zerbus, & via communis, & his auctoritatibus probatur. Prima eſt Porph. cap. de differentia, vbi vult, quod differentia formalis nõ ſuſcipit magis, & minus, & ait ſic. Vniuſcuiuſq; vnum eſſe, & idem eſt, nec intenſionem, nec remiſſionem ſuſcipiens.

Secun-

Secunda eſt Auct. ſex principiorum dicentis. Forma eſt ſimplici, & inuariabili eſſentia conſiſtens. Tertia eſt Ariſt. in cap. de Qual. vbi dicit. Quod iuſtitia non ſuſcipit magis, nec minus, quod tamen contingeret, ſi talis forma ſecundum eſſe ſpecificum, ſuſciperet magis, & minus. Huius tamen oppoſitum tenet Thom. de Argent. quem recitat Alph. lib. 1. d. 17. Q. 1. Ad formam dic, vt ſcis.

81. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 2. Q. 1. ad Q. dicit. Finibile exceditur à fine in nobilitate, & per conſequens in perfectione, & eſt Ariſt. 12. Methaph. 12. & alibi. Oppoſitum ſic patet. Nam beatitudo eſt finis noſter, & tamen homo eſt perfectior beatitudine.

Lucas. Reſp. Lych. dicit. Quod Scotus loquitur de fine ex natura rei, ad quem ordinantur alia, ſiue de fine præexiſtente, & non acquiſibili per operationem. Vel dic de fine cui, & gratia cuius.

82. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 2. Q. 1. ad Q. dicit. Nihil poteſt non eſſe, niſi cui aliquid incompoſſibile poſitiuè, vel priuatiuè poteſt in eſſe. Oppoſitum habet lib. 2. d. 14. Q. 1. vbi ait. Quod compoſitum ex materia, & forma, dato quod non habeat contrarium vincens; eſt tamen corruptibile ab extrinſeco, & ab intrinſeco poſſet deſinere eſſe, & non tantum per incompoſſibile poſitiuum, vel priuatiuum.

Lucas. Reſp. Scotus per incompoſſibile intellexit formam oppoſitam, ſeu diſparatam incompoſſibilem in eadem parte materię; ideirco compoſitum non habens contrarium vincens, adhuc eſt corruptibile per incompoſſibile, ſcilicet, ex forma incompoſſibili in eadem parte materię, & tale eſt incompoſſibile poſitiuum, incompoſſibile autem priuatiuum, vt tenebra lucis, & ſic inquam, quod tale compoſitum non habens contrarium vincẽs corrũpitur ratione appetitus materiæ appetentis aliam formam incompoſſibilem formæ, quam habet. Vel dic. Scoti dictum habere veritatem, in compoſitis, & non in ſimplicibus. Dices. Angelus, & anima poſſunt non eſſe, & non per incompoſſibile, priuatiuum, vel poſitiuum. Inquam, rationem Scoti eſſe Phiſicam, & ad Phil. Eſt enim ratio deſumpta ab Auicen. ideo reſp. negando Angelum, & animam eſſe corruptibiles. Vel ſi concedatur corrumpi, hoc erit tantum ad corruptionem compoſiti, vt habet Scotus lib. 2. d. 17. Inſtabis tandem. Materia prima poteſt non eſſe, & tamen non per incompoſſibile poſitiuum, vel priuatiuum. Nego. Materiam primam in via Phil. poſſe deſinere eſſe.

83. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 2. Q. 1. ad Q. dicit. Nulla cauſa deſtruere poteſt aliquod ens propter repugnantiam ſui effectus ad illud, niſi perfectius, & intenſius eſſe ſuo effectui det, quam ſit eſſe alterius deſtruibilis. Oppoſitum ſic patet. Nam ignis deſtruit lignum propter repugnantiam ſui effectus, ſcilicet ignis geniti, & tamen ſuo effectui non dat perfectius eſſe, quam ſit eſſe ligni. Etiam albedo, cum ſit menſura colorũ, eſt perfectior nigredine, & tamen ſepe ad corruptionem albedinis fit nigredo. Similiter caliditas, & frigiditas, humiditas, & ſiccitas, ſic ſe habent, quod vna ſpecies eſt perfectior alia, & tamen inter illas eſt mutuus tranſitus, ergo non ſemper cauſans dat eſſe perfectius cauſato, quam ſit eſſe rei incompoſsibilis ſuo effectui deſtruibilis.

Lucas. Reſp. Aliquid eſſe perfectius ad preſens ſtat multis modis. Primo in entitate. Secundo, quo ad potentiam actiuã, & reſiſtitiuã virtutẽ actiuã, & reſiſtitiuã alterius, ſicque eſt perfectior effectus ſua cauſa, & hoc mo-

do eſt in propoſito. Vnde genitum vincit, vt in propoſito eſt, vel ex natura ſua, vel ex præſentia agentis fortificantis genitum. Vnde ex præſentia ignis, duo gradus caliditatis vincunt ſex gradus frigiditatis in aqua. Dices. Ignem hoc facere, & non illos gradus. Dico, quod prę-ueniuntur, & ſi non præuenirentur, hoc poſſet facere virtute agentis. Similiter dicatur de igne genito, & corrupto.

14. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 2. Q. 1. ad Q. videtur dicere, quod ſubſtantia ſuſcipiat magis, & minus, illis verbis. Niſi ſuo effectui det intenſius, & perfectius eſſe. Oppoſitum habet d. 17. & in Methaph. 5. quod ſubſtantia non intenditur, nec remittitur.

Lucas. Reſp. Illud verbum Scoti, intenſius, & perfectius debet exponi, ideſt virtuoſius. Et nota in via Scoti ſubſtantia non ſuſcipit magis, & minus. Ant. Andr. 11. Methaph. Q. 1. tenet ſubſtantiam ſuſcipere magis, & minus; & de his dictum eſt alibi.

15. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 2. Q. 1. ad Q. probat, quod non poſſunt eſſe plura neceſſe eſſe formaliter tribus rationibus. Oppoſitum habet lib. 1. d. 8. Q. 5. quod poſſunt eſſe plura neceſſe eſſe formaliter.

Lucas. Reſp. Scotus d. 2. primi non probat abſolute ad Phil. quod non poſſint eſſe plura neceſſe eſſe formaliter. Nam oppoſitum tenet d. 8. primi loco citato ſecundum Phil. at vult probare, quod repugnet eſſe plura neceſſe eſſe formaliter, & a ſe, ideſt plura neceſſe eſſe prima, & non ordinata.

16. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 2. Q. 1. ad Q. probans, quod non poſſint eſſe plura neceſſe eſſe, ſic ait. Si duæ naturæ ſunt neceſſe eſſe, aliquibus rationibus proprijs realibus diſtinguuntur; & dicantur rationes iſtæ, A. & B. aut ſunt formaliter neceſſariæ, aut non, &c. Oppoſitum ſic deducitur. Deus, & creatura conueniunt in ente, & differunt per rationes, & differentias formales, & tunc illę, aut ſunt neceſſe eſſe, aut non, &c. Tum, in Deo ſunt attributa, & Eſſentia, quæ differunt formaliter, vt patet d. 8. primi Q. 4. & tamen quodlibet eorum, formaliter eſt neceſſe eſſe, ergo Deus erit plus quam neceſſe eſſe. Similiter perſona includit relationem, & Eſſentiam, quæ differunt formaliter, & tamen quodlibet eorum eſt neceſſe eſſe. Hæc Occam.

Lucas. Reſp. Ad pr. dicit Viger. quod Sco. loquitur de entitate ſignata in actuali exiſtentia non autem de conceptu communi. Adde tu, quod loquitur de conceptu, qui eſt ibi ex natura rei cuiuſmodi non eſt conceptus entis, vt declarat Scotus d. 8. primi Q. 3. Ad illud de relatione, & Eſſentia dicit. Quod propoſitio Scoti debet intelligi de quacunque entitate quanta, ſicut non eſt relatio, ſed tunc remanet difficultas de Eſſentia, & attributis. Ad hocque ſic dicit Lychetus. Quod etſi attributa ſint formaliter neceſſe eſſe, tamen, ipſis non exiſtentibus per impoſſibile, adhuc Eſſentia eſt neceſſe eſſe. Ratio ergo concluderet contra Scotum, ſi huiuſmodi attributa eſſent rationes neceſſario eſſendi in Deo, quod non eſt verum; imo, & ſi ipſa attributa ſint formaliter neceſſe eſſe, originaliter tamen propter identitatē, quam habent cum Eſſentia, ſunt neceſſe eſſe. Ad id, quod ait de Eſſentia', & relatione. Dicitur quod Relatio non eſt formaliter neceſſe eſſe, ſi eſt ratio de neceſſe eſſe, & infinito, de quo alias; fortè tota neceſsitas eſt propter identitatem realem, quam habet cum Eſſentia diuina. Dices. Si eſſentia eſt neceſſe eſſe, & etiam relatio, tunc eſſet ibi aliqua compoſito. Reſp. Scotus d. 5.

primi

primi Q. 2. & 26. d. 1. Quod infinitas tollit omnem compoſitionem, ex eo quod infinito repugnat habere rationem partis.

18. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 2. Q. 1. ad R. dicit. Siue immediatè neceſſario mouet eam, ſiue aliud, immediatè, & illud neceſſario motum mouet voluntatem neceſſario, quia mouet ex hoc quod mouetur: ex quibus habetur quod inter voluntatem diuinam, & creatam nulla eſt cauſa media. Oppoſitum videtur habere lib. 2. d. 24. Q. 3. vbi vult corpora cœleſtia eſſe ſuper intellectum, & voluntatem noſtram.

Lucas. Reſp. Dictum Scoti intelligitur, quod corpora celeſtia ſint indirectè ſuper nos, ſcilicet in quantum habent vim complexionandi partem ſenſitiuam, vt ibi clare patet.

19. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 2. Q. 1. ad R. dicit, quod cauſatur per quãcumque partem motus, neceſſario, & ineuitabiliter cauſatur. Oppoſitum ſic patet, nam ſubſtantia non poteſt cauſari per motum, cum accidens, ex 12. d. 4. Q. 3. non poſſit eſſe ratio formalis producendi ſubſtantiam.

Lucas. Reſp. Scotus lib. 1. non intelligit per motum cauſari ſubſtantiam, ſed, vt habet Ariſt. 2. de generatione 16. & 18. & Scotus lib. 2. d. 14. Q. 3. & alibi, Motus tantum facit ad actionem, quia eo adducitur agens ad debitam diſtantiam, vt agat, & alio modo non agit, nec eſt ratio agendi.

20. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 2. Q. 1. ad R. ſermonem habet de neceſſitate ineuitabilitatis. Vnde ſcias duplicem fore neceſſitatem, ineuitabilitatis, ſcilicet & immutabilitatis, prima priuat actum, & potentiam ad oppoſitum; ſecunda priuat tantum oppoſitum; prima dicitur neceſſitas ſimpliciter, ſecunda ſecundum quid. Oppoſitum habet lib. 1. d. 8. Q. vlt. vbi præponderat neceſſitatem immutabilitatis ſuper aliam, ergo videtur, quod neceſſitas immutabilitatis ſit magis, & ſimpliciter neceſſitas, & non alia.

Lucas. Reſp. De neceſſitate ineuitabilitatis, & immutabilitatis loquitur doctor noſter 30. primi & lib. 4. d. 49. Q. 13. & 16. Quol. Neceſſitas immutabilitatis competit tantum æternis, neceſsitas autem ineuitabilitatis competit contingentibus; quæ tamen non contingenter fiunt, ſiue permanentia, ſiue ſucceſsiua ſint, neceſsitas ineuitabilitatis priuat actum, & potentiam, & Deus ſic tali neceſsitate dicitur neceſſarius; neceſſitas vero immutabilitatis tantum priuat oppoſitum actu ſuccedere, ſed dimittit potentiam ad illud, & ſic determinata contingenter à voluntate diuina, & intellecta ab intellectu diuino, ſunt neceſſaria tali neceſſitate. Ex quo patet, quod talis neceſsitas ineuitabilitatis eſt neceſsitas ſimpliciter abſoluta, neceſsitas verò immutabilitatis eſt tantum neceſsitas ſecundum quid. His notatis dico ad contradictionem. In permanentibus præualet neceſsitas ineuitabilitatis, & non poteſt in talibus ſine alia neceſsitate eſſe, etſi non in ipſis, ſaltem in ſuis cauſis, ſed in ſucceſsiuis vt in motu, & maximè in via Phil. eſt neceſsitas ineuitabilitatis ſine alia, quia alia talibus repugnat, & talis neceſsitas ineuitabilitatis in motu eſt ex neceſsitate immutabilitatis in cauſis ipſius motus, ſicq; Scotus nunquam præponit neceſsitatem immutabilitatis alteri neceſsitati. Et ſcias, tenendo quod Deus cauſet neceſſario ad extra, tunc fiunt multa contingentia, ſed non contingenter, & alia ſiue ſint ſucceſsiua, ſiue permanentia fiunt ineuitabiliter; ſed non immutabiliter, & in talibus eſt neceſsitas ineuitabilitatis ſine neceſsitate immutabilitatis.

21. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 2. Q. 1. ad R. Pluribus rationibus, probat Deum intelligentem, & volentem. Oppoſitum deducitur ex Ariſt. 2. de Anima. 2. & 12. vbi dicit intelligere eſt quoddam pati. Sed Deus ex Ariſt. 12. Meth. 38. & 41. & 8. Phiſ. 55. dicit impasſibilis, & inalterabilis, & nullo motu mobilis, ergo &c.

Lucas. Reſp. Ad videndum, quomodo Deus ſit intelligens, & volens, vltra rationes quas ponit Scotus 2. d. 1. adduntur hæ rationes. Prima eſt auct. Ariſt. 12. meth. 39. vbi vult Deum habere vitam ſempiternam, & talis vita eſt ſpeculatio, & concludit, quod optimum in Deo eſt ſpeculatio, & non diſtinguit intelligere, & velle, vt habet Scotus lib. 4. d. 49. Q. 4. Secunda eſt auctoritas 12. Meth. 51. vbi dicit. Id quod intelligit Deus eſt diuinisſimum, & honorabiliſſimum; & ſubdit, ſe ipſum intelligit, quod potiſſimum eſt Et Auer. in com. dicit. Neceſſe eſſe ſi eſt, eſt intelligens, vt ſemper ſit ſecundum alterum modorum, aut ſecundum diſpoſitionem, in qua non vtitur ſua ſcientia, aut in qua vtitur; ſi ergo facit in diſpoſitione, in qua ſciens non vtitur ſua ſcientia; eſt quaſi dormiens, & non inuenitur in eo ſcientia nobilis, & hoc eſt inconueniens. Hæc Comment. Tertia eſt auctoritas Ariſt. 10. Ethic. c. 10. vbi ponit felicitatem noſtram in contemplatione, & in operatione, quæ huic eſt cognatiſſima. Quarta eſt auct. Auer. 12. Meth. 39. vbi inter multa colligitur hæc ſententia. Deus eſt ſapiens, atque in vltima delectatione ſemper conſtitutus, perfectiſſima vita viuens. Quinta. Si Deus non intelligit, conſequenter non diligit; cum diligere præſuponat intelligere, ſicque non erit beatus, quia beatitudo non conſiſtit niſi operatione immanente, ſed in Deo non poſſunt eſſe aliæ operationes immanentes, ab his duabus. Sexta. Deus omnia dirigit, gubernat, & ordinat; at in Prol. primi Meth. Ariſt. dicit. Quod ſapientis eſt ordinare, regere, & gubernare, ergo Deus eſt ſapiens, & non poteſt eſſe ſapiens niſi ſit intelligens. Septima. Si Deus non intelligit, ergo nec vult, & ſic erit ens ociosum, quia aliæ operationes, vt mouere, ſeu cauſare, ab his duabus pendent, quibus ablatis, nulla alia remanebit. Octaua. Ex diffinitione data à Mercurio. Deus eſt ſphera intellectualis &c. Nona. Ex doctrina Scoti lib. 1. d. 26. ſolu. princ. dicit. Intellectualitas dicit modum intrinſecum eſſentiæ diuinæ. Dico: hæc ſe habent per ordinem. Primo eſſentia, vt eſſentia. Secundo modi intrinſeci. Tertio attributa. Nota. Ex doctrina Scoti prima Quol. dicitur, ſi eſſentia diuina diffineretur vita intellectualis ingrederetur in ratione eius, & primo Report. d. 35. ait Scotus quod ſi eſſentia diuina &c. Intentio doctoris eſt probare intellectualitatem non eſſe attributum, & vt id faceret, ſufficiebat ſibi eam remouere à tertio loco, & collocare in priori; ideo dixit ipſam modum intrinſecum, vt ex hoc excludat eam ab attributis, non tamen intendit, vt ſit modus intrinſecus: nam in litera immediatè ſequenti, comparauit intellectualitatem rationali, modo rationale non eſt modus intrinſecus hominis, at de eius ratione formali. Decima. Sumitur ex diffinitione Dei quæ cōmuniter à Theologis datur. Deus eſt ens habens omnem perfectionem in ſummo, carens omni imperfectione, infinitę intellectualitatis, & voluntatis, ens à ſe, ſumme neceſſarium, à quo omnia qui a nullo. Et ſcias, quod aliud eſt probare Deum eſſe intelligentem, & Deum eſſe intelligibilem. Primum probatur ab Ariſt. locis citatis.

Secundum probatur ex 12. Meth. 36. vbi dicit, Deum mouere in quãtum appetibilem, & intelligibilem. His dictis, ſic dicitur ad contraditionem. Dictum Philoſophi concluderet, ſi intelligere eſſet accidens reale diſtinctum ab intellectu, vt eſt in nobis; ſed ſic non eſt in Deo, in quo intelligere eſt idem, quod Deus, & non eſt ibi pati niſi methaphoricè, & in nobis etiam intelligere eſt pati perfectiuè, non corruptiuè. Dices. Intelligere eſt operatio intelligentis prouenìens ab intelligente, ſed talis operatio diſtinguitur realiter ab operante, ergo ſi Deus intelligeret, ſua intellectio non eſſet ſubſtantia. Negatur quod intelligere ſit propria operatio, & quod in Deo diſtinguatur ab operãte. Adhuc dices. Ariſt. 12. meth. 51. inquit, quod intectus non intelligit ſe niſi acceſſorie, ergo Deus non intelligit ſe, niſi prius intelligat alia, ergo nec ſe. Inquam. Ariſt. arguitiuæ hoc dixiſſe, & de intellectu noſtro, & non diuino intellexiſſe. Tandẽ dices. Dauid Iudeus lib. de cauſis ait. Omne ſciẽs ſuã ſcientiã redit ad eã reditione cõpleta, ſed Deus nũqã exit suã Eſsẽtiã, ſicq; nõ poteſt ad eãredire reditione cõpleta nec cõſequẽter intelligit eã. Dico. Reditus ille eſt tãtũ methaphoricus, & non proprius, vel dic, vt Zerbus Q. 10. 12. Meth. quod redire in ſuã eſsentiã nihil eſt quã per ſe ſubſiſtere, cũ ergo primo principio per ſe ſubſiſtere conueniat ad ſuam eſsentiam redire dicitur.

22. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 2. Q. 1. ad S. citat dictum Auic. 6. Meth. c. vlt. vbi ait, ſi de qualibet cauſa eſſet ſcientia, illa de cauſa finali eſſet nobiliſſima. Oppoſitum ſic patet. Nam cauſa finalis habet ſæpe eſſe tantum in mente, ſeu tantum eſſe obiectiuum. Quomodo ergo &c.

Lucas. Reſp. licet ſæpe ipſa cauſa finalis in ſe non ſit nobiliſſima, tamen cauſatio eius nobiliſſima eſt, cum moueat omnes alias, & omnibus alijs præſupponatur, & hinc ſcientia de ea dicitur nobiliſſima, quod poteſt confirmari ex Scoto d. 1. Q. 1 lib. 1. Nam dicit data, quod ratio efficientis, & finis coincidant', tamen Deus non beatificat ſub ratione efficiẽtis, ſed in quantum eſt obiectum perfectiſſimum, & addit, quod in efficiente eſt plenitudo perfectionis obiecti, non autem in ratione efficientis; vnde efficiens eſt, includtiur ratio finis, vel quietatiui ex ſuo modo cauſandi.

23. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 2. Q. 1. ad S. dicit. Potentia ſolũ receptiua eſt potentia contradictionis, eſtq; propoſitio Ariſt. 9. Meth. 17. & Scoti pluribus in locis. Oppoſitum ſic patet. Subiectum eſt in potent ia paſſiua paſſionis, & tamen non eſt in potentia contradictionis.

Lucas. Reſp. Vigerius dicit, quod hæc propoſitio habet veritatem de potentia receptiua alicuius realiter diſtincti, cuiuſmodi non eſt propria paſſio. Vel dic, quod eſt vera de potentia, quæ tantum eſt paſſiua, ſed non cũ potẽtia eſt neceſſario actiua reſpectu illius cuius eſt receptiua. Aut dic ex his, quæ habet Scotus lib. 2. d. 1. Q. 4. & 5. vbi vult, quod homo, quãtũ eſt ex ſe, poteſt eſſe ſine riſibili, ſed impeditur ab identitate reali. Dices. Ignis eſt in potentia paſſiua ad caliditatem, & tamen non eſt in potentia contradictionis. Reſp. Vigerius quod propoſitio illa eſt vera de potentia paſſiua; quæ non neceſſario eſt actiua reſpectu illius. Vel dic, vt habet Scotus lib. 2. d. 1. Q. 4. quod debet addi, dummodo hoc non proueniat ab extrinſeco neceſſario vniente: ſicq; poteſt ſolui inſtantia, quę poſſet fieri de cœlo, & eius motu, & inſtantia de figura, & alijs accidentetibus ſoluantur ponderando illud ver-

bum

bum, ſolummodo, vel quod hoc prouenit ab extrinſeco neceſſariò illa vniente.

24. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 2. Q. 1. ad T. tenet, quod voluntas non poteſt aliquid velle, niſi intellectus prius præintelligat. Oppoſitum habet lib. 1. d. 39. & 40. & 14. Quol. vbi vult, quod voluntas diuina prius vult, & determinat aliquod cauſabile, quam intellectus cognoſcat illud eſſe ergo circumſcripta cognitione alicuius contingentis, adhuc voluntas diuina poteſt illud cognoſcere,

Lucas. Reſp. Lichetus dicit ſic. Dictum Sco. 2. d. 1. intelligitur de cognitione ſimplicium propoſitionis contingentis; tales enim cognitiones ſimplicium præcedunt determinationem diuinæ voluntatis. Vel dic, quamuis voluntas poſſit determinare aliquod contingens eſſe ante cognitionem illius, tamen facta tali determinatione, intellectus ſtatim intelligit illam determinationem, & voluntas non poteſt ad extra ponere illud in eſſe, quod determinauit, niſi intellectus prius intelligat; ſicq; ad ſui eſſe neceſſariò precedit intelligere circa illud. Vel dic, quod Scotus 2. d. 1. non diſtinguit inter velle, & intelligere cum per vnumquodque eorum, tanquam per ſufficiens medium Scotus habeat intentum ſuum. Dices. Angelus multa cauſat, quæ non poteſt cauſare, niſi intellectione præuia; tamen ex hoc non ſequitur, quod ſua intellectio ſit ſibi eadem realiter, ergo à ſimili, non requiritur, quod voluntas Dei cauſando, licet requirat intellectionem præuiam, quod ſit ſibi eadem eſſentialiter, & realiter, vt dicit Scotus 2. d. 1. ibidem. Lichetus ait, quod in cauſando non eſt inconueniens agens ſecundo dependere ab alio diſtincto realiter ab eo, vt patet de Angelo, & ſua intellectione: eſt tamen inconueniens de primo efficiente, ideo neganda eſt ſimilitudo. Dices. Prima cauſa, ſecundum Philoſophum, non poteſt eſſe ſine ſecunda, ergo videtur ab ea dependere. Non dependet, quia nihil recepit ab ea, ſcilicet ſecunda; ſed tantum neceſſariò requiritur ſecunda propter imperfectionem effectus, ex ordineq; neceſſariò, & eſſentiali cauſarum.

Iacobus 25 us. Scotus lib. 1. d. 2. Q. 1. ad T. vult Deum intelligere alia à ſe. Oppoſitum habet Ariſt. 12. Methaph. 51. vbi vult, quod Deus non intelligat alia a ſe quia tunc vileſceret eius intellectus, quia quædam ſunt, circa quæ melius eſt meditari, quam non meditari.

Lucas. Reſp. Franc. lib. 1. d. 36. Q. 4. circa hoc recitat quatuor modos dicendi Prior eſt. Intellectus diuinus non intelligit, niſi ſe ipſum, alioquin vileſceret. Alter eſt. quod tantum intelligit incommutabilia, & nó commutabilia, quia eſt in eis mutatio. Tertius eſt, quod ſolum intelligit principalia, vt homines, quia eis non eſt cura de beſtijs. Quartus eſt modus cattolicus, quod intelligit ſe, & alia à ſe, tam bona, quã mala, tam immutabilia, quam mutabilia; iſtaq; concluſio eſt tenenda, & ſic deducitur. Primo argumento Themiſtij. Deus cognoſcit ſe perfectiſſimè, ergo intelligit omne, ad quod ſe extendit virtus eius, & cognoſcit ſe eſſe cauſam, principium, & finem eorum, quæ exigunt aliorum cognitionem, etiam cognoſcit ſe eſſe diſtinctum ab alijs. Secundo Franc. argumento loco citato. Cognoſcens perfectiſſimè obiectum, cognoſcit omne demõſtrabile de ſubiecto, ſed de Deó eſt demõſtrabile, quod eſt melior creatura, ergo cognoſcens ſe meliorẽ creatura, cognoſcit creaturam. tum quia ponens differentiam inter

aliqua

aliqua duo cognoſcit illa. Tum, quia impoſſibile eſt cognoſcere cõplexionem non cognitis terminis. Tertio, de omnibus contradictorijs, de eo verificatur; Deus.n. vel eſt in tẽpore, vel non; dependens, vel non; corpus, vel non. At impoſsibile eſt, quod Deus ſe cognoſcat non eſſe tempus, nec corpus, niſi cognoſcat tempus, & corpus. Quarto. omne agẽs agit propter finẽ 2. Phiſ. 66. Tunc ſic. Aut agit propter finẽ, quẽ cognoſcit, vel propter finẽ, quẽ nõ cognoſcit, ſed ab alio terminatur ad agendũ, ſed primum agens non poteſt ab alio determinari, ergo neceſſario agit propter finem, quem cognoſcit. Quinto arg. Bacco d. 35. primi quicunque cognoſcit ſe perfectisſimè, cognoſcit omnia, quæ ſunt in eo: ſed omnes creaturæ continetur in Deo, Comment. 12. Meth. com. 18. dicit. Omnes formę ſunt in potentia in materia prima, & in actu in primo motore; ergo Deus cognoſcit ea, quæ ibi continentur. Sexto, Diſtinctio rerum non eſt à caſu; ergo eſt ab aliquo præcedente totam hanc diſtinctionem: ſed nihil præcedit totã hãc diſtinctionẽ, niſi Deus; Quomodo poteſt hæc diſtinctio ab ipſo procedere niſi ab ipſo eſſet cognita? His igitur cõcluſio certa eſt omniũ Theologorũ, quod Deus vnico actu, omnia diſtinctisſimè intelligit, nec in hoc eſt dubium, & quod ſic diſtinctè cognoſcat. Docet Scotus lib. 1. d. 2. Q. 1. & d. 38. & 39. & alibi. Greg. lib. 1. d. 35. & Bacco. d. 36. tenent, quod inſequendo rationem naturalem, tenendum eſt quod Deus intelligit alia à ſe. Et Baccon. addit. Qui dicunt Ariſt. & Auer. tenuiſſe, Deum non intelligere alia à ſe, imponunt eis falſum & ſatisfacit rationibus in oppoſitum. Diuus Thomas contra gentes lib. 1. d. 50. ait. Deum intelligere alia à ſe dupliciter poteſt intelligi, primo, quod intelligat aliud à ſe, & ſit perfectio ſic intelligere, & ſic Deus non intelligit aliud à ſe. Secundo, quod intelligat aliud à ſe, itaquod non ignoret, ſicque intelligit aliquid aliud à ſe, licet non extra ſe. His ſtatutis: dicitur negando eos; quia ſequens rationem naturalem excluſa actorit. Phi. (Dicit Greg. habet ponere Deum intelligere alia à ſe, & ſecundum Greg. Ariſt. & Auer. non ſunt ſequti rationem naturalem. Ioan. Bac. dicit, quod Deus cognoſcit alia à ſe, quia non ſibi magis repugnat facere vilia, quam ea cognoſcere. Sed Deus facit vilia, vt patet 7. Phiſ. 3. 4. 5. 6. & 8. Phiſ. 45. 54. & 83. In Meth. ſępe; vbi Ariſt. vult, quod ſit vna prima cauſa omnium, etiam eſt cauſa exemplaris omnium, ergo cognoſcens exemplum cognoſcit etiam exemplatum. Cum dicitur, quod vileſceret. Dico, quod ſicut non vileſcit ea cauſando, quia ſunt de perfectione vniuerſi, ita nec ea intelligendo, vt obiecta ſecundaria, vileſceret tamen ſi cognoſceret ea, vt obiecta primaria. Vel dic, quod vileſceret Deus, ſi intelligeret hæc vilia capiendo ſcientiã ab eis id; eſt, quod vult Scotus, quod vileſceret, ſi res ſe haberent motiuè in illa intellectione, ſed non, ſi ſolum ſe habeant terminatiue, & hoc dici Auer. 12. Meth. com. 51. Aut dic, Deus non cognoſcit aliquid extra ſe quia in ſua eſſentia omnia cognoſcit, tamen nihil prohibet, quin poſſit cognoſcere aliud à ſe. Tandem dic: Hæc inferiora, & alia cognoſci à Deo poteſt tripliciter intelligi; primo vt de eis habeat diſtinctas cognitiones, & ſic non, ſecundo, vt ea cognoſcat per diſtincta media, & ſic non, quia per ſuam eſſentiam omnia cognoſcit. Tertio, vt cognoſcat omnia propria prædicata quidditatiua rerum, & ſic debet in-

telligi

telligi, quod cognoſcat omnia diſtinctè. Inſtabis: ſi Deus cognoſceret aliud à ſe, tunc intelligeret compoſita; quod eſt falſum. Concedo Deum intelligere ſimplicia, & compoſita cum intelligat omnia; ſed non intelligit compoſita ordinando vnam partem ad aliã, ſicut nos facimus. At vnico actu ſimplici intelligit ſimul, & intelligit compoſita, ſed non compoſitè. Dices adhuc. Auer. 12. Meth. 51. vult quod Deus non poſſit intelligere aliud à ſe, nec ſcientia vniuerſali, nec ſcientia particulari, quia talia ſunt infinita, & ad nullam ſcientiam determinantur. Concedo, quod intelligit omnia ſingularia, quamuis ſint infinita, quia, cum Deus ſit infinitus, poteſt vnico actu infinito cognoſcere diſtincte. Sed an ſingularia ſint infinita in via Theologorum? Reſp. Scotus lib. 3. d. 14. Q. 2. Quod ſingularia poſſibilia ſunt infinita, ſed non de facto ſunt, vel erunt infinita, aliter autem dicendum eſt ad Phil. Dices tandem? Intellectio menſuratur ab obiecto. tertio de anima 38. ergo intellectio Dei erit imperfectior ipſo Deo, quod eſt falſum. Dico, quod ſcientia capit ſuam denominationem ab obiecto terminatiuo, & non motiuo, & ab obiecto motiuo capit ſuam perfectionem, quaſi effectiuè. Et ſi quomodo videatur menſurari, & capere denominationem ab obiecto terminatiuo, hoc tantum eſt verũ denominatione extrinſeca, & non intrinſeca, nec effectiuè, nec quaſi effectiuè, nec à priori. Sed quid ſentiunt Ariſt. & Auer.? Videtur tenere, quod Deus non intelligat aliud à ſe. Contr. Ariſt. 10. Ethic. c. 10. & Auer. dicunt, quod Deus habet curã de ſingularibus, & viſitat ſapientem ſicut amicus amicum. Dico Ariſt. in Ethic. loquitur moraliter, ſcilicet, vt reddat homines bonos, in Meth. loquitur, vt ſapiens, vt ſcilicet verum dicat. Vnde Auer. 2. Meth. 15. dicit, quod leges non quærunt veritatẽ ſed bonitatem. Quæres, an intellectio Dei ad alia à ſe, terminetur ad res in genere proprio, an, vt relucent in eſſentia? Vnde nota, quod viſio eſſentiæ dicitur meridiana, viſio rerũ in eſſentia dicitur matutina, & viſio in genere proprio dicitur veſpertina. Deus habet duas primas cognitiones, de tertia autem dubium eſt, an ſcilicet in Deo ſit cognitio veſpertina. At ſi quæratur, an videat res in genere proprio? Pro hac difficultate ſcias Deum non poſſe cognoſcere in genere proprio, ſeu cognitione veſpertina, quod ſic patet. Primo, cognitio Dei circa creaturam fuit ab æterno, ſed res extra non fuerunt ab æterno, ergo non poſſunt eſſe termini intellectionis æternę. Secundo ex Aug. ſuper Geneſim ad literam c. 5. & 7. vbi in Angelo ponit cognitionẽ matutinam, & veſpertinam, poſtea valde expreſſe dicit, ſed non auderem ponere cognitionem veſpertinam in Deo. Tertio, cognitio matutina eſt perfectior veſpertina, ſed Deus cognoſcit creaturã cognitione perfectiſſima ergo &c. Quarto, creatura æque bene cognoſcitur, ſiuè ſit, ſiuè non ſit extra, ergo vt extra non terminat talem cognitionem. Quinto, Ex Scoto tertia Prol. Si Deus cognoſceret res extra in genere proprio, cum notitia denominetur talis ab obiecto terminatiuo, tunc Deus diceretur Meth. Logic. Medic. &c. ſed Deus eſt tantum Theologus, ergo tantum videt in eſſentia. Adde ex 5. Quol. Scoti. Intellectus diuinus præciſè cognoſcit res in eſſentia ſua, & non per creaturam, quia tunc vileſceret intellectus eius. Super quæ verba Licheitus habet hanc ſententiam. Nota, quod intectus diuinus dicitur vileſcere dupliciter cognoſcendo creatu-

ram, ſi mouetur ab ea, vt a cauſa partiali, quia tunc intellectus ſe haberet paſsiuè reſpectu illius. Secundo, vileſceret, quando eius cognitio terminaretur ad creaturam, vt in ſe; quia tunc creatura eſset obiectum in ratione creaturæ, quod eſt inconueniens, & ita apparet quomodo in via Scoti. Deus non cognoſcit cognitione veſpertina. Idem tenet Alph. Baccon. & quamplures alij. At num intelligere lapidem ſit perfectio ſimpliciter in Deo? Ad hoc reſp. Scotus d. 35. primi, & d. 39. quod ſic, & hoc de intelligere in ſe, ſed non ſub ratione qua tranſit ſuper tale obiectum. Dices. Quicquid poteſt virtus inferior poteſt ſuperior, ſed intellectus creatus poteſt cognoſcere cognitione veſpertina, ergo, & increatus. Committis fallaciam figuræ dictionis. Nam verum eſt, quod cognoſcit creatura, cognoſcit, & creator; ob id non ſequitur; creatura cognoſcit res ad extra, ergo Deus. Adhuc inſtabis. Cognoſcens relationem eſt cognoſcens & extrema, ſed Deus cognoſcit eſse diſtinctum à creatura in genere proprio, ergo, &c. Dico, quod Deus cognoſcit res ad extra, & in genere proprio, ſed quia res in genere proprio relucent in mente diuina, Deus cognoſcit res in genere proprio, & extra in ſua eſsentia, & ita cognoſcit res extra, intra, & non extra. Dices. Amplius: equalis ambitus ſunt intellectus, & voluntas in Deo; ſed voluntas ſe extendit ſuper res extra creando eas, ergo ſuper illas poterit ſe extendere intelligendo. Alph. ſic reſp. Verum eſt, quod ad quicquid ſe extendit diuina voluntas, & intellectus; quia quicquid vult diuina voluntas, cognoſcit intellectus, ſed ex hoc non ſequitur, quod cognoſcat aliquid extra ſe terminatiuè; ſufficit enim, quod cognoſcat omnia in ſe ipſo, & cum dicitur, quod diuina voluntas vult me extra ſe, non in ſe, verum eſt, & ſic intellectus diuinus intelligit me extra, & non in ſe, licet hoc non intelligat terminatiue extra ſe, ſed in ſe ipſo. Amplius dices. Agens per intellectum eo modo quo agit, eo modo cognoſcit, ſed Deus eſt agens per intellectum, & agit ad extra, ergo cognoſcit ad extra res neceſsario. Dico. Agens per intellectum cognoſcit quicquid agit, ſed non oportet quantum ad omnia eodem modo quo agit, eodem modo cognoſcat, cum actio illa ſit operatio tranſiens, cognitio verò immanens; vnde ſi ratio eſset bona, probaret Deum cognoſcere noua cognitione, quod nullus diceret, patet ſic. Omnes agens per intellectum eo modo, quo agit, eo modo cognoſcit, ſed Deus eſt agens per intellectum, & conſtat, quod agit actione noua creaturas creando, ergo cognoſcit cognitione noua, & nō ęterna. Iterum dices. Peccatum non eſt in Deo, nec habet in eo relucentiam, ergo ſi à Deo debeat cognoſci neceſse eſt, vt cognoſcatur ad extra. Dico. Deus cognoſcit omne peccatum ſiue præteritum, ſiue præſens, ſiue futurum; cum dicis in Deo non eſt peccatū, concedo formaliter, quo ipſe dicatur peccator, ſed eſt in eo obiectiuè, non enim ab ęterno reprobaſset malos, niſi quia eorum cognouit peccata. Inſtabis, priuatiua in Deo non habent relucentiam. Reſp. Habent relucentiam in ſuo oppoſito, ſiue ſuo ſubiecto, ſed an negationes, & priuationes habeant ideam in mente diuina; dicetur alias.

16. *Lectio 1.* Scotus lib. 1. d. 2. Q. 1. ad V. dicit. Quod intellectus Dei ſemper intelligit, & diſtincto actu. Oppoſitum ſic patet. Quia ſi ſemper intelligit videtur, quod diſcurrat, quia intelligit hoc poſt hoc, & hoc per hoc, ſaltem ordine naturæ. Vnde Iudth. cap. 9. habetur. Illa poſt illa cogitaſti.

Lucas. Reſp. Quamuis alibi de hac re, ſcilicet an Deus diſcurrat, dixerimus; adhuc hæc ſubinferã, Deus nõ diſcurrit, vt patet ex Ariſt. 12. meth. 51. vbi vult, quod Deus non poteſt diſcurrere ab intellectione partium ad intellectionem totius, tum quia in Deo non eſt motus, ergo non diſcurrit. Tum quia ſua intellectio eſt ſua ſubſtantia, ergo non diſcurrit. Tum, ſimul omnia intelligit, ergo non diſcurrit. Sed nota, quod ad diſcurſum tria requiruntur. Primum, quod intelligat hoc poſt hoc; Secundum, quod intelligat hoc per hoc. Tertium, quod extrema diſcurſus intelligantur diuerſis actibus intelligendi. Deus, vt colligitur ex 3. Prol. dicurrit quantum ad duas primas conditiones, ſed non quantum ad tertiam, & per hoc tollitur contradictio. Nota etiam, diſcurſum capi bifariam vno modo, quando intelligimus multa ſucceſſiuè, ſiue illa ſint connexa ſiue non; ſecundo modo, quando diſcurrimus a premiſſis ad concluſionem. Si Deus diſcurreret primo modo, tunc reſpectu alicuius intelligibilis quandoque eſſet in potentia, quandoque in actu, & quod ſic non diſcurrat patet ex ſententia Iacobi Ap. Apud quem non eſt tranſmutatio, nec viciſsitudinis obumbratio; Et auctoritate Pauli ad Hebreos. Omnia nuda, & aperta ſunt oculis eius, non diſcurrit ſecundo modo ſcilicet a premiſsis ad concluſiones; vt ſcilicet alio, & alio actu intelligat. Idcircò D. Thom. lib, 1. contra gentes cap. 56. dicit. In Deo non eſt habitualis cognitio; ſed tantum actualis, vnde ſcias, velim animam noſtram ſolam, & nullam intelligentiam celeſtem diſcurrere ſecundum Ariſt. Sed apud Theologos, vt tenet Scotus tertia Prol. Omnes Angeli vere diſcurrunt, & ſolus Deus non diſcurrit. Thomas autem tenet Angelos non diſcurrere. Franciſcus Q. 14. Prol. ponit diſcurſum in Deo. Scotiſtæ communiter dicũt Deum diſcurrere quantum ad primas duas conditiones ſupra dictas, ſed non quantum ad tertiam. Franciſcus verò tertiam conditionem à ſcotiſtis cõmuniter poſitam negando ſic ait. Spiritus ſeparati poſſunt totum diſcurſum vnico actu cognoſcere. Dices, Virtus inferior poteſt diſcurrere, ergo & ſuperior, vt Deus poteſt diſcurrere. Verum eſt, quando fit comparatio in vna perfectione ſimpliciter, quod illud, quod competit inferiori, competit ſuperiori; ſed non quando non eſt perfectio ſupplens imperfectionem, vt eſt diſcurſus. Finaliter dices. Contingit multa in habitu intelligere, ſed nõ in actu, ex 2. topic. c. 25. Dico, quod verum eſt de intellectu noſtro, qui imperfectior eſt inter omnes, ſed nõ de intellectu perfecto, vt eſt intellectus intelligentiarũ.

27. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 2. Q. 2. ad A. dicit. Notitia cuiuſcunque obiecti nata eſt gigni ab ipſo, vt a cauſa proxima. Oppoſitum patet ex Aug. dicente. Ex obiecto, & potentia gignitur notitia; patet etiam de relationibus, tam realibus, quam intentionalibus, quę non ſunt motiua intellectus.

Lucas. Reſp. Non negat Scotus notitiam gigni à potentia, at ſe declarat, vt patet in littera, ſcilicet notitia tanquã a cauſa proxima partiali non totali. Etiam non comparat hic, hęc omnia obiecta inter ſe, ſed ad obiectum diuinum, & tunc differenter loquitur de eis, non curando, an omnia moueant, an ea tantum, quæ abſoluta ſunt.

28. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 2. Q. 1. ad Bb. dicit, quia de ratione entis non eſt finitas, nec apparet ex ratione entis, quod ſit paſſio conuertibilis cum ente, Oppoſitum habet, quinta, quodl. vbi tenet, quod infinitas non ſit paſſio ipſius entis.

Reſp.

Lucas. Reſp. Scotus 2. d. 1. capit paſſionem pro omni eo, quod eſt extra quidditatem, & neceſſario ſequitur quidditatem, & ſic modi intrinſeci poſſunt appellari paſſiones. Aliquando paſſio capitur pro accidente communi: hoc modo Scotus d. 15. 2. lib. appellauit quantitatem paſſionem ſubſtantiæ. Paulus dicit, duplices eſſe paſſiones entis, quas vocat primas, & ſecundas, primas ſimplices, ſecundas diſiunctas, circumloquentes nobis vnum conuertibile cum ente nobis ignotum. Quæres. Vtrum vnitas ſit modus intrinſecus, an paſſio. Paſſio, inquam, eſt. Replicabis, vnitas non eſt aptitudo, ergo non eſt paſſio. Negatur antecedens, & quod ſit aptitudo, patet ex Scoto pluribus in locis.

29. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 2. Q. 1. ad Bb. Ex infinito in actu in quantitate vult probare infinitum intenſiuè. Ex quo ſupponit Scotus infinitum in actu eſſe poſſibile in quantitate molis. Oppoſitum habet lib. 2. d. 1. Q. 3. Et 2. meth. Q. 6. vbi vult infinitum tale impoſſibile eſſe, etiam theologicè loquendo.

Lucas. Reſp. Ratio Scoti 2. d. 1. eſt tantum vna leuis perſuaſio, ex qua non licet accipere reſolutionem. Vel dic illud dictum eſſe extra, & non de littera Scoti.

30. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 2. Q. 1. ad Bb. dicit. Duo contradictoria non poſſunt facere vnum intelligibile, nec poſſunt intelligi. Oppoſitum habet Scotus lib. 2. d. 1. Q. 3. vbi vult contradictoria poſſe intelligi.

Lucas. Reſp. Scotus non negat contradictoria per ſe intelligi, ſed tantum dicit, quod duo contradictoria non poſſunt conſtituere vnum intelligibile; huiuſque rationem aſſignat ibidem. Vel dic, quod contradictoria intelliguntur cognitione apprehenſiua, ſed non cognitione adhæſiua. Paulus notat, quod intellectus non poteſt cogitare contradictionem, ideſt vnum obiectum intelligere, quod includat contradictionem, videns ipſum eſſe aliquod ens; quia intellectus ſimplex non erraret, vt patet d. 3. 1. Q. 4. Sed bene poteſt cogitare aliqua duo, quorũ vnio includit cõtradictionẽ, vt patebit d. 43. 1. Sed phantaſia poteſt cogitare incomplexum tale, credens eſſe ipſum vnum poſſibile vt eſt chimera, &c.

31. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 2. Q. 1. ad Bb. dicit. Maius eſt cogitabile, quod eſt in re quàm quod eſt in intellectu. Oppoſitum habet lib. 4. d. 1. Q. 1. vbi dicit. Res habent verius eſſe in mente diuina, quam in ſe. Item Domus verius eſſe habet in mente artificis, quam extra.

Lucas. Reſp. Scotus dicit ad primum, quod verum eſt rem in mente diuina habere verius eſſe ſimpliciter, ſed non verius eſſe tale, quia tunc Deus eſſet formaliter lapis. Ad ſecundum, concedit, quod ſimpliciter domus habet verius eſſe in mente artificis, quam extra, quia hæc fit ab illa; tamen domus extra habet verius eſſe domus, quam in intellectu cuiuſcunq;. Sed de ſubſtantia Scotus negat, quod habeat verius eſſe in intellectu creato; quam in ſe, nec loquendo de eſſe ſimpliciter, ſeu de eſſe tali. Nam ſic, vel ſic, ſubſtantia habet verius eſſe in ſe, quam in intellectu, & ita loquitur Scotus d. 2. lib. 1. ſcilicet de ſummo quod neceſſario eſt ſubſtantia. Si autem velis, quod propoſitio Scoti vniuerſaliter ſit vera, diſtingue de eſſe ſimpliciter, & de eſſe tale, vel, vt exponit aliqui, illud quod eſt in re eſt perfectius cogitabile &c. ſi li, perfectius, determinet, li cogitabile, ideſt quod ipſũ ſit perfectius cogi-

tabile, ſic eſt falſum, quia roſa non exiſtens, eſt ita perfectum cogitabile, ſicut roſa exiſtens. Si determinet intellectionem, ſic eſt verum & tunc eſt ſenſus, quod perfectiori modo intelligitur exiſtens, quia exiſtens intuitiuè intelligitur, non ſic autem non exiſtens: notitia autem intuitiua eſt perfectior abſtractiua de eodem obiecto.

32. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 2. Q. 1. ad E e. citando Ariſt. 8. Phiſic. dicit, & cum eo habet pro inconuenienti, quod virtus finita, & infinita moueant in tempore equali. Oppoſitum habet lib. 2. d. 2. Q. 11. ſolut. 1. vbi ait, quod virtus finita, & infinita mouere poſſunt in equali menſura.

Lucas. Reſp. Quando menſura eſt diuiſibilis, tunc mouet in equali menſura, præſuppoſito, quod virtus infinita moueat ſecundum vltimum conatum; ſed quando menſura eſt indiuiſibilis, tunc mouebunt in equali menſura, etiam quod virtus infinita agat ſecundum vltimum conatū, & tunc hoc non prouenit ab intrinſeco, ſcilicet naturarum ratione, ſed ab extrinſeco, ſcilicet ratione indiuiſibilitatis in menſura. Quæres, cum illa virtus habet vnam partem propinquiorem, & aliam remotiorem, quęnam illarum eſt pars propinquior, & quę remotior? Vt id ſcias; nota, quod Ariſt. 8. Phiſic. 84. dicit eſſe Deum circumferentiam cęli; quia primus motor debet poni, vbi motus eſt velocior, Deus igitur ibi eſt; quod motus ſit velocior in circumferentia, quam in alijs partibus corporis, patet, quia in equali tempore trāſit maius ſpatium. Et Auerr. in com. ait, quod Deus eſt circumferentia ſpheræ, quia actio eius ibi magis apparet, & ſubdit. Motor primus eſt in partibus velocioribus, quia quanto magis aliquis appropinquatur motori, tanto velocius mouetur.

Secunda diſt. Queſt. ſecunda, lib. primi.

1. *Iacobus.* SCOTVS lib. 1. d. 2. Q. 2. ad arg. ad oppoſitum dicit. Per ſe notum non poteſt ab aliquo negari. Oppoſitum ſic patet. Nam multi negauerunt primum principium, vt patet 4. Meth. 9. & Philoſophus longo proceſſu diſputat contra eos.

Lucas. Reſp. Primum principium poſſe negari dupliciter, intelligitur, voce tantum, & ſic negauerunt principium; aut corde, ſicque non; hæc reſp. Ab Ariſt. trahitur 4. Meth. vbi ait. Idem ſimul habebit contrarias opiniones, qui de hoc eſt mendoſus.

2. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 2. Q. 2. in initio, citans dictum Ariſt. 2. Meth. t. 15. ait. Abſurdum eſt ſimul quærere ſcientiam, & modum ſciendi, vbi Phil. vult modum ſciendi præcedere ſcientiam. Oppoſitum habet Q. 1. Vniuerſalium, vbi vult modum ſciendi eſſe poſteriorem ſciente, & ſcientia.

Lucas. Reſp. Pro intelligentia dicti Phil. 2. Meth. poteris notare quinque gradus hominum, quibus fiunt in habitu ad ſcientias. Primus eſt conſuetudo. Secundus eſt, quod aliqui nolunt recipere ſcientiam, niſi afferatur exēplum. Tertius vult auctoritatem. Quartus vult demonſtrationem, & certitudinem ad omnia. Quintus habet demonſtrationem moleſtam.

His

His notatis; dic, quod Scotus 1. Vniuerſalium loquitur de poſterioritate perfectionis, Ariſt. verò de prioritate generationis.

3. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 2. Q. 2. ad A. vult, quod propoſitio per ſe nota excludit omnem aliam cauſam, exceptis terminis. Oppoſitum ſic patet. Nam non excludit intellectum, ergo non omnem cauſam.

Lucas. Reſp. Aliud eſt loqui de euidentia propoſitionis per ſe notæ, & aliud de notitia talis euidentiæ: Ad euidentiam propoſitionis ſufficiunt termini ad notitiam requiritur intellectus. Vel dic. Propoſitio per ſe nota excludit omne aliud à terminis in ratione obiecti, ſed non in ratione potentię. Inſtabis, hæc propoſitio. Nix eſt alba, eſt per ſe nota, & tamen non habet euidentiam ex terminis, ſed ex ſenſu, ergo propoſitio per ſe nota non eſt illa quæ habet euidentiam ex terminis tantum, vt dicit Scotus. Reſp. Franc. d. 2. primi, Q. 4. arguit diffinitionem Scoti tanquam inſufficientem, quoniam illa propoſitio, nix eſt alba, non habet euidentiam ex terminis, & tamen eſt per ſe nota; & ſubdit diffinitionem Scoti habere veritatem, in notitia abſtractiua non autem in intuitiua, deinde ſic diffinit. Propoſitio per ſe nota eſt illa, quæ habet euidentiam ex ſe, & non ex alia propoſitione. Dicitur tamen pro Scoto, quod illa propoſitio, nix eſt alba, non eſt per ſe nota; idque docet Gregor. d. 2. primi, Q. 1. vbi vult, quod nulla propoſitio contingens eſt per ſe nota, aut dic, quod eſt tantum nota per ſenſum ex intuitione extremorum, & non ex ſua ratione formali, & maxime, quia Franc. dicit, Deum poſſe ſaluare niuem ſine albedine. Vel dic, quod cum omnis propoſitio per ſe nota ſit neceſſaria, quia propoſitio per ſe nota eſt dignitas, & dignitas ex Ariſt. 1. Poſter. eſt neceſſaria; ergo nix eſt alba, non eſt propoſitio per ſe nota. Vel dic, nix eſt alba, eſt per ſe nota intuitiuè, & non abſtractiuè. Ex Gregor. Hæc notanda veniunt. Primum, nulla propoſitio contingens eſt per ſe nota. Secundum, nulla propoſitio ſingularis de ſecundo adiacēte eſt per ſe nota, excepta, Deus eſt. Tertium, non omnis propoſitio immediata eſt per ſe nota. Quartum, non omnis propoſitio, cuius predicatum includitur in diffinitione ſubiecti, eſt per ſe nota. Ex Ioan. Maior. iſta ſunt notanda. Primum, non omnis propoſitio immediata eſt per ſe nota. Secundum, omne totum eſt maius ſua parte. Tertium, omnis propoſitio compoſita ex partibus contradicentibus eſt per ſe nota. Quartum, aliqua propoſitio falſa eſt per ſe nota. Quintum, propoſitio per ſe nota eſt indemonſtrabilis à priori, & à poſteriori; ſed hoc vltimum reputo falſum. Dices. Sunt multa principia indemonſtrabilia nota in medicina ex experimentis, vt quod talis herba ſit effectiuè calida, & tamen non noſcuntur ex terminis, ergo propoſitio per ſe nota ex terminis non eſt nota, vt vult Scotus. Thom. Ang. cuius eſt hæc difficultas credidit, quod omnis propoſitio indemonſtrabilis ſit per ſe nota, quod non eſt verum.

4. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 2. Q. 2. dicit. Diffinitio, & diffinitum, ſiue capiantur pro terminis, ſiue pro conceptibus, differunt. Oppoſitum habet lib. 1. d. 8. Q. 3. & 1. Quol. art. 1. vbi dicit, quod diffinitio, & diffinitum dicunt eundem conceptum, ergo, &c.

Lucas. Reſp. Scotus dum dicit, diffinitio, & diffinitum, &c. debet intelligi diuerſimodè, quia voces, & quæcunque alia ſigna, ad placitum, vt hæ, diffinitio, & diffinitum differunt inter ſe realiter; ſed ſi capiantur pro conce-

conceptibus ſignatis, tantum differunt ex natura rei, vt docet auctor formalitatum cap. de diſt. & de Identitate ex natura rei: ſi autem accipiantur pro conceptibus exiſtentibus in mente, differunt realiter. Debet intelligi etiam dictum Scoti de diffinitione, & de diffinito pro fundamento, quia pro formali ſunt duæ intentiones diſparatæ, quæ realiter differunt eo modo, quo diſtinctio realis reperitur in ſecundis intentionibus. His viſis dicit ad contrad. ſi accipiatur ſolum diffinitio pro ipſis partibus diffinientibus ſimul ſumptis, diſtinguuntur ſic ex natura rei à diffinito, loquendo de diffinitione methaphiſica, quia diffinitio phiſica ſic accepta diſtinguitur realiter à diffinito, quia totum phiſicum diſtinguitur realiter à ſuis partibus; diffinitio verò pro quidditate reſultante ex partibus diffinientibus eſt idem omnino ex parte rei cum diffinito, & hoc modo debet dictum Scoti in locis prællegatis intelligi. At hoc vltimum dictum non eſt tutum, quod diffinitionis quidditas ſit alia à partibus ſimul ſumptis, & illa eſt ſententia expreſſa Franc. lib. 1. d. 2. vbi Q. 2. habet hæc verba. Videtur igitur dicendum, quod ſicut compoſitum naturale addit ad partes ſimul ſumptas, ita etiam compoſitum methap. i. diffinitio addit ſuper genus, & differentiam ſimul ſumpta. Et ſi dicas, ergo diſtinguntur formaliter. Dico, quod non diſtinguntur formaliter, quia ſpecies includit genus & differentiã, ideo non diſtinguntur. Hæc Franc. at bene ex natura rei ait auctor formalitatum. Ad contrad. aliter dici poteſt, Scotus 1. quol. vult, quod diffinitio, & diffinitum ſint vnus conceptus realiter, vt patet ibi ex littera Scoti, Sicque intelligitur dictum Scoti d. 8. 1. licet etiã ibi dici poſſet, quod arguit ad hominem, ſcilicet contra Herr. Dum autem 2. d. 1. ait, quod dicunt alium, & alium conceptum, verum eſt ex natura rei. Nota, quod conſequentia à diffinito ad diffinitionẽ pro fundamento valet, non pro formali, ſecundo modo non valet põderando illa duo prædicata, quæ ſunt intentiones, tertio; non valet, dum illa habent ſuppoſitionem materialem; quarto, non valet in terminis denotantibus cauſalitatem; quinto, non valet in terminis dicentibus prioritatem, & poſterioritatem; ſexto, non valet in terminis concernentibus actus intellectus; non enim ſequitur, animal rationale eſt indicatiuum hominis, ergo homo eſt indicatiuum hominis.

5. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 2. Q. 2. ad A. dicit Propoſitio non eſt per ſe nota quidditate confuſe concepta; quæ non eſt nota, niſi diſtinctè concipiatur per diffinitionẽ. Oppoſitum huius videtur dicere Scotus 3. Q. Prol. vbi velle videtur, quod ad hoc, vt ſit propoſitio per ſe nota, opus eſt quidditatem eſſe diſtinctè cognitam.

Lucas. Reſp. Scotus 2. d. primi vult aliquam propoſitionem confuſè acceptam eſſe per ſe notam. Nam Geometer habet aliquas propoſitiones per ſe notas ex ſolo conceptu per ſe confuſo terminorum, vt iſtam. Linea eſt longitudo & cæt. ſed non omnes; quia nõ illam, ſcilicet, Linea eſt ſpecies quantitatis continuæ, & huius differentia eſt, quia ex conceptu confuſo terminorum poteſt euidenter ſciri veritas, ſed non iſta, per idque patet ad contradictionem. Nam 3. Prol. vult quod propoſitio per ſe nota ſit diſtinctè cognita, intelligitur de ſcientia Meth. quia, cum ſit ſcientia ad quam ſtat reſolutio aliarum, requiritur, quod termini ſint diſtinctè cogniti; in alijs vero ſpecialibus ex cõceptu cõfuſo terminorum fiunt propoſitiones per ſe notæ, vt in Philoſophia, & Geometria

tria. Dices,quare hæc propoſitio eſt per ſe nota. Animal rationale eſt riſibile, & non hæc,homo eſt animal, cum illa ſit ſecundi modi,& hæc primi? Dico in prima termini ſunt diſtinctè cogniti, in ſecunda vero non, ſed confuſe, aut dic, quia hæc, Homo eſt animal, eſt ſilogizabibilis, ſed non altera.

6. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 2. Q.2.ad A.Damnat illam diſtinctionem depropoſitione per ſe nota in ſe, & nobis; dicit enim ſic. Ex his etiam patet, quod nulla eſt diſtinctio de per ſe nota in ſe, & nobis, quia, quæcunq; eſt in ſe, & per ſe nota, cuicunque intellectui eſt per ſe nota, licet non actu cognita. Oppoſitum habet Ariſt. 1. Phiſ. 2. & 7. Meth. 10. Nam hæc diſtinctio per ſe nota in ſe. & nobis, in his locis tractatur, ergo non videtur aſpernanda.

Lucas. Reſp. Duplex eſt ordo in cognoſcendo, vnus ex parte potentiæ, & alter ex parte obiecti; Tunc dico, quod diſtinctio Ariſt. eſt acceptanda,vbi talis ordo accipitur ex operatione potentiarum, ſed non quando tantũ accipitur ex parte obiecti, quia ille talis ſemper eſt vniformis, & iſto modo loquitur Scotus 2. d. 1. Dices. Num diffinitio propoſitionis per ſe notę ſit illa, quæ ponitur primo Poſt. ab Ariſt. ſic, Propoſitio per ſe nota eſt,quam neceſſe eſt, quemlibet docendum habere per ſe ipſum. Dico, quod non, ſed illa diffinitio eſt propoſitionis, quæ vocatur maxima; vel dignitas, quam ſcilicet neceſſe eſt habere quemlibet docendum, quia tunc, ſolum maximæ communes omnibus ſcientijs eſſent propoſitiones per ſe notæ, quod eſt falſum. Et nota, quod diffinitio data a Scoto acceptatur a doctoribus, & maximè ab Occam, & Gab. 3. d. 1. Q. 4. tamen dicunt quod breuius poteſt ſic deſcribi; Propoſitio per ſe nota eſt propoſitio neceſſaria, non dubitabilis.

7. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 2. Q. 2. ad A. dicit. Propoſitio per ſe nota non eſt demonſtrabilis. Oppoſitum patet per Boetium de hebdom. vbi ſic ait. Communis animi conceptio, quæ dum venit ex alia communiori, vt incorporalia non eſſe in loco.

Lucas. Reſp. In via Scoti, Propoſitio per ſe nota non poteſt demonſtrari, & id tenetur ferè ab omni ſcola Theologorum, quod ſic patet. Eſt enim contradictio, qnod ſit per ſe nota, & nota per aliud ſit. Secundo,propoſitio per ſe nota excludit omne aliud præter terminos, ergo non pẽdet ab alia, per quam poſſit demonſtrari. Tertio, Ariſt. 1. Poſt. Omnis demõſtratiua ſcientia eſt circa tria, dicit, dignitatem eſſe per ſe verum eſt neceſſe, ſed omnis propoſitio per ſe nota eſt dignitas, ergo &c. Quarto, omnis propoſitio demonſtrabilis eſt dubitabilis, ſed propoſitio per ſe nota non eſt dubitabilis. Tandem, nulla propoſitio immediata eſt demonſtrabilis, ſed omnis propoſitio per ſe nota eſt immediata, ergo &c. Ad dictum Boetij, quod non omnis conceptio animi eſt per ſe nota, ſed aliqua ſic, & aliqua non, vt ipſe exemplificat, incorporalia nõ eſſe in loco. Dices; hæc propoſitio, homo eſt ſubſtantia, terminis diſtincte conceptis, eſt demonſtrabilis, & tamen eſt per ſe nota, vt dicit Scotus d. 2. Q. 2. l. 1. & quod ſit demonſtrabilis, ſic patet, Omne animal eſt ſubſtantia, omnis homo eſt animal, ergo omnis homo eſt ſubſtantia. Reſp. hæc, homo eſt ſubſtantia non eſt per ſe nota, niſi terminis diſtinctè conceptis, & tunc dicitur, quod eſt ſilogizabilis, non demonſtrabilis: ſimiliter, de hac, Deus eſt,apud intellectum beati,qui diſtincte cognoſcit terminos, eſt enim ſibi à po-

ſteriori

ſteriori ſilogizabilis, ſed non demonſtrabilis, quia tunc permiſſæ non ſunt euidentiores concluſione. Vel dic, hæc præpoſitio, Deus eſt, tantum eſt per ſe nota in intellectu beati, qui diſtinctè cognoſcit terminos, ſed non in intellectu viatoris terminos confusè cognoſcentis. Dices etiam, Cælum eſt, cęlum mouetur, nix eſt alba, ſunt per ſe notæ & tamen poſſunt demonſtrari. Nego quod ſint per ſe notæ, vt hic capimus propoſitionem per ſe notam, vt excludit omne aliud à terminis; nam poſſunt agnoſci per experientiam. Adhuc dices, ex Ala. 2. Perſpectiuæ cap. 3. hæc propoſitio. Omne totum eſt maius ſua parte, eſt per ſe nota, & poteſt demonſtrari ſic, quod eſt totum, & magis, eſt maius. ſed totum eſt huiuſmodi reſpectu partis, ergo &c. Ex Frāc. inquam non eſſe per ſe notam illam propoſitionem, quia eſt demonſtrabiſis ſolū ſilogiſmo imperceptibili. Contra iſtam reſp. arguit Alph. Quia hæc propoſitio eſt vnum principium in Geometria, ergo eſt per ſe nota. Tum, illa propoſitio eſt per ſe nota, quam neceſſe eſt quemlibet docendum habere, ſed hæc talis eſt, ergo &c. Greg. ait, quod eſt tantum ſilogizabilis, non demonſtrabilis, quia in illo ſilogiſmo ſuperius adducto, maior non eſt notior concluſione. Vlterius dices. Aliqua propoſitio eſt per ſe nota, quo ad nos, & non quo ad naturam, ſicq; ſi non poterit probari, per aliqua notiora nobis, ſaltem per notiora naturæ. Dicitur, per ſe notum excludit notius, tam à poſteriori, quā à priori. Tandem dices: Aliqua propoſitio eſt per ſe nota quantum ad quia eſt, & dubitabilis, quantum ad propter quid eſt. De propoſitione per ſe nota non poteſt dubitari propter quid, quia ſi poſſet, non eſſet per ſe nota.

8\. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 2. Q. 2. ad B. dicit. Hęc propoſitio, Deus eſt, eſt per ſe nota. Oppoſitum habet ibidem, quod non ſit per ſe nota.

Lucas. Reſp. Franc. de propoſitione per ſe nota, inquit ex mente Scoti quod iſta propoſitio, Deus eſt, eſt per ſe nota apud intellectum intuitiuè, vidētem Deum, id eſt apud intellectum beati, non autem apud intellectū noſtrum, quia multi negauerunt, Deum eſſe, & multi Sancti conati ſunt probare Deum eſſe, quia Deum eſſe, eſt demonſtrabile apud intellectum noſtrum phiſicè, & methaphiſicè à poſteriori. Phiſicè, via motus, Methaphiſicè, via eminentię. Etiam non eſt per ſe nota, quia inter cæteras conditiones requiſitas ad propoſitionem per ſe notam, eſt iſta, quod nullo modo eſt demōſtrabilis, nec à priori, nec à poſteriori; nam propoſitio per ſe nota debet eſſe immediata, & neceſſaria. hinc Ioa. Maioris ait. Senacherib, Nabucdenoſor dubitauerunt Deū eſſe. Contra quos 4. reg. & Pſal. 13. Dixit inſipiens in corde ſuo, & pſal. 75. Notus in Iudea Deus in Iſrael magnum nomen eius. Ac ſi diceret. Parum curæ alijs erat, an Deus eſſet, & ait. Primus in orbe Deus fecit timor. Et Ariſt. 2. Meth. probauit Deum eſſe, ex hoc, quod non eſt proceſſus in infinitum in mouentibus, & 12. meth. & 7. & 8. phiſ. idem probauit via motus, dicens. Omne quod mouetur, ab alio mouetur. Communis ergo opinio eſt, quod in intellectu beati ſit per ſe nota, ſed non in intellectu noſtro, & hæc eſt ſententia Scoti, vt inquit Lichetus, Vigerius, Paulus, & Trombetta. Dices, ſi illa propoſitio in intellectu beati eſt per ſe nota, & non in noſtro, ſequitur, quod acceptanda eſt vna diſtinctio de propoſitione per ſe nota, ſcilicet in ſe, & in nobis, & tamen Scotus hic reicit iſtam diſtin-

diſtinctionem. Soluitur hęc difficultas ex verbis Scoti, quando ſtatim ſubiungit, ſcilicet termini concipiantur. Et iam dictum eſt, quod aliquæ propoſitiones ſunt per ſe notæ ex ſolo conceptu confuſo terminorum, aliquæ verò requirunt terminos concipi diſtinctè, vt hæc, Deus eſt. Inſtabis, in iſta Q. 2. Scotus videtur concedere, iſtam propoſitionem eſſe per ſe notam, quia eſt primi modi, ergo &c. Reſp. non vult Scotus, quod ſit per ſe nota, quia eſt primi modi tantum; ſed ex hoc, quia eſt primi modi immediata, & euidens ex terminis. Addit Lichetus, quod omnis propoſitio modi primi, cuius termini ſunt diſtinctè cogniti, eſt per ſe nota, ſed non, ſi confuſè concipiantur; ſi autem termini non diſtinctè concipiuntur, & ſit primi modi, tunc talis propoſitio eſt ſilogizabilis, & non demõſtrabilis.

9. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 2. Q. 2. ad B. dicit. Exiſtentia eſt de quidditate Dei, nam dicitur de Deo per ſe primo modo, & immediatè. Oppoſitum videtur dicere d. 8. Q. 3. l. 1. in fine, vbi ait. Infinitatem præcedere exiſtentiã, at infinitas ex Scoto eſt modus intrinſecus, ergo & exiſtentia.

Lucas. Reſp. Circa hoc ſunt duæ opiniones probabiles apud ſcotiſtas. Prior eſt quod de mente Scoti; exiſtentia eſt de quidditate Dei, & inducit dictũ Scoti modo citatum, ſcilicet quod exiſtentia ſit immediatiſſima eſſentiæ diuinæ, & quod propoſitio in qua prædicatur eſſe de Deo, non eſt per ſe ſecundi modi. hæcque auctoritas eſt nimis aperta, & difficilè poſſunt verba Scoti extorqueri. Rurſus. Quol. Q. 6. vult, quod, ſicut infinitas eſt modus intrinſecus eſſentiæ, vt eſſentia eſt, ita æternitas eſt modus intrinſecus exiſtentiæ, vt exiſtentia eſt, & concludit reſoluendo ſe dicens. Verum eſt igitur, quod exiſtentia habet ſibi modum intrinſecum ſicut eſſentia, ſed illud non eſt, niſi infinitas intenſiua, æternitas autem, vt æternitas, non eſt infinitas: modo ſi exiſtentia habet modum, ſicut eſſentia, & vtraque habet infinitatem ſibi modum intrinſecum; ſicut igitur eſſentia eſt de quidditate Dei, ſic & exiſtentia. Rurſus ſi ipſa habet modũ intrinſecũ; quomodo nis, quod ſit ibi modus intrinſecus? Pręterea Dioniſ. de Diu. nom. cap. 5. ait. Deus non quodammodo eſt exiſtens, ſed ſimpliciter, & circũſcriptiue totum eſſe accipit in ſe ipſo, & præaccipit; ideò dicitur Rex ſeculorum ipſe eſt eſſe exiſtentibus, vt ipſum eſſe exiſtentium, exiſtens autem ante ſæcula ipſe eſt æuum æuorum, qui eſt ante ſæcucula, quam auctor. Pertractans Scotus. 6. Quol. ait. Dico concedẽdo, quod Deus eſt exiſtentia ex natura rei, in circumſcripta, ideſt infinita intenſiue, ita quod magnitudo propriæ exiſtentiæ eſt magnitudo, ſi ergo Scotus concedit, quod exiſtentia eſt infinita intenſiue, ſequitur, habet infinitatem pro ſuo modo. Rurſus. Si, exiſtentia eſſet modus intrinſecus, tunc hac, Deus eſt, non eſſet per ſe nota, quia poſſet demonſtrari de Deo per prędicata quidditatiua Dei, quæ ſunt nota beatis, ſicut dicimus, quod per talia prædicata beatus poteſt demonſtrare Deum eſſe trinum. Ex quibus habetur, quod exiſtentia nullatenus eſt modus intrinſecus. Hunc modum dicendi tenuerunt Auctor: formalitatum, Vorilon, Tataretus, Mauritius, Paulus, Vigerius, Licheti a, Gaddius Bononienſis, Parolita, & quamplures alij. Altera opinio Scotiſtarum, quorum caput eſt Trombetta tenet, quod exiſtentia Dei ſit modus intrinſecus, & non de quidditate, eamque fulcit rationibus iſtis Si exiſtentia eſſet de quidditate Dei, tũc exiſtẽtiæ tot eſſẽt in Deo, quot

eſſent perſonæ patet, quia multiplicato aliquo, multiplicantur ea, quæ ſunt de intellectu eius quidditatiuo, quod eſt falſum, quia eſt vna exiſtentia trium perſonarum. Secunda ratio. Scotus lib. 1. d. 8. Q. 3. in vltimo dicit. Infinitas eſt medium ad exiſtendum exiſtentiam in diuinis; ergo prius eſt infinitas in diuinis, quam exiſtentia, ſed infinitas eſt modus intrinſecus, ergo, & exiſtentia. Tertio. Scotus lib. 1. d. 1. Q. 2. vult, quod non poſſumus frui, nec cognoſcere aliquam perſonam, niſi cognoſcamus eſſentiam, quę eſt de quidditate perſonarum, & loquitur de quacunque fruitione, etiam viatoris; bene autem contingit frui eſſentia ſine perſonis, & vna perſona ſine alia; ſimiliter dicimus; quod non poſſumus cognoſcere aliquid de Deo, niſi cognita eius quidditate, ergo ſi de eſſentia Dei eſt exiſtentia quodcunque prędicatum ſciemus de Deo, ſciemus, & exiſtentiam, quod eſt falſum. Similiter, non poſſumus cognoſcere vnam perſonam, non cognita exiſtentia, quod eſt falſum. Quarta ratio, & ſuppono mihi duo, primum, quod ſcientia abſtrahit ab exiſtentia, ſecundum, quod de Deo poſſumus habere ſcientiam. Tunc ſic. Exiſtentia per ſe eſt prædicatum primi modi, ergo de Deo non poſſumus habere ſcientiã, quod eſt contra ſecundum præſuppoſitum, ergo exiſtentia non eſt prædicatum primi modi; conſequentia patet, quia per primum ſuppoſitum, ſcientia abſtrahit ab exiſtentia, ſed à prædicatis primi modi non fit abſtractio, ergo &c. Vnde quando habemus hic ſcientiam de Deo non cognoſcimus Deum exiſtere; ſed Deum eſſe; modo ſi tu vis, quod iſta exiſtentia ſit de eius quidditate, cum ſcientia, quam habemus de Deo, abſtrahat ab exiſtentia, ſequitur, quod non habemus ſcientiam de Deo, quia non cognoſcimus ſuam quidditatem, & ſic eum non cognoſceremus, quod eſt contra ſecundum præſuppoſitum. His additur hæc ratio Tromb.. Illa, quæ ſunt communia Deo & creaturæ, ſunt eiuſdem rationis, ſecundum Scotum; ſed exiſtentia in creaturis eſt modus intrinſecus, ergo & in Deo. Etiam quæcunq; in ſuis conceptibus ſimplicisſimis, & abſtractisſimis non ſe includunt formaliter, ſic quod vnum non eſt de eſſentia alterius, in nullo vno ſic formaliter vniuntur, ſed ens, & exiſtentia ſunt ſic, ergo &c. Maior patet, quia ſi conceptus non includit formaliter conceptum, vbicũque iſti conceptus manent ſecundum proprias rationes, vnus non includit alium formaliter, quia manente propria ratione formali alicuius, manet eadem identitas, vel diuerſitas ad alium conceptum. Min. probatur ex Boetio ſuper prædicam; vbi vult, quod in tantum differt eſſentia ab exiſtentia, quod prædicamenta ſunt de eſſe eſſentiæ, & non exiſtentiæ, alioquin roſa in hyeme, non eſſet in prædicamento, & his probatur exiſtentiam eſſe modum intrinſecum; iſtumque modum ſequuntur Tromb. in formalit. Franc. in pricipio d. 13. Q. 1. & Bargius Methaph. Qui voluerit tenere, quod ſit de quidditate Dei exiſtentia, motiua alterius opin. ita ſoluat. Ad primum, quando dicitur, Si exiſtentia eſſet &c. negatur, conceditur tamen, quot ſunt perſonæ, tot ſunt ſubſiſtentię, non autem exiſtentiæ: Ad probationẽ; tantum valet in creaturis, vbi cuilibet ſuppoſito correſpondet ſua eſſentia, & propria exiſtentia, & indiuiduatio, non ſic autem in diuinis vbi tantum eſt vna exiſtentia numero, & vna eſſentia in tribus, plures autem ſubſiſtentiæ. Ad ſecundam dico, quod Scotus d. 8. 1. vult

pro-

probare per infinitatem non exiſtentiam Dei, ſed quod relationes per ſe ſunt, ideſt non in alio, ſi concederetur, quod eſſent infinitę, conſequentia valeret, ſi infinitę ſunt, per ſe ſunt, & non in alio, licet antecedens ſit falſum, quia non ſunt infinitæ, admiſſo tamen, ſequitur non eſſe in illo; ſed clariorem reſp. vide 8. primi in ſcriptis noſtris. Ad 3. dicimus, bene verum eſt non poſſumus cognoſcere aliquam perſonam, niſi cognoſcamus exiſtentiam, quæ eſt de intrinſeca ratione ſua. At hoc verum eſt de intellectu diſtincte concipiente terminos, & in ſe, non autem reſpectu noſtri, qui confuſe cognoſcimus. Ad 4. concedo, quod de Deo non habemus ſcientiam, quantum ad alia prædicata, vt eſt intellectus, ſapientia, neceſſe eſſe &c. at exiſtentia eſt tantum nota intellectui diſtincte cõcipienti. Dices. Scientia abſtrahit ab exiſtentia, ergo poſſumus cognoſcere Deum, non cognita exiſtentia. Hoc verum eſt in nobis. Replicabis. In prædicatis primi modi non fit abſtractio, ſic eſt de exiſtentia per te, ergo de Deo non habemus ſcientiam, in quantum abſtrahit ab exiſtentia. Concedo, quod de Deo non habemus ſcientiam, vt habet exiſtentiam, ſed in quantum abſtrahit ab ipſa. Inſtabis, ergo non cognoſcimus Deum ſecundum prædicata quidditatiua. Verum eſt, quod non cognſcitur niſi confuſe, quia eſſentiam, & exiſtentiam, vt hæc, pro ſtatu iſto, nequimus cognoſcere. Ad primam rationem Tromb. ſic dicit Lichetus, Aliqua eſſe eiuſdem rationis ſtat dupliciter, aut eiuſdem rationis traſcendentis, aut ſpecificæ, propter hoc ſi exiſtentia in creaturis erit modus intrinſecus, non erit in Deo, quia non eſt eiuſdem rationis ſpecificę, ſed traſcẽdentis, ſed negat minorem ſimpliciter, quę nunquã poterit probari. Et ne concedas, quod exiſtentia creaturę ſit eiuſdem rationis cum exiſtentia Dei. Ad ſecũdam, tranſeat maior, ad minorem, duplex eſt exiſtentia creata, & increata; de creata verum eſt, quod quidditas non includit exiſtentiam, ſed non de increata. Ad prob. per Boetium, verum eſt in creaturis, & de exiſtentia creata, qui autem velit tenere alium modum, ſcilicet, quod ſit modus intrinſecus, ad obiecta illius opinionis ſic dicat. Et primo ad dictum Scoti lib. 1. d. 2. Q. 2. Quod hæc propoſitio, Deus eſt, non eſt ſecundi modi; nam ſecundo modo prædicatum eſt extra rationem formalem ſubiecti, & habet formalitatem diſtinctam à ſubiecto; ſed hoc non poteſt eſſe de exiſtentia reſpectu diuinæ eſſentię; quia talis exiſtentia non habet diſtinctam formalitatem ab eſſentia, & ideo dicitur eſſe primi modi, quia non egreditur primum modum. Ad illud, quod eſt immediatiſſima, verum eſt, quo ad omnes propoſitiones, quæ enunciant proprietates de Deo, quia talia prædicata egrediuntur primum modum, & diſtinguuntur formaliter à Deo, ſed non reſpectu propoſitionum, in quibus enunciantur prædicata quidditatiua, ſicut ens, ſubſtantia, ſpiritus, & c. quæ ſunt intimiora eſſentiæ, quam exiſtentia. Et tenendo, quod exiſtentia præcedat infinitatem, dicendum quod non ſolum eſt immediatiſſima reſpectu dictarum propoſitionũ, in quibus enunciantur modi intrinſeci de eſſentia diuina, ita quod Deus prior eſt exiſtens, quam infinitus, neceſſe eſſe, &c. Sicque ad exiſtentiam omnia prędicata modalia reſoluuntur. Ad illud ſcilicet, quod, hæc propoſitio, Deus eſt, eſſet demonſtrabilis, & non per ſe nota. Primo dico, quod Scotus tantum vult, vt ſit per ſe nota ex intri-

tione extremorum; at licet, hæc reſponſio ſit bona ad mentem Frāc. non tamen ad mentem Scoti. Hinc aliter dicendum, Scotus tantum vult, vt ſit per ſe nota non ſimpliciter, at ſolum reſpectu prædicatorum enunciantium paſſiones, vel quaſi paſſiones. Vel eſt per ſe nota, ex alia opinione, quia ſcilicet exiſtentia eſt de quidditate Dei, at non iſtam tenendo. Dices. Illud, quod ex ſua ratione formali includit neceſſe eſſe, includit in primo modo per ſe exiſtentiam, Deus eſt ſic. Franc. d. 2. Q. 2. ſic reſp. quod neceſſitas eſt modus intrinſecus, ſicut exiſtentia, ideo non tenet; nam iſta, Deus eſt neceſſe eſſe, pertinet ad primum modum, ſicut iſta, Deus eſt, & Deus eſt ſuum eſſe, vel dic, quod Deus in ſua ratione formali includat neceſſe eſſe, negatur, quia eſt modus intrinſecus, qui inſequitur quidditatem, & non includitur in ratione formali Dei, vt dicit Scotus de infinitate Q. 5. quodl. Vlterius dices, omne quod non includit aliquid in primo dicendi modo per ſe, eſt prius illo, & ſic eſſentia eſſet prior eſſe, ergo in aliquo priori eſſet eſſentia ſine eſſe exiſtentia. Reſp. Franc. quod illa prioritas eſſet tantum per intellectum, nec eſt ibi profluxus realis ab alio, quod eſt prius, ad id quod eſt poſterius. Vel dic, quod Deus præcedit eſſe, vt li eſſe dicitur exiſtens; ſed non vt ſonat ens, quod eſt cōtractum eſſentiæ. Et quamuis ambæ opiniones ſint probabiles; opinio tamen affirmans exiſtentiam de quidditate Dei, eſt conformior dictis Scoti & 2. d. 1. & 1. Quol. qui autem hanc tenere voluerit, neget Franc. qui verò aliam dicat conſequenter.

10. *Iacobus.* Scotus d. 2. Q. 2. lib. 1. ad C. ex 2. Methaph. de falſo dicit. Ratio de ſe falſa eſt de omni falſa. Oppoſitum videtur ſic. Nam aliquando ex falſis verum ſequitur.

Lucas. Reſp. De ratione in ſe falſa Scotus lib. 3. d. 22. tractat. ex quo loco, & hac d. 2. poſſunt intelligi iſtæ regulæ. Prima, de ratione in ſe falſa nihil verè prædicatur. Secunda, ratio in ſe falſa de nullo verè prædicatur. Tertia, de ratione in ſe contingenti nihil per ſe prædicatur. Quarta, ratio in ſe contingens de nullo per ſe prædicatur. Quinta, de ratione in ſe non quidditatiua nihil quidditatiuè predicatur. Sexta, ratio in ſe non quidditatiua de nullo prædicatur quidditatiuè. Septima, de ratione in ſe non per ſe nota nihil per ſe notum prædicatur. Ottaua, ratio in ſe non per ſe nota de nullo per ſe noto prædicatur. His dictis. Inquam, quod propoſitio, ex falſis ſequitur verum, non eſt ad propoſitum, quia ſequitur tantum materialiter, & non formaliter, tamquam ſit ratio ratio in ſe falſa.

Secunda diſt. Queſt. tertia, lib. primi.

1. *Iacobus.* SCOTVS lib. 1. d. 2. Q. 3. probat vnitatem Dei propter infinitatem intellectus, & voluntatis. Oppoſitum facit Ariſt. Nam probat vnitatem Dei ex vnitate motus, ex eoque, quod caret materia, vt patet 8. Phiſ. & 12. Methaph.

Lucas. Reſp. Doctores diuerſimodè probant vnitatem Dei. Nam Auic. probat vnitatem propter neceſſitatem. Plato propter hoc, quod in eo relucent

cent Ideæ omnium rerum. Ariſt. ex vnitate motus, vt patet primo cæli 8. & ex eo, quod entia nolunt male regi 12. Meth. vltimo. Auerr. propter ſimplicem complexionem. Damaſc. propter vnum rerum ordinem. Scotus propter infinitatem intellectus, & voluntatis; Diuus Thom. propter defectum materiæ, ſicque patet, quod alio, & alio modo probatur vnitas Dei.

2. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 2. Q. 3. ad A. dicit, quod vnitas Dei poteſt ratione naturali oſtendi. Oppoſitum deducitur ibidem ex Scoto. Nam vtitur verbo, videtur; Ex quo patet, quod rationes Scoti non probant ſufficienter, naturaliter vnitatem Dei.

Lucas. Reſp. Sufficienter probare contingit dupliciter, vno modo, vt ſufficienter probent, ideſt euidenter, & ſic non probant; alio modo ſufficienter, ideſt probabilius poteſt probari vnum eſſe Deum, quam ſuum oppoſitũ, cum oppoſiti non poſſit probari niſi per ſilogiſmos ſophiſticos.

3. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 2. Q. 3. ad A. dicit. Voluntas libera, quando eſt recta, conformatur voluntati naturali. Oppoſitum habet lib. 2. d. 6. Q. 2. & lib. 4. d. 45. Q. 11. vbi vult, quod voluntas recta in multis debet diſcordare à voluntate naturali.

Lucas. Reſp. Propoſitio Scoti d. 2. primi habet veritatem de voluntate recta per eſſentiam, cuiuſmodi eſt voluntas Dei, de qua ibi eſt ad propoſitum, quæ eſt regula omnis rectitudinis voluntatis creatæ.

4. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 2. Q. 3. ad A. dicit. Quodlibet naturaliter plus diligit eſſe ſuum, quam eſſe alterius. Oppoſitum deducit ſic Ioan. Baſol. ſi aliquid ſit eque bonum cum ipſo non ordinatur ad aliquid aliud, & ſimpliciter eque primum poteſt diligere ipſum ſicut ſe ipſum.

Lucas. Reſp. Hoc dictum Baſol. non eſt verum; immo contra ordinem charitatis. Nam ex ordine charitatis vt patet lib. 3. d. 29. Poſt Deum teneor diligere me ſuper omnia, etiam ſi aliquid ſit perfectius me ipſo, & patet, quia teneor diligere me, ſuper Angelum, qui tamen me multo perfectior eſt. Dices. In ſtatu beatifico, tantum propter eius perfectionem, gaudet beatus de bono alterius, quantum de bono proprio, & per conſequens tantum diligit, ſicut ſe ipſum. Hoc nihil eſt quia etſi beatus tantum diligat bonum proximi, ſicut ſuum, quod tamen non conceditur, hoc eſt, vt conformetur voluntati diuinæ, ſic determinauti.

5. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 2. Q. 3. ad B. dicit, quod indiuidua eiuſdem ſpeciei poſſunt infinitum multiplicari. Oppoſitum videtur habere lib. 2. d. 1. Q. 3. vbi vult infinita indiuidua non poſſe dari.

Lucas. Reſp. Pariſienſes ad hoc dicunt Scotum lib. 2. problematice loqutum fuiſſe. Franc. lib. 1. d. 2. Q. 4. ait, quod Natura de ſe eſt multiplicabilis in infinitum, ſed Deus eam determinat, & talis determinatio eſt ab extrinſeco, & valde magnificat Scotum &c. Adde tu, quod natura eſt de ſe multiplicabilis in infinitum, & Deus poſſet hoc facere; ſed impedimentum eſt ab extrinſeco, ſcilicet quod infinitum non eſt dabile in multitudine in actu; impedimentum ergo non eſt ex parte Dei nec ex parte naturę, ſed aliunde, quia repugnat tale infinitum dari. Dices; ſi maxima Scoti eſt vera, probaret, & qualitates in diuinis eſſe multiplicabiles in infinitum, quia ſunt eiuſdem rationis. Dico, quod ratione ſui eſſent in infinitum multiplicabiles, ſed ratione fundamentorum ſtatum habent; ſicut dicimus, quod iſta ſecunda intentio, ge-

nera-

neraliſſimum poſſet ex ſe in infinitum multiplicari, ſed habet ſtatum ratione fundamentorum, quæ tantum ſunt decem.

6. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 2. Q. 3. ad B. in ſecundo arg. ſextę viæ, probat, quod non poſſunt eſſe plura neceſſe eſſe formaliter. Oppoſitum habet lib. 1. d. 8. Q. ult: vbi tenet, quod poſſint eſſe plura &c.

Lucas. Reſp. Scotus 2. d. 1. nō vult probare nō eſſe plura neceſſe eſſe formaliter Phil. Nam in via Phil. intelligentiæ ſic ſunt, neceſſe eſſe, ſed vult probare, quod repugnat eſſe plura neceſſe eſſe a ſe, id eſt, quod non poſſunt eſſe plura neceſſe eſſe prima non ordinata.

7. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 2. Q. 3. ad C. dicit, Vnitas Dei poteſt oſtendi ex lege. Oppoſitum dicit ibidem. ſcilicet, quod poteſt demonſtrari per rationes naturales, ſi per legem, Quomodo &c.

Lucas. Reſp. Articuli fidei ſunt duplices, quidam ſunt pure crediti, ſicut incarnatio verbi, cuius factum non poteſt probari, alij ſunt, qui, licet ſint crediti, tamen poſſunt ſaltem probari, a poſterioi, vt Vnitas Dei.

Secunda diſt. Queſt. quarta, lib. primi.

1. *Iacobus.* SCOTVS lib. 1. d. 2. Q. 4. ad Cc. dicit. Natura non ſe habet ad ſuppoſitum, vt ſingulare ad vniuerſale. Oppoſitum huius ſic patet. Singulare, & ſuppoſitum ad inuicem habent conformitatem, quia ſunt indiuiſa à ſe, & a quocunque alio, ergo videtur, quod pari modo natura ſe habeat ad ſuppoſitum, cum vniuerſali.

Lucas. Reſp. Vera eſt propoſitio Scoti, quia natura, vt contracta ad ſingulare, vt ad ſuppoſitum, non eſt idem, quia vnum poteſt eſſe ſine alio; vt patet in accidentibus. Inſuper, non eodem modo natura diſtinguitur à ſuppoſito, ſicut vniuerſale à ſingulari, ita quod ſuppoſitum dicat præcisè ſingulare; quia ſtat aliquid eſſe ſingulare, & non ſuppoſitum. Amplius, natura, & ſingulare ſunt idem realiter; quamuis non formaliter; natura verò, & ſuppoſitum non ſunt idem realiter, cum ſuppoſitum dicat duplicem negationem, ex 1. d. 3. lib. Etiam natura, vt actu exiſtat, neceſſario eſt in aliquo ſingulari, ſed non eſt neceſſe, quod ſit in aliquo ſuppoſito talis naturæ, vt patet in accidentibus, quæ ſuppoſitantur in ſuppoſito alieno. Dices, quomodo ineſt negatio in ſuppoſito ſine poſitiuo? Videtur inconueniens. Dico, quod eſt inconueniens de negatione ſimpliciter, ſed non de negatione ſecundum quid, vel. de negatione extra genus, non de negatione in genere.

2. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 2. Q. 4. ad Cc. dicit. Cuicunque quo correſpondet proprium quod, vel quis, id eſt cuicunque concreto correſpondet ſuum abſtractum. Oppoſitum huius apparet in quatuor vltimis prædicamentis, vbi quo correſpondet quod, & vbi non correſpondet &c.

Lucas. Reſp. Maxima Scoti vera eſt; tum, quia non ſemper ſunt impoſita nomina, vt patet de vltimis prædicamentis, & de multis alijs; & ideo ſæpe oportet ſingere nomina, vt hecceitas &c. Et Auer. 8. Phiſ. 32. vſus eſt, vbicatio, & Scotus ſæpe vtitur ſurſitas, vel ſurſummitas, & ratio, quia cuicunque quo correſpondet ſuum quod, eſt, quia, vt dicit Scotus lib. 4. d. 49. Q. 16. Deus non poteſt facere affectum formalem

malem

malem ſine cauſa formali, & huius ratio eſt, quia Deus non poteſt ſupplere vicem cauſæ intrinſecæ, cum dicat imperfectionem.

3. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 2. Q. 4. ad I f. dicit. Ad hoc quod aliqua ratione diſtinguatur ſufficit diuerſus modus concipiendi gramaticè, ſeu logicè. Oppoſitum huius patet ex formalitatibus. Nam diſtinctio rationis fit per actum collatiuum intellectus.

Lucas. Reſp. Scoti dictum verum eſt, quod alter, & alter modus concipiendi ſufficiat, ſcilicet gramaticè, vel logicè, vt aliqua diſtinguantur ratione, verum eſt tamen, quod ens rationis in plus ſe habet, quam ſecunda intentio; & ſecunda intentio ex Scoto d. 23. primi fit actu collatiuo, at non ſequitur, ſi ſecunda intentio ſic fiat, quod omne ens rationis ita fiat. Dices. Scotus 3. Vniuerſalium dicit, quod ſecunda intentio, conceptus formatus ab intellectu rationis, & ens rationis ſunt idem. Reſp. Sco. loquitur de ente rationis, quod eſt ſubiectum in Logica preciſè, & non loquitur de ente rationis, vt eſt commune Logicæ, Rethoricæ, & Gramaticæ. Dices; concretum, & abſtractum ſunt entia rationis logicalia, & tamen non videntur ſecundæ intentiones, cum non cauſentur actu collatiuo. Dico; quod qui ponit ſecundam intentionem eſſe ſubiectum in Logica, capit eam valde in communi, vt ſe extendit ad omne ens, in Logica conſideratum; & verum eſt, quod talis intentio conuertitur cum ente rationis, & ſic patet ad dubium.

4. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 2. Q. 4. ad I f. dicit, quod omnis intellectio abſtractiua, & non intuitiua eſt aliquo modo imperfecta; vbi videtur, ex verbo, aliquo modo, quod notitia intuitiua, & abſtractiua differunt ſola ſpecie accidentali. Oppoſitum tamen huius habet Scotus in 4. d. 49. Q. 5. circa finem, & apertius lib. 3. d. 31. vbi vult beatitudinem viæ, & patriæ, differre ſpecie eſſentiali.

Lucas. Reſp. Veritas clara eſt in via Scoti locis citatis, & etiam d. 26. lib. 2. notitiam intuitiuam, & abſtractiuam ſpecie eſſentiali differre, alioquin ibidem Doctor ſubt. non haberet intentum ſuum. Petrus Tataretus in 4. d. 49. Q. 5. tenet differre ſpecie eſſentiali, idem, & Lychetus lib. 3. d. 31. & ad dictum Scoti hic, non licet ex illo verbo, aliquo modo, inferre, quod notitia intuitiua, & abſtractiua differant ſpecie accidentali. Quicquid dicat Paulus.

5. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 2. Q. 4. ad I f. dicit, quod notitia intuitiua Dei eſt de re exiſtente, vt exiſtens eſt. Oppoſitum tamen huius ſic deducitur. Si Dei notitia intuitiua eſt ſic, quomodo Deus cognoſcit relationem rationis, quæ non eſt præſens in actuali exiſtentia, nec in ſe, vt patet, nec in alio continente eminenter totam entitatem illius, quia relatio rationis non poteſt contineri eminenter in alio, quia tale ſic contentum eſſet ens reale.

Lucas. Reſp. Pro huius rei intellectu notandum eſt relationes rationis non fundari in aliquo, vt illud exiſtens eſt, quia tunc ibi eſſent ex natura rei, at ſolum fundari in aliquo, vt illud habet eſſe cognitum ex 7. & Q. 8. Vniuerſalium, & nota, quod exiſtentia eſt entis realis proprie, & non entis rationis, tunc reſp. quærenti, quomodo Deus cognoſcit relationem rationis, negationis, priuationis, & impoſſibilium, quæ non habent exiſtentiam, quod ad hoc ſunt plures modi dicendi. Vnus eſt Ioan. Baſol. 1. Prol. Q. & eſt talis. Quod ſi aliqua notitia habet duo obiecta, vnum primarium, & alterum ſecundarium, tunc ex ſecunda-

rio non ſortitur denominationem, ſed ex primario, & applicat, quod virtute obiecti primarij intelligitur obiectum ſecundarium, vt relationes, &c. notitia intuitiua, & addit quod ad notitiam intuitiuam non ſequitur exiſtentia in omnibus. Alium modum habes ex Licheto d. 8. lib. 1. Q. 3. quem facile videre potes. Tertius modus, eſt Deus cognoſcit ſecundas intentiones notitia quadam media, quæ non eſt intuitiua, neque abſtractiua, & hic modus colligitur ex Franc. Q. 20. Prol. at non poteſt defendi, quia inter notitiam intuitiuam, & abſtractiuam non datur medium. Quartus modus eſt. Entia rationis cognoſcuntur intuitiuè à Deo, quoniam, vt ſic cognoſcantur, ſufficit eorum fundamenta in mente diuina relucere. Tandem dici poteſt, quod cognoſcit entia rationis intuitiue, quia, licet non poſſint ibi eſſe ſecundæ intentiones eminenter, cum non ſint capaces talis eſſe, habent tamen ibi eſſe in Deo ſubiectiue, vt dicit Scotus d. 36. lib. 1. Q. vnica ſoluendo 2. princ. Dices, Nullum accidens reperitur ſubiectiuè in Deo. Verum eſt de accidentibus realibus perficientibus vnum ſubiectum, & aduenientibus poſt eſſe completum. At reſpectus rationis non ſunt ſic; non enim repugnat magis Deo, quod attribuantur ſibi ſecundum eſſe cognitum modi intelligendi logicales, quam modi ſignificandi grammaticales, quos grammaticos modos nullus illi conuenire negat.

6. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 2. Q. 4. ad Gg. tenet quod omne cauſatum ab intellectu eſt præciſe relatio rationis. Oppoſitum huius ſic patet, quia intellectus ex 3. d. 1. Q. 6. cauſat intellectionem realem.

Lucas. Reſp. Scoti dictum ſic debet intelligi. Id quod cauſatur ab intellectu, non cooperante obiecto, re vera eſt ens rationis, quia obiectum non cauſat aliquo modo ſecundas intentiones, ſed totalis cauſa eſt intellectus, at concurrit tantum obiectum occaſionaliter ex 4. & 16. Q. Vniuerſalium. Sed non negat Scotus, quod intellectus, ſimul cum obiecto non producat ens reale, vt ſunt intellectiones, ſpecies intelligibiles, & habitus.

7. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 2. Q. 4. ad Gg. ex differentia creaturarum concluditur differentia Idearũ, in intellectu diuino, vt patet per Aug. lib. 83. quæſt. Q. 46. Oppoſitum tamen huius habet Scotus lib. 1. d. 35. ad 1. vbi vult quod Ideæ præcedant creaturas, ergo ante creaturas ſunt diſtinctæ.

Lucas. Reſp. Differentias Idearum concludi ex creaturis duobus modis intelligitur. Primo à priori, & ſic non, quia Ideæ, vt dicit Scotus 35. primi, præcedunt creaturas. Secundo arguitiue, & a poſteriori, & ſic poteſt concludi ex creaturis differentia Idearum, vt inquit hic Scotus, & ſic etiam intelligitur dictum Aug.

8. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 2. Q. 4. ad Gg. dicit quod in intellectu eſt duplex diſtinctio, ſcilicet ex natura rei, & diſtinctio rationis, quę eſt ratione diuerſorum modorum. Oppoſitum huius habet Scotus paulo ſuperius in iſta queſt. vbi dicit, quod diſtinctio formalis ſeu ex natura rei præcodit omnem actum intellectus, quomodo igitur eſt in intellectu, vt dicit hic Scotus?

Lucas. Reſp. Diſtinctio ex natura rei dicitur eſſe in intellectu, quia non concernit exiſtentiam realem, nec eſt manifeſta ex exiſtentia reali, at vt ab in intellectu potiſſime cognoſcitur; quia quando intellectus aliquã rem intelligit, & idea diſcernit plures realitates ſeu formalitates, tūc cōcludun-

duntur illæ formalitates eſſe formaliter diſtinctæ, vel dic quod ſunt in intellectu cognitiuè, in re autem realiter.

9. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 2. Q. 4. ad Gg. dicit, quod inter omnes diſtinctiones præcedentes actum intellectus. diſtinctio formalis eſt minima. Oppoſitum huius habet Scotus pluribus in locis, & præcipuè formaliſtæ volunt diſtinctionem ex natura rei minimam eſſe, & non formalem.

Lucas. Reſp. Scotus loquitur hic de diſtinctione inter duo obiecta, quorum neutrum alterum includit in ſua formali ratione, vt eſt inter eſſentiam. & relationem, de quibus loquitur, & hæc dicitur minima diſtinctio eſſe. Dices; Diſtinctio inter modum, & rem, cuius eſt modus, videtur eſſe minima, cum tantum diſtinguantur formaliter negatiuè. Vigerius dicit, quod loquitur de diſtinctione, quæ inter formalitates eſt. Adde tu, ex Paulo, & ex Bargio, quod Scotus vult hic probare diſtinctionem mediam inter purè realem, & purè rationis; & ſic indifferenter loquitur de diſtinctione formali, & ex natura rei, & dicit eam eſſe minimam, per comparationem ad diſtinctionem realem, & non cõparat diſtinctionem realem formalem, & ex natura rei inter ſe.

10. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 2. Q. ad Hh. dicit, ponens multos gradus in vnitate, quod in primo gradu minima vnitas eſt vnitas aggregationis &c. quo gradu videtur collocari ſub ente per accidens; quia aliter diuiſio Ariſt. 5. metaph. 7. entis in ens per ſe, & in ens per accidens, videretur inſufficiens, quia non euacuaret totum diuiſum. Oppoſitum tamen huius ſic videtur: Nam ens per accidens ſic diffinitur ab Ariſt. quod quidẽ eſt ens aggregans in ſe diuerſas naturas, & exemplificat, vt Coriſcus albus, & albus Coriſcus, & ſimilia, & ſecundum hæc exempla non poteſt contineri vnitas aggregationis.

Lucas. Reſp. Ens per accidens bifariam ſumitur; vno modo pro ente conſtituto ex duabus naturis, ſic ſe habentibus, quod vna aliam informat accidẽtaliter, & ſic vnitas aggregationis nõ continetur ſub ente per accidẽs ſecundo modo capitur pro omni eo, quod non eſt ens per ſe, & ſic vnitas aggregationis continetur ſub ente per accidens, & Ariſt. tantum exemplificauit de ente per accidens primo modo, quod erat propriè ens per accidens.

11. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 2. Q. 4. ad Hh. ponit in tertio gradu vnitatem ſimplicitatis, quæ ſolum ponitur in Deo, & prouenit ex infinitate eſſentiæ, & appellat eam Scotus perfectiſſimam identitatem. Oppoſitum tamen huius habet Scotus hic, vbi ait vnitatem formalem maiorem vnitate ſimplicitatis, ergo vnitas ſimplicitatis non videtur perfectiſſima.

Lucas. Reſp. Vnitas ſimplicitatis non dicitur perfectiſſima, eo quod tollat diſtinctionem formalem, ſed quia vnit omnia, quæ ſunt in Deo ſine aliqua compoſitione, & ita intelligitur, quod ſit perfectiſſima identitas. Idq; maximè notabis, nec incidas in errorem.

12. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 2. Q. 4. ad Hh. dicit quod quicquid eſt in Deo, realiter idem cuilibet, & non tantum eſt vnum illi vnitate vnionis. Oppoſitum tamen huius ſic patet, Nam tunc videretur ſequi, quod filius eſſet idem realiter patri, & e contra quod eſt falſum.

Lucas. Reſp. Lichetus dicit, quod quicquid eſt in Deo, eſt idem realiter naturaliter, ſed non ſuppoſitaliter, ſiue perſonaliter. Vel dic Scotum loqui de omnibus eſſentialibus, & notionalibus repertis in vna perſona & non loqui de perſonis. Tandem dic, quod Scotus per hanc identi-

titatem intelligit non compoſitionem, ſed vnionem, & ita concedo tres perſonas eſſe idem tali vnitate ſimplicitatis, dato quod ſint realiter diſtinctæ, eſtq; hec bona ſolutio.

13. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 2. Q. 4. ad Hh. dicit, quod inferius eſt idem formaliter ſuo ſuperiori, & non e conuerſo, his verbis. Voco autem identitatem formalem, vbi illud, quod dicitur ſic idem includit illud cui ſic eſt idem in ſua ratione formali &c. Oppoſitum tamen huius videtur habere Scotus 1. Quol. art. 1. vbi dicit, quod conſtitutiuum eſt de ratione formali conſtituti; & clarius lib. 4. d. 12. Q. 1. vbi dicit, quod non eſt idem alicui aliquid formaliter non eſt de ratione formali illius, quia eſſe idem, & formaliter alicui eſt eſſe de eſſentia eius.

Lucas. Reſp. In hac materia ſcotiſtæ ſunt partiti, Paulus, Lichetus, & Vigerius in præſenti volunt ex verbis Scoti, quod inferius ſit idem formaliter ſuo ſuperiori, & non e conuerſo. Trombetta cap. de diſtinctione formali vult in via Scoti, quod ſuperius ſit idem formaliter inferiori, & non e contra, & Scotus, vt dictum eſt, videtur habere dicta, ad hãc & ad illam partem, vt patet hic, & d. 8. 1. Q. 3. reſp. ad 3. dub. & d. 26. & d. 35. 1. report. & d. 33. Q. 2. videtur eſſe cum Paulo, & alijs, 7. vero meth. Q. 1. & Q. 1. Quol. & d. 12. lib. 4. Q. 1. videtur fauere Trombettę. Quid igitur dicendum. Notandum eſt, quod eſſe idem formaliter eſt valde æquiuocum, & tribus modis poteſt intelligi; primo vt idem eſt, quod includere aliquid in ſua ratione formali; ſecundo, vt idem eſt, quod eſſe de ratione formali alterius; tertio vt idẽ eſt quod dicere eadem formalitatem. His notatis, dico quod inferius eſt idem formaliter ſuperiori primo modo, & e contra, & eſt identitas formalis non mutua; ſecundo modo ſuperius eſt idem formaliter inferiori directè poſito ſub eo ſecundo modo, & non e contra, & ſic eſt etiam identitas formalis non mutua; tertio dico, quod ſuperius. & inferius ſunt diſtincta formaliter mutuo, quod patet; nam dicunt aliã, & aliam formalitatem; quia ſicut in compoſito phiſico totum dicit aliam rem à partibus realiter diſtinctam; ita & in compoſito methaphiſico. totum per ſe dicit aliam formalitatem à formalitatibus partium, aliter non eſſet vnum per ſe, ſi preciſè eſſent ſue partes, & in iſto ſenſu homo, & animal diſtinguuntur formaliter; & hoc poteſt deduci ex Scoto lib. 2. d. 16. ſi eius litera ponderetur. Ibidem enim habet, quod ſuperius, & inferius diſtinguntur formaliter mutuo, & maxime dicit, quod ſuperius diſtinguitur formaliter ab inferiori.

14. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 2. Q. 4. ad Hh. ponit diſtinctionem formalem à diſtinctione ex uatura rei diſtingui. Oppoſitum tamen huius habet Vigerius ſuper 2. Scoti, & Tatar. in Q. vlt. Vniuerſalium art. 3. dub. 2. vbi aiunt viri iſti, quod tantum ſunt tria genera diſtinctionum, ſcilicet rationis, formalis, & realis; ex quo videtur, quod diſtinctio formalis non diſtinguatur à diſtinctione ea natura rei.

Lucas. Reſp. In iſta materia debemus ſequi ſententiam Auct. Formali: ponentis 7. genera diſtinctionum, & habuit mentem Sco: ex quo patet, quod diſtinctio formalis diſtinguitur à diſtinctione ex natura rei. quicquid dicant Tatar. & Viguer. Idque ſic deducitur. Inferius diſtinguitur à Superiori, non formaliter, vt dicat Scotus ergo ex natura rei. Præterea. Diffinitio, & diffinitum diſtinguntur pluſquam ratione ex Scoto Q. 2. D. 2. pri. & non formaliter, cum vnum includat aliud, ergo

ex natura rei. Inſuper. Illa ſunt diſtincta formaliter, quæ habent diſtinctas formalitates, quarum vna non includit aliam in primo modo dicendi per ſe, ſed iſta non competunt ſuperiori, & inferiori ex vna parte; ergo, & ſcias, quod differentia Tatar. & Auct. formal. eſt tãtum in voce, & non in re. Tatar. enim graduat diſtinctionem formalem, & vnus gradus eſt diſtinctio, quam dicit Auct. formalitatum, ex natura rei.

15. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 2. Q. ad Hh. tenet quod ſpecies accidentium non eſt ſimplex, ſed componitur ex realitate generis, & differentię. Oppoſitum tamen huius habet Scotus lib. 4. d. 46. Q. 3. vbi dicit quod iuſtitia, & miſericordia, in Deo ſunt duæ res, duæ realitates, & duæ formalitates, quod non oportet exponere res, per realitates vel formalitates, quia ſimilis eſt diſtinctio rei, & rei, ſicut realitatis, & realitatis, ſicut formalitatis, & formalitatis.

Lucas. Reſp. in hac re clara eſt ſententia Scoti hic, quod ſcilicet ſpecies accidentis componatur ex realitate generis, & differentiæ. Idque tenet Scotus 8. primi. Q. 2. & huius rei facit etiam pulcherrimã quæſt. 8. Meth. Q. 1. vbi tenet expreſſe, & diffuſe hanc accidentium compoſitionem, quæ dicitur compoſito meth. & in Vniuerſalibus Q. 16. & 19. appellat eam compoſitionem rationis, & id eſt verum in reſpectiuo ſermone per reſp. ſcilicet ad compoſitionem factam ex re, & re vere de realiter diſtinctis. Clara eſt igitur hæc ſententia, & ad dictum Scoti in 4. Dico quod Scotus ſe exponit in eodem loco in Reſpon. vbi ſic ait Ad primum principium. quæſt. huius dico quod ſunt duæ res extẽdendo dualitatem quidditatum & rationum formalium; etiam Scotus reſpondet ad hoc in eodem loco in fine 3. Q. vbi dicit. Ad 2. poteſt dici, quod quot ſunt ibi formalitates tot ſunt ibi realitates & res, ſed quælibet pluralitas eſt tantum ſecundum quid, ex quo patet, quod Scotus capit ibidem rem non propriẽ, ſed ſecundum quid quatenus idem eſt realitas, & formalitas.

16. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 2. Q. 4. ad Ii. tenet quod cum vnitate diuinæ eſſentiæ ſtat pluralitas perſonarum; Oppoſitum ſic patet ex regula Ariſt. citata Quæcunque vni & eidem ſunt eadem inter ſe, ſunt eadem ſimpliciter ſed pater, & filius ſunt idem ſimpliciter in diuina eſſentia, ergo inter ſe ſunt ſimpliciter idem: itaque cum vnitate diuinæ eſſentiæ non videtur ſtare pluralitas perſonarum.

Lucas. Reſp. Veritas catholica eſt, & ſemper erit, quod cum vnitate diuinę eſſentiæ ſtat pluralitas perſonarum. Et ad dictum Phil Quæcunq; vni &c. dico quod eadem vnitate, qua ſunt vni tertio ſcilicet eſſentiæ, eadem vnitate ſunt perſonę diuinæ, eædem per ſe, ſcilicet vnitate eſſentiali; & ſic intelligitur dictum illud. Et non valet inferri deinde: ſunt idẽ vni tertio eſſentialiter, ergo ſunt idem perſonaliter ſeu ſuppoſitaliter. Aliter exponit Scotus dictum Phil. d. 13. 1. & d. 17. Q. 2. & lib. 2. d. 2. Q. 7. quod ſcilicet non eſt vera illa propoſitio, quando illa duo cõparantur ad tertium illimitatum. Dat duo exempla. Primum eſt, quia non valet. Ego ſum cum Deo hic, & Papa eſt cum Deo Romę, ergo ſum ſimul cum Papa, quia Deus eſt illimitatus ſecundum præſentiam. Secundum exemplum. Ego ſum cum æternitate Abraam eſt cum æternitate, ergo ego ſum cum Abraam, non valet quia æternitas eſt illimitata. Hanc reſp. a Doctore ſubt. traditam multis in locis inuenies.

Dices Impugnatur iſte modus a Franciſco d. 2. Q. 14. lib. 1. ſic ſi non valet dictum Phil. in illimitatis, tunc hic modus arguendi non teneret in diuinis. Dico quod nõ tenet in diuinis quia tertium nõ eſt illimitatius illis duobus veluti eſt in comparatione diuinæ eſſentiæ ad perſonas. Poterit quoque exponi, quod non valet in inadequatis, vel non tenet in terminis improportionatis: vel non valet in terminis conuertibilibus. Vel dic ſecundum Franciſcum, quod illa propoſitio ſimpliciter ſumpta, & in terminis ſimplicibus neceſſaria tenet, ſi tamen ſumatur cum determinatione non tenet. Nam genus & differentia ſunt eiuſdem ſpeciei in primo modo dicendi per ſe, & non ſunt tamen eodem modo inter ſe, non tenet igitur additione modi, ideo non ſequitur quod ſi aliquid conuenit eſſentiæ realiter, & non conuenit relationi realiter, ob id diſtinguatur realiter; ſed ſequitur ſimpliciter, quod diſtinguantur, ſi aliquid conuenit, vni, quod nõ cõueniat alteri, & ratio eſt, quia hi, realiter, eſt quidã modus ſeu modificatio, vt vult Frãciſcus quod cũ modificatione non valeat regula illa, ſed bene ſi abſolute ſumatur. Adde tu quod duplex eſt modificatio in propoſito, vna eſt in primo, vel ſecundo modo dicendi per ſe vel per accidens. Alia eſt vt diſtinguuntur, vel ſunt idem ex natura rei, formaliter, vel realiter &c. tunc dico, quod illa regula non valet cum prima modificatione, ſed bene cum ſecunda. Dices. Animal & rationale ſunt idem formaliter homini, & tamen nõ ſunt idem formaliter inter ſe. Dico quod eſt eguuocatio, idẽ formaliter, & idem eſt quod quidditatiue & vt idem eſt dicere eamdẽ formalitatem ratio non valet primo modo, ſed bene ſecundo modo. Vel Dic quod verum eſt, quando ſunt idem tertio identitate mutua, nunc autẽ genus, & differentia nõ ſunt in primo modo dicendi per ſe mutuo

17. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 2. Q. 4. ad Ii. concedit hanc propoſitionem Deus eſt pater. Oppoſitum habet lib. 1. d. 5. Q. 1. vbi negat eam, ſcilicet, Deus eſt pater.

Lucas. Reſp. Lichetus ait; ſi pater capiatur ſubſtantiue conceditur iſta, Deus eſt pater. ſi verò capiatur adiectiue, non conceditur. Vel dic quod Scotus ideo concedit iſtam propoſitionem hic, quia nõ facit vim in modo ſignificandi, ſed vere & realiter vult ſoluere argumentum, & difficultatem quam hic proponit.

18. *Iacobus.* Sco: lib. 1. d. Q. 4. Ii tenet dari medium inter contradictoria. Oppoſitum huius patet ex conſenſu Phil. ſcilicet inter contradictoria nõ eſt dare medium

Lucas. Reſp. verum eſt dictum commune contradictoriorũ ſimpliciter, & abſolutè ſcilicet non eſt medium per ſe, & abſolute. At Scotus dum concedit medium inter contradictoria, non concedit abſolute, ſed mediante aliquo ſincathegorema, vt per ſe, inquantum, vt in primo ſigno, in poſteriori ſigno &c. ſicque conceditur mediũ inter contradictoria.

Scotus lib. 1. d. 2. Q. 4. Kk. apertè videtur dicere; quod ens per ſe primo conuenit paternitati. & alijs relationibus originis in diuinis; conſequenterque ens quidditatiuè prædicabitur vltimate de illis conſtitutiuis diuinis, & tale conſtitutiuum vltimate non erit ſimpliciter ſimplex. Oppoſitum tamen huius habet Scotus lib. 1. d. 13. vbi determinando quæſitum, dicit, quod vltimatè conſtitutiua formaliter ſe ipſis differunt; ſicque primo diuerſa, & conſequenter ens non prædicatur de eis primo modo, & per ſe,

Reſp.

Lucas. Reſp. Circa hanc difficultatem ſoluendam, notandum eſt, quod ab aliquibus poteſt abſtrahi conceptus communis realis, potentialis, & formalis .i. formaliter incluſus, & conceptus Animalis includitur in animali, ſcilicet homine, & aſino. Aliquando abſtrahitur conceptus cõmunis formalis, & vniuocus, qui tamen non eſt realis, nec potentialis, nec contrahibilis, vt conceptus entis, qui abſtrahitur à Deo, & à creatura, qui eſt tantum per intellectum, vt dicit Scotus d. 8. primi Q. 2. Aliquando abſtrahitur conceptus, qui conceptus non eſt formalis, ita quod includatur in primo modo dicendi per ſe. ſed tantum eſt realis, & rationis à parte rei, & non ſolum per intellectum vt conceptus entis reſpectu differentiarum in creaturis. Aliquando poteſt eſſe conceptus non formalis, ſed tantum realis, licet illa realitas, non ſit à parte rei, ſed tantum per intellectum, & dicitur realis quia non eſt formalis, & ſic eſt conceptus entis reſpectu diuinorum conſtitutiuorum. Idque colligitur ex Scoto d. 36. pri. vbi expreſſe vult illum conceptum eſſe realem, & non formalem. Et ſi dicas, Scotus ibi dicit, quod conceptus ille communis prædicatur in quid de generatione, & ſpiratione diuina. Dico quod prædicatur in quid, ita quod non in quale, per modum qualificãtis, eo modo, quo dicimus, genus prædicari in quid de differentijs, i. non in quale, ſeu denominatiuè; ſicque patet ad contradictionem. Dices. Scotus lib. 2. d. 12. Q. 1. quærit, vnde eſt quod homo, & albedo non faciunt per ſe vnum, ſed bene materia, & forma? Reſp. quia duo prima, ſcilicet homo, & albedo ſunt naturæ complete, non autem ſic materia, & forma. Sic à ſimili, ſi vltimum conſtitutiuum in diuinis eſſet ſimpliciter ſimplex, & primo diuerſum, poſſet conſtituere ſuppoſitum per ſe vnum, logicè loquendo & non eſt ex eo, quod non ſit ſimpliciter ſimplex, ſed ex eo, quod eſt alterius generis, ut patet ex 8. d. pri. Q. 2. vt diximus. Vel dic: ex Ariſt. 8. Met. d. 15. & 16. & Auer. 7. Methap. c. 60., & ex Scoto lib. 2. d. 32. Q. 1. quod ad hoc quod aliqua faciant per ſe unum requiritur quod vnum ſit potentia, & aliud actus, ita quod vnum ſit potentia materialis ad aliud, at ſic non eſt Eſſentia ipſa diuina reſpectu paternitatis, ex 5. d. pri. Q. 2. Et hæc eſt ratio, quare non facit vnum per ſe, & non ex eo, quod non ſit ſimpliciter ſimplex. Dices Scotus in Report. lib. pri. d. 22. Q. 4. concedit in iſtis vltimis cõſtitutiuis conceptum quo conuenit cum alio, & conceptum quo differt, ergo non ſunt ſimpliciter ſimplicia. Dico, quod Scotus conceſſit conceptum, quo cõueniunt vltima conſtitutiua in ſe realem, ad ſenſum datum ſuperius, ſed non conceptum formalem. Dices. Si ens non prædicatur in quid de vltimis conſtitutiuis, tunc relatio in ſua communitate non diceretur vniuoce de relatione creata, & increata. Dico, concedendo, quod relatio in communi non prædicatur in quid de paternitate creata, & increata. Dices. Scotus d. 26. 1. ait, quod prædicatur in quid. Reſp. quod Scotus dixit, forte, quod verbum ponderans Vigerius ait, quod Scotus inquit forte, quia iſta non eſt mens ſua. Vel dic quod dicit in quid, quia non prædicatur in quale, & quod non ſit propriè prędicatio in quid non eſt ex ratione paternitatis creatę, ſed tantum ratione paternitatis increatæ. Dices. Scotus in præſenti loco expraſſè vult, quod ens per ſe, & primo modo prædicetur de talibus conſtitutiuis. Dico, quod littera Scoti ly per ſe primo, non debet exponi, in primo modo dicendi per ſe, quia huius oppoſitũ habet Sco: d. 23. & 26. d. 1.

Sed

Sed ſic debet intelligi, quod ſecundum rationem formalem, & non præciſè, in quantum realiter de eſſentia, ſicut diceremus, quod ratio nale eſt per ſe primo modo .i. ſecundum ſuam rationem formalem, & non ſolum in quantum identificatur realiter cum homine. Dices. tãdem Sco: 8. d. pri' Q. 2. gloſans illud Boetij quo videbatur velle, quod remanerẽt duo genera in diuinis, uult quod in Deo remaneant duo modi prædicandi, ſcilicet relatiui, & eſſentialis; quod omnia alia reducãtur ad iſtos duos modos, ſcilicet quantitas, & qualitas ad ſubſtantiam & alia genera ad relationem, quod non eſſet, ſi relatio eſſet ſimpliciter ſimplex. Dico quod talis reductio non tollit ſimplicitatẽ ſimpliciter ſimplicem paternitatis, &c. Si quis autem velit tenere, quod ens poſſit quidditatiuè prædicari de vltimis conſtitutiuis, haberet in contrarium dictum Scotum d. 13. lib. 1. vt ſupra citatum eſt in iſta contradictione, ad quod ſic poterit reſponderi. Nam Scotus. 13. primi vult determinare contra Henr. quod productiones diuinæ non diſtinguuntur formaliter per principia originatiua, ſed ſeipſis formaliter, & per principia originatiuè. Inſtabis. Scotus ibidem habet hæc verba. Spiratio ſe ipſa formaliter eſt ſpiratio & generatio ſe ipſa formaliter eſt generatio, & ex formalibus rationibus eorum, impoſſibile eſt generationem eſſe ſpirationem, circumſcripto, per impoſsibile, quocunque alio: ita quod non oportet querere quibus diſtinguuntur, quia tota ratio formalis vnius nõ eſt eadem toti rationi formali alterius; & vult has duas productiones, ſe totaſ formaliter diſtingui, ita quod nihil formaliter incluſum in vna eſt formaliter incluſũ in alia. Reſp. Scotus ibi vult quod à parte rei nulla ſit realitas communis potentialis contrahibilis per aliquas differentias, & quo ad hoc a Scotiſtis diſtinguuntur, ſicut Deus, & creatura, & in hoc eſt ſimilitudo in vltimis differentijs, tamẽ poteſt per intellectum abſtrahi vnuſconceptus vniuocus vniuocè dictus de eis: Et ad dicta Scoti quibus vult vltima conſtitutiua ſe ipſis diſtingui, dico quod verum eſt ſi conſtituant vnũ ens per ſe; ſed nõ ſi conſtituant vnũ per accidens logicè loquendo, cuiuſmodi ſunt iſta conſtitutiua diuina. Idque trahitur a Scoto 12. d. 2. Q. 1. vel dic quod ſe ipſis diſtinguuntur quantum ad conceptum formalem non realem.

19. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 2. Q. 4. ad Mm. dicit quod nequeunt dari plura neceſſe eſſe. Oppoſitum huius habet Scotus lib. 1. d. 8. Q. 3. vbi de facto in via Ariſt. tenet eſſe plura neceſſe eſſe.

Lucas. Reſp. Scotus non vult probare abſolute quod non poſsint eſſe plura neceſſe eſſe quia id expreſſe ponit. 8. d. primi ſed ſolum vult non poſſe eſſe plura neceſſe eſſe prima, & independentia, & non ordinata, & id tantum intendit hic probare, vel quod non ſunt plura neceſſe eſſe fundamentaliter, & non formaliter; Queres num relatio diuina ſit neceſſe eſſe, Reſp. (ommiſſis alijs opinionibus) quod relationes diuinæ ſunt neceſſe eſſe formaliter, non autem radicaliter: & non eſt inconueniens, quod ſint plura neceſſe eſſe formaliter, ſed bene inconueniẽs eſſet, ſi eſſent plura neceſſe eſſe radicaliter: & hoc intendit Scotus dũ negat neceſſe eſse multiplicari, & iuxta hunc modum pluribus conuenit formalis neceſsitas, ſed non formalis infinitas, quia relationibus conuenit formalis neceſsitas, ſed non formalis infinitas radicalis; Nõ tamen formalis neceſsitas actuat aliquo modo eſſentiam, ſicut nec formalis infinitas attributorum actuat eſſentiam, quod relatio diuina ſit

neceſſaria

neceſſaria expreſſe dicit Scotus in tractatu de primo principio cap. 4. & Franciſcus d. 8. Q. 3. lib. 1. Dices Scotus lib. 1. d. 28. dicit, quod neceſſitas eſt conditio exiſtentiæ, ergo ſicut exiſtentia non multiplicatur igitur nec neceſſitas, & ſic relationes non erunt neceſſe eſſe formaliter. inquam, quod eſt vna ſola exiſtentia realis, at plures ſunt exiſtentiæ formales; ita eſt vna neceſſitas radicalis, ſed ſunt plura neceſſe eſſe formalia & concomitantia, & hæc eſt doctrina Scoti 5. Quol. vbi vult quod vnumquodque attributum ſit infinitũ propria infinitate formaliter diſtincta à formalitate alterius attributi, & ab infinitate eſſentiæ; eo modo, quo inter modos poteſt eſſe diſtinctio formalis licet formaliter infinitentur vnica infinitate ita hic proportionabiliter dicatur de neceſſitate diuinarum relationum. Hoc idem dicit Scotus lib. 1. d. 26. & lib. 4. d. 13. Q. 1. art. 2.

Secunda diſt. Queſt. quinta, lib. primi.

1. Iacobus. SCOTVS lib. 1. d. 2. Q. 5. ad Aa. videtur dicere quod relationes originis dicant perfectionē. Oppoſitum habet Scotus 5. quol. vbi dicit. iſtas relationes originis nullam perfectionem dicere.

Lucas. Reſp. Vera eſt ſententia Scoti 5. Quol. & licet hic videatur concedere dignitatem in eis, non ex mente propria, ſed reſpondendo ad vnum argumentum aliena reſponſione. Nam ſi dicerent perfectionem, vna perfectio poſſet reperiri in patre, ſcilicet generare, quæ non in filio, quod valde eſt erroneum. nec valet dicere, quod generare ſit in filio per equiualentiam, quia ſequeretur, quod pater & filius eſſent perfectiores Spiritu ſancto, quia in patre ſunt duæ relationes, ſcilicet generatio actiua, & ſpiratio actiua, & in filio generatio paſſiua, & ſpiratio actiua, & in Spiritu ſancto eſſet tantum vna, ſcilicet ſpiratio paſſiua, ſicque nequit ſaluari perſonas eſſe æque perfectas per equiualentiam.

2. Iacobus. Scotus lib. 1. d. 2. Q. 5. Ad Aa. dicit, quod multiplicatio ſuppoſitorum in aliqua natura non arguit dignitatem, eſtque ſententia Scoti 29. Q. Vniuerſalium in fine, vbi ſic ait. Vno exiſtente perfecto ſunt multa imperfecta per receſſum ab illo ſecundum diuerſum gradum, & exēplificat de rationali, quo exiſtente ſunt multa irrationabilia. Oppoſitum huius habet Scotus lib. 2. d. 1. Q. 6. vbi dicit; quanto forma eſt nobilior, tanto diſtinguitur in plures gradus nobilitatis ſicut ſunt plures miſti formæ, quam elementares, & plures formæ animati, quam inanimati, & forte plura animalia, quam plantę; igitur plura erunt differentia ſpecie in natura intellectuali, quam non intellectuali.

Lucas. Reſp. Mauritius huic difficultati dupliciter reſpondet, primo, quod argumenta Scoti, quæ ponuntur in pede quæſtionis, ſunt topica, ſine aſſertione poſita, & ex dictis aliorum ſumpta, & maximè argumentũ quod facit Scotus in 2. habet S. Thom. contra gentes cap. 92. & 94. et facit apparenter pro S. Thoma ponente quemlibet Angelum facere ſpeciem. Secundo dicit quod Scotus lib. 2. loquitur de contentis ſub genere remoto, vt puta de gradibus entium ſubſtantialium, quæ ſunt de perfectione vniuerſi. In Logica vero loquitur de contentis ſub gene-

re propinquo, vt ſunt ſpecies contentæ ſub eodem. Hiſque patet ad præſentem contradictionem.

Secunda diſt. Queſt. ſexta, lib. primi.

1. *Iacobus.* SCOTVS lib. 1. d. 2. Q. *6.* vbi quærit de productionibus, primo agit de numero perſonarum; deinde de numero productionum. Oppoſitum habet in Report. vbi prius quærit de numero productionum, & vltimo de numero perſonarum.

Lucas. Reſp. Quamuis Scotus prius quærat de perſonis quam de productionibus, tamen alio modo ſe habet in corpore quæſt. vbi prius ſoluit. Tertiam, & quartam, deinde ſecundam, & vltimo primam.

2. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 2. Q. *6.* ad A. videtur velle demonſtrare productionem in diuinis; ratione illa efficaci. Quicquid ex ratione ſua formali eſt principium productiuum &c. Oppoſitum habet expreſſe 14. Quol. vbi declarat quomodo ſit impoſſibile cuicunque intellectui creato, etiam angelico, naturaliter cognoſcere Trinitatem.

Lucas. Reſp. Herueus. Quol. 1. Q. 5. & Alph. lib. 1. d. 2. Q. 1. art. 3. dixerunt Scotum velle naturaliter demonſtrare Trinitatem. Sed falſum dicunt quia nunquam id Scotus dixit, nec affirmauit. Verum eſt tamen, quod rationes Scoti ſunt efficaciores rationibus omnibus, quæ ab alijs doctoribus poſſunt haberi in hac materia. Et 14. Quol. declarat Scotus, quod vllo pacto Trinitas naturaliter cognoſci poteſt. Et Franciſcus 1. Q. 2. d. lib. 1. ait, Scotum noluiſſe ſimpliciter demonſtrare Trinitatem, & magnificat multum rationem eius, innuens eſſe meliorem quacunq; alia ratione, quæ ab aliquo fuerit reperta in hac materia.

3. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 2. Q. 6. declarat ſatis clarè Trinitatem in diuinis. Oppoſitum habet Auer. lib. deſtr. diſp. 5. dub. 3. & 12. Meth. 39. vbi impugnat chriſtianos ponentes Trinitatem in diuinis.

Lucas. Reſp. Quãuis nõ ſit dignus reſponſione Auer. nihilominus dicimus nõ accepiſſe mentem chriſtianorũ vult ipſe nos ponere in Deo aliquid additum eſſentiæ, quod non facimus, quia hoc non poteſt ſtare cum ſimplicitate diuina, niſi loquendo de additione formali. At quid ad nos de Auer.?

4. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 2. q. 6. ad E. dicit in omni ordine agentium, præcipuè vbi principium actiuum de ſe non eſt imperfectum, eſt motus ad aliquod principium actiuum ſimpliciter perfectum, quod ſcilicet agens agit ex plenitudine perfectionis. Oppoſitum ſic patet. Nam ſunt duo prima actiua, ſcilicet intellectus, & voluntas, ergo non eſt ſtandum ad aliquod primum.

Lucas. Reſp. Verba Scoti intelligenda ſunt in eodem ordine, vt puta in ordine agentem naturaliter ſtatur ad intellectum, & ordine agentium libere ad voluntatem diuinam vt ad primum.

5. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 2. Q. 7. ad E. tenet quod intellectus diuinus, producendo filium agit liberaliter. Oppoſitum ſic patet, nam intellectus diuinus agit per modum naturæ, ergo non agit liberaliter, quia libertas ſuppo nit voluntatem, & libertatem.

Reſp.

Lucas. Reſp. liberalitas ſic declaratur a Paulo. liberalitas eſt habitus ſecundum rectam rationem elicitus, & exequtiuus detentionis, acceptionis, largitionis, & expenſionis pecuniarum, moderatiuus amoris, & contẽptus earum, & omnem liberum vſum pecuniarum reddens bonum, interpretãs inter exceſſum, & defectum, inter nimiam ſollicitudinem, & negligentiam, inter prodigalitatem, & tenacitatem, ſeruans in accipiendo iuſtitiam, in largiendo lætitiam, in expendendo moderantiã, pro proximo fine bonitatum largitionem intendens, & vltimate in Deo omnia ordinans. Hæc lõga diffinitio trahitur ab Ariſt. primo Ethic. cap. 4. ſic eam diffiniente Liberalitas videtur eſſe mediocritas circa pecunias, & capit pecunias largè, vt ſe extendit ad omne id quod numiſmate menſuratur. Dices. doctrina poteſt dari liberaliter, & tamen nu miſmate non menſuratur: Reſ. Tatar. quod doctor non dat liberaliter doctrinam, ſed labores ſuos qui menſurãtur numiſmate. Et Ariſt. 4. Ethic. cap. 2. enumerat quatuor actus liberalitatis, ſcilicet dare, & conſumere accipere, & cuſtodire: ſed duo primi, ſcilicet dare, & conſumere, ſunt actus principales, & verè liberales, quia dat quibus, & quando oportet cum alijs circunſtantijs. Cum itaque liberalitas ſit actus electiuus, erit actus voluntatis, quia electio eſt voluntaria ex Ariſtotele 3. Ethicorum. cap. quarto quomodo igitur dicetur pater liberalis ex eo quod generat filium cum mere naturaliter, & neceſſario eum generet? Dico ad contradictionem; quod pater dicitur liberalis non abſolutè, ſed quoad hoc, quia generat notitiam nihil perfectionis expectans per talem generationem. Vel dic quod abſolutè dicitur liberalis, quia (vt dicitur 6. d. 1.) Pater generat filium uolens, ſeu voluntate eſſentiali antecedente non vt principium actiuum filij; & nota, quod ſecundum Ariſt. liberalitas cõſiſtit in actibus extrinſecis, & ſic pauper non poteſt eſſe liberalis: ſed ſecundum Theologos liberalitas conſiſtit in actu intrinſeco, ſicque pauper liberalis eſſe poteſt, iſta eſt ſententia Sco, quarta. Prol. Q.

8. *Iacobus.* Scotus 6. Q. 2. d. lib. 1. ad G. dicit, quod obiectum præſens memoriæ patris habet aliquam notitiam actualem quaſi productam. Oppoſitum patet. Nam nec memoria, nec intelligentia eſſentialis patris eſt genita neque producta.

Lucas. Reſp. particula illa, Quaſi tenetur dupliciter vno modo diſtractiuè, alio modo confirmatiuè hic tenetur diſtractiuè, Quaſi productam .i. non productam, confirmatiuè verò capitur Ioan. capit. primo, Quaſi vnigeniti a patre plenum gratiæ, & veritatis idest verè vnigeniti.

9. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 2. Q. 6. G. dicit, quod vltra agere, & facere abſtrahitur producere. Oppoſitum habet Ariſt. in Meth. vbi diſtinguit potentiam in actiuam, & factiuam, ergo non videtur poſſe dari medium ſi diuiſio eſt ſufficiens.

Lucas Reſpon. Scotus 2. d. prim. ait, quod actiuum, & factiuum ſunt differentiæ accidentales .i. non ſufficienter diuidunt principium, quia eſt aliquod principium, nec actiuum, nec factiuum, ſed tantum productiuum, vt in Deo: ſicque diuiſio. Ariſt. in caſu illo inſufficiens eſt, tamen excuſandus Ariſtot. quia non cognouit, quæ nos cognoſcimus

per fidem. Et nota quod verbum non poteſt dici factum, quia inter faciens, & factum eſt diſtinctio eſſentialis, nec poteſt dici actum, quia res acta remanet in agente.

8. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 2. Q. 6. ad H. dici quando diuiditur ens per oppoſita, ſemper alterum membrum dicit perfectionem, & alterum imperfectionem. Oppoſitum ſic patet. Nam productiuum dicit perfectionem ſimpliciter, & tamen producibile non includit neceſſario imperfectionem, vt patet de filio Dei qui non includit imperfectionem.

Lucas. Reſp. Scoti dictum, quod Alterum membrum dicat perfectionem, & alterum imperfectionem, non eſt verum de oppoſitis relatiuè, vt patet de productiuo, & producibili in Deo, At habet veritatem de diuidentibus ens contrariè aut contradictorie, aut priuatiue, & nota quod productiuum ad intra nullam dicit perfectionem, cum ſit notionale, ideo Scotus dicit d. 2. pri. Producens in quantum tale non includit imperfectionem, & non dicit, quod includat perfectionem. Sed quod nō includit imperfectionē. Et nota, quod productio naturalis eſt prima productio, & non eſt perfectior libera, maximeque de libera ad intra.

9. *Iacobus.* Scotus lib 1. d. 2. Q. 6. ad H. dicit. In diuidentibus ens immediate vnū membrum eſt perfectionis, & alterum imperfectionis. Oppoſitum patet ſic, Nam ens ex Scoto diuiditur per quantum, & non quantum. Quantū dicit perfectionē, & non quantum non dicit imperfectionem.

Lucas. Reſp. Lichetus, ait Scotum loqui tantum de diuidentibus ens quantum, tu verò dic quod ens non quantum dicit imperfectionem, & ſi non contrariè, ſaltem negatiuè. Dices. ſi ens quantum, nullam includit imperfectionem, ergo quodlibet ens erit perfectio ſimpliciter. Reſp. Lichetus quod lapidi, vt ſuppoſitum entis, non repugnat perfectio ſimpliciter, ſed bene, vt ſuppoſitum ſubſtantiæ limitatę.

Secunda diſt. Queſt. ſeptima, lib. primi.

1. *Iacobus* SCOTVS lib. 1. d. 2. Q. 6. ad L. Verbū perfectiſſimū erit in patria ſecundum Aug. 15. de trinitate. Idque etiam habet Scotus 15 Quol. Oppoſitum habet 14. Quol. in fine. 2. art. princ. Vbi ait Beati non habēt verbum de eſſentia diuina, quia eſt obiectum voluntarium.

Lucas. Reſp. Vigerius ſic ait, quod ſecundum aliquos litera Scoti extra vnum eſt & ad illud 15. Quol. Quod Verbum perfectiſsimum erit in patria. dicit, Verbum ideſt notitia perfectiſsima, quia viſio beatifica non eſt proprie Verbū, vt habetur. 14. Quol. Hæc Vig: vel dic, quod omnia quæ dicit Scotus 15. Quol. ſunt propriè dicta. Nam Scotus vtitur his verbis, Poſſet dici, & ſimilibus, & 15. Quol. idem facit, & non dicit quod verbum habeatur de eſſentia, ſed de re viſa in eſſentia, tamen ibi poteſt elici ex verbis Scoti, quod verbum habeatur etiam de eſſētia, quoniam dicit, quod intellectus beati habens eſſentiam diuinam actualiter præſentem, vt intelligibilem, habet memoriam propriam reſpectu viſionis illius eſſentiæ, & cum hoc habet memoriam virtualiter contentam viſionis creaturæ Hæc Scotus, & ex his patet, quod cōcedit in beato Verbū de eſſentia diuina, ſed quia ibi loquitur topicè,

proprius

proprius locus, quod beati non habent verbum de eſſentia diuina, eſt d. 27. lib. prim. vbi vult, quod omnis notitia actualis eſt verbum, ſed tantum ea, quæ eſt genita a memoria propria illius rei, vnde ſi Deus cauſaret in me notitiam actualem lapidis, illa notitia non eſt verbum, hæcque eſt mens Scoti, & ad dictum Scoti 2. d. prim. Dico quod ibidem arguit ad hominem.

2. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 2. Q. 7. ad I. dicit, quod beatitudo non eſſe in actu reflexo, quia verbum perfectiſſimum creatum, non habet pro obiecto ſuo primo aliquod creatum, ſed increatum. Oppoſitum tamen huius ſic videtur. Nam potentia videns Deum, poteſt ſe reflectere ſupra ſe, & ſuper ſuum actum, & ſuper ſuum obiectum cognitum, ergo tertio modo ſe reflectendo, ſcilicet ſuper ſuum obiectum, non videtur tūc habere aliquod commune creatum pro obiecto.

Lucas. Reſp. Obiectum diuinum. ſub ratione cogniti eſt aliquid creatum, & ſic patet veritas verborum Scoti. & nota ex d. 27. 1. Sco. quod omni actu reflexo poteſt haberi aliquis rectus perfectior. Si fiat inſtantia Franc. lib. 1. d. 3. Q. vlt. de relatione, ſcilicet dum intelligo vnam relationē & poſt intelligo me intelligere, tunc actus reflexus eſt perfectior. Solue, quod adhuc actus rectus eſt perfectior ratione præexigentiæ, & dependentię. An vero actus rectus, & reflexus ſint duo actus, vel vnus? Reſp. quære ex Franc. d. 3. Q. vlt. Et aduerte, quod Scotus 14. Quol. in fine videtur tenere, quod beatus virtute naturali non poteſt ſe reflectere ſuper actum ſuum beatificum. At oppoſitum tenetur, quoniam beatus naturaliter videt actum ſuum, ergo naturaliter poteſt ſe reflectere; & ad Scotum dic, locutum eſſe dubitatiuè. Ait enim: hoc poſſet negari &c. Dubitabis; Num videns actum in intellectu alterius, videat obiectum terminans illum actum. Etiam videns ſpeciem intelligibilem in intellectu alterius, videat obiectum, cuius eſt illa ſpecies intelligibilis? Circa id Scotus lib. 2. d. 2. Q. 6. problematicè incedit; tamen videtur tenere, quod ſic. Sed. 14. Quol. in fine ſe determinat dicens, quod non, & talem aſſignat rationem; quia videns ſpeciem, ſeu actum in intellectu alterius habet ipſum pro obiecto, non pro ratione formali videndi, alias autem habet actum illum pro ratione formali. Adde tu, quod videns actum, ſeu ſpeciem in intellectu alterius, ſi vult diſcurrere, poteſt aliqualiter videre obiectum, ſed non ita clare, ſicut alius. Dices, Scotus lib. 2. d. 9. in principio tenet, quod videns actū in intellectu alterius, videat etiam obiectum. Dico, vt vbi clare patet, quod arguit ad hominem, ſcilicet contra Henricum. At nū Deus poſſit habere actum reflexum? Minimè; quia actus reflexus, & rectus ſunt duo actus terminati ad diuerſa obiecta, & ab ipſis cauſati; ſed hæc non contingunt in Deo.

3. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 2. Q. 7. ad M. dicit productiones diuinas diſtingui penes principia productiua formalia. Oppoſitum habet d. 13. lib. 1. vbi impugnat hunc modum dicendi, qui eſt Henrici.

Lucas. Reſp. Scotus in determinando quæſtionem d. 13. 1. ait, quod productiones diuinæ ſe ipſis diſtinguuntur formaliter, at penes principia productiua originatiuè. Dices, Adhuc ſtat difficultas ex 13. d. 1. vbi impugnatur non diſtingui penes principia formalia. Reſp. quod Henr. volebat productiones diſtingui per principia formalia, quæ tantum erāt diſtincta ratione. Scotus hoc impugnat, quod impoſſibile eſt aliqua

I 2 eſſe

eſſe diſtincta realiter per aliqua tantum diſtincta ratione; idque impugnat Scotus ibi. Amplius dices, ſoluit Scotus d. 13. 1. quod ſe ipſis diſtinguantur, & tamen oppoſitum habet d. 26. 1. ſoluendo ſecundum pro tertia via. Dico, ſi litteram Scoti 26. d. 1. rectè videas, habebis ſolutionem ex ea, tantum ſcilicet ibi concedi conceptus communis, ſed non aliqua realitas communis.

4. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 2. Q. 7. ad M. dicit hanc maximam. Omnis pluralitas reducitur ad vnitatem, vel ad paucitatem tantam, ad quantam reduci poteſt. Oppoſitum ſic patet. Nam in cauſatis pluralitas cauſatorum non reducitur ad vnum cauſatum, ergo non eſt vera propoſitio.

Lucas. Reſp. Maxima hæc Scoti tenet vigore illius principij phiſici, quod trahitur ab Ariſt. 1. Phiſ. 41. quod non eſt ponenda pluralitas ſine neceſſitate, & indiget, ad hoc vt ſit vera, his gloſulis. Eſt vera in his, quæ ſunt eiuſdem rationis; idque ob illas duas maximas Scoti 2. quol. vbi dicit. Plurificabile in aliqua eiuſdem rationis non limitatur ad certũ numerum. Et Plurificabile in aliqua non eiuſdem rationis, neceſſario limitatur ad certum numerum. Altera eſt, quod non valet in cauſatis, quia pluralitas cauſatorum non reducitur ad vnum cauſatum. Verum tamen eſt, quod pluralitas cauſatorum reducitur ad vnum extra illam pluralitatem, ſcilicet ad vnitatem primæ cauſæ. Eſt ergo vera maxima Scoti in eſſentialiter ordinatis, & non in accidentaliter ordinatis. Eſt etiam vera in ſpeciebus differentibus tantum accidentaliter vt ſunt ſpecies numerorum, & figurarum.

5. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 2. Q. 7, ad M. dicit, quod principia productiua ſ. intellectus, & voluntas habent oppoſitos modos principiandi. Oppoſitum habet lib. 1. d. 10. Q. vn. & 16. Q. Quol. vbi vult, quod modus liberè principiandi, & neceſſario ſunt compoſſibiles in eodem.

Lucas. Reſpõſionẽ quære. Scias autem, quod modus principiandi per modum naturæ, & voluntatis ſunt omnino repugnantes in eodem; tamen modus principiandi liberè, & neceſſario ſunt in eodem compoſſibiles, vt patet de voluntate diuina producente Spiritum ſanctum, quæ eſt principium liberum, & neceſſarium. Dices, Voluntas, vt obiectum naturaliter mouet intellectum, ergo voluntas non agit libere, ſed naturaliter. Dico. Voluntas poteſt accipi tripliciter, vt actiua, ſeu productiua, vt paſſiua, & vt obiectum; primo modo operatur tantum liberè, ſecundo, & tertio modo merè naturaliter operatur. Ex hoc dicit Scotus lib. 2. d. 4. quod voluntas recipiendo malas volitiones non peccat, ſed tantum eliciendo.

6. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 2. Q. 7. ad M. dicit. Ex vtraque vel eadem perfectione conuenit vtrique eſſe principium operatiuum, & productiuum. Oppoſitum ſic patet. Nam producere nullam perfectionem dicit.

Lucas. Reſp. Non dicit Scotus quod producere dicat perfectionem, ſed quod prouenit ex perfectione, ſicut dicit lib. 4. d. 48. Q. 1. quod motus, & actiones extrinſecæ intelligentiarum non ponunt aliquam perfectionẽ in eis, cõtra Auer. ſed tantũ proueniũt ex eadẽ perfectione: ita à ſimili.

7. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 2. Q. 7. ad M. dicit. Omnipotentia in primo non poteſt habere obiectum poſſibile infinitum, quia tunc creatura poſſet eſſe infinita. Oppoſitum ſic patet Omni potentiæ actiuæ correſpondet paſſiua, & hoc patet ex Ariſt. & ex Scoto in primo; ſed Deus habet potentiam creatiuam infinitam, ergo debet ſibi correſpondere effectus creabilis infinitus.

Reſp.

Lucas. Reſp. Regula illa, Omni potentiæ actiuæ &c. phiſicè loquendo eſt vera, etiam econuerſo; ſed theologicè, hæc eſt vera, Omni potentiæ paſſiuæ &c. Sed hæc eſt falſa. Omni potētiæ actiuæ &c. quoniā Deus habet potētiā infinitā intēſiuè, quæ quantū eſt de ſe, poſſet effectū infinitū intenſiuè producere, ſed ille talis effectus non eſt factibilis. Vnde ex 43. d. 1. impoſſibilitas rei fiendæ eſt ex parte rei, & nō ex parte Dei, quia, quā tum eſſet ex parte Dei, poſſet Deus facere quæcunque.

8. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 2. Q. 7. ad H. dicit, quod intellectus eſt partiale principium, ſic, & eſſentia, reſpectu productionis. Oppoſitum ſic patet. Nam partialitas dicit imperfectionem, quæ debet tolli ab intellectu diuino, & eſſentia.

Lucas. Reſp. Scotus methaphoricè nominat eſſentiam, & intellectum principium partiale; propriè enim non eſt ibi, nec pars, nec totum; ſed debet dici. Intellectus, vel eſſentia principium incompletum, non tamen imperfectum. Si capiatur totum pro compoſito ex partibus, tūc in diuinis non eſt totum, ſi capitur totum pro ente completo. & perfecto in Deo poteſt poni totalitas; Idq; declarat Scotus 2. Quol. art. 3. Dices Scotus 2. d. 1. dicit totum oppoſitum. Reſp. Vigerius ſic, quod Scotus ibidem loquitur pro inchoantibus, vel diſtingue de toto, vt dictum eſt, & pondera illam particulam. Quaſi, ibi poſitam in littera Scoti.

9. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 2. Q. 7. ad P. videtur ponere in Deo intellectum agentē, & poſſibilem his verbis. Alia reſponſio eſſet de intellectu agente, & poſſibili, ſed modo tranſeo, quia non dixi adhuc cui intellectui conueniat producere notitiam particulariter, hoc dicetur infra; nunc de intellectu indiſtinctè locutus ſum. Oppoſitum eſt oppoſitio ferè omnium, quod in Deo non dentur diſtincti intellectus agens, & poſſibilis.

Lucas. Reſp. In Deo non ſunt intellectus agens, & poſſibilis formaliter diſtincti, ſicut in nobis. Idque tuetur ab omnibus. nec Scotus 2. d. 1. abſolutè ponit hæc in Deo. At loquitur, quod ſi ponerentur, tunc eſſet dicendum, quod intellectus agens eſſet productiuus, & intellectus operatiuus. At num detur intellectus agens in Angelis? D. Thom. non ponit, Scotus autem ſic, vt patet lib. 2. d. 3. Q. vlt. An intellectio cauſetur ab intellectu agente, vel poſſibili? Reſp. quære.

10. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 2. Q. 7. ad P. dicit. Pater eſt memoria, intelligentia, & voluntas formaliter. Oppoſitum videtur habere lib. 1. d. 7. Q. 1. vbi dicit, quod tales propoſitiones, Pater eſt memoria, &c. ſolum ſunt veræ per identitatem, non formaliter.

Lucas. Reſp. Scoti dictum.. Pater eſt memoria &c. ſic debet intelligi, ideſt habet in ſe formaliter memoriam, intelligentiam, & voluntatem. Vel dic, quod, li, formaliter poteſt determinare inhærentiam, vel quaſi inhærentiam, ſic non eſt verum, quod Pater ſit formaliter memoria &c. Vel poteſt determinare id, cui iſta quaſi inhærent, & hoc modo poteſt concedi dictum Scoti.

11. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 2. Q. 7. ad P. Dicit. Nihil poteſt eſſe formaliter in patre niſi non genitum. Oppoſitum habet d. 19. Q. 2. vbi vult, quod filius dicatur eſſe in patre, & tamen eſt genitus.

Lucas. Reſp. Eſſe in Patre eſt dupliciter vno modo formaliter, aut realiter; alio modo circūinceſſiuè, de qua circūinceſſione agitur d. 19. primi Q. 2.

Tunc

2. Tunc dico, quod verbum non eſt in patre primo modo, ſed bene ſecundo modo, ſcilicet circuminceſſiuè, & ſic loquebatur Chriſtus in Euangelio, Ego in Patre, & Pater in me eſt.

12. Iacobus. Scotus lib. 1. d. 2. Q. 7. ad Q. dicit, quod producere eſt actus naturaliter ſubſequens, aut præcedens intelligere. Oppoſitum patet ex Scoto pluribus locis. Nam producere in Deo non præcedit intelligere.

Lucas. Reſp. In via Scoti producere, ſeu Verbum eſt ſubſequens ad intelligere, verum eſt in Deo, quia producere vt notionale, ſubſequitur eſſentiale; in creaturis vero producere præcedit, quia intelligere illud producitur, & ratio eſt, quia intelligere in nobis eſt verbum, non autem in Deo; & ideo dicere ſemper præcedit verbum ſicque intelligitur dictū Scoti; vel aliter. Propoſitio Scoti eſt verè diſiunctiuè, ad cuius veritatem ſufficit alteram partem eſſe veram.

13. Iacobus. Scotus lib. 1. d. 2. Q. 7. ad R. tenet, quod genita ex putri materia, & per propagationem ſint eiuſdem ſpeciei, idque rationibus, & auctoritatibus probat. Oppoſitum videtur habere Auer.

Lucas. Reſp. fuit opinio Auicen. quod etiam homo potuerit generari ęquiuoce, ſed Auer. impugnat, & bene quantū ad hoc; at quia rationes Auer. videntur concludere non tantum de homine, ſed etiam, quod imperfecta non poſſint generari vniuocè, & æquiuocè, in hoc reprehenditur à Scoto, qui vult animalia imperfecta poſſe generari vniuocè, & æquiuocè, & eiuſdem eſſe rationis. Si verò (vt dicit Sueſſan. 7. Meth.) Auer. intelligat de homine, & de animalibus perfectis, & non de imperfectis, & de plantis, quæ poſſunt diuerſimodè generari, & non ſunt alterius ſpeciei, bene dicit, & concordat cum Scoto. Sed Tiberius ſuper Com. 46.8. phiſ. eſt contra Sueſſ. Tomiſtæ in hac materia ſunt partiti. Sonc. vult Thom. eſſe cum Scoto. Dom. de Flandria vult eſſe contra Scotum. Zerbus eſt cum Dominico. Thom. 7. Meth. ſuper t. 22. & 23. eſt cum Scoto, ſed alibi, vt Quæſt. 9. de Potentia dicit oppoſitum. Et nota, quod rerum generabilium aliæ ſunt ſubſtantiæ, aliæ accidentia: ſubſtantiæ generabiles, aliæ ſunt imperfectæ, vt Elementa, aliæ perfectæ, vt mixta. Mixtarum ſubſtantiarum, aliæ ſunt viuę, vt animalia, & plantę, aliæ non viuæ, vt lapides, & metalla, Viuarum aliæ ſunt animatæ anima vegetatiua, aliæ anima ſenſitiua, vt animalia, aliæ anima rationali vt homo. Scias adhuc, quod animalia quanto magis ſunt perfectiora, tanto magis ibi determinant materiam, & quanto imperfectiora, tanto indifferenter ex multis materiatis poſſunt aggenerari, & materia eſt duplex, ſcilicet compoſitionis, & alterationis; compoſitionis, quæ remanet vna in generato, & in corrupto, alterationis eſt ipſum corrumpendum, de cuius corruptione generandum generatur, vt panis in generatione ſanguinis. His habitis, dico has propoſitiones totum negocium reſoluentes. Prima Homo, & animalia perfecta ſolum vniuoce poſſunt generari, vt patet ex Auerr. 8. Phiſ. 46. contra Auic. & hæc requirunt materiam determinatam, ſecunda. Animalia imperfecta poſſunt indifferenter generari vniuocè, & ęquiuocè, quia ob eorum imperfectionem nullam materiam ſibi propriam determinant. Tertia ſunt aliqua animalia ita imperfecta, vt tantum equiuocè poſſunt generari. Quarta. Accidentia poſſunt vniuocè, & ęquiuocè generari. Dices cęlum ſi continet virtualiter animam ſenſitiuam Ranæ, poterit continere formam mixtio-

nis

nis vltimá ad animam intellectiuam, cum iſta forma ſit illa imperfectior, ergo ſi Rana æquiuocè generatur, & homo. Vigerius ait, quod forma hominis, & aliorum perfectorum non poteſt produci, niſi ex determinata materia, & ideo æquiuocè non poteſt produci. Adde tu ex his, quæ habet Scotus lib. 2. d. 18. quod cœlum non continet ſenſitiuam Ranæ.

14.*Iacobus*. Sco. lib. 1. d. 2. Q. 7. ad R. habet quod diſparitas ortus non variat ſpeciem. Oppoſitum tamen huius ait Scotus lib. 1. d. 27. & q. 14. & 15. Quol. vbi vult quod de ratione verbi eſt, vt ſit proles ſeu notitia genita. Et habet, quod ſi lapis cauſaret notitiam ſui in intellectu meo, illa notitia erit verbum, ſed ſi Deus eandem notitiam cauſaret numero in me, ſuplendo vicem memoriæ meæ, talis notitia non eſſet verbum, tamen hic ſolum eſt diſparitas in ortu, ergo alius, & alius ortus variabit ſpeciem.

Lucas. Reſpon. Illa notitia ſic, & ſic cauſata eſt eiuſdem ſpeciei, & quod ſit verbũ, vel nõ, nõ variat ſpeciem notitię; quoniam verbum pro formali non eſt, niſi quidam reſpectus, qui licet varietur, non tamen variat ſpeciem abſolutam illius notitiæ, licet variet alium, & alium reſpectũ. Dices. Sco: lib. 3. d. 27. in fine probat charitatem acquiſitam non eſſe eiuſdem ſpeciei cum infuſa ſic, Quæcunque natura non poteſt eſſe ab aliquo efficiente eiuſdem ſpeciei cum efficiente alterius, non poteſt eſſe eiuſdem ſpeciei cum illa, ſicut eſt in propoſito. Hæc Sco: Et in 4. d. 46. Q. 6. inquit Intellectiones noſtras, & Angelicas de eodem obiecto differre ſpecie ratione potentiarum effectiuarum illarum intellectionum, ergo diſparitas ortus variat ſpecié. Dico, quod quando vnus effectus poteſt produci indifferenter à duobus efficientibus ſpecie diſtinctis, tunc cauſa effectiua non variat ſpeciem, vt patet de genitis ex putri, & ex propagatione. Si verò ſit vnus effectus, qui ſit natus produci ab vno efficiente, & non ab alio, vt charitas infuſa, quod tamen poteſt produci à Deo, & non ab actibus noſtris, tunc cauſa effectiua eſt diſtinctiua effectus, & effectus alterius cauſæ nunquam erit eiuſdem rationis cum effectu alterius cauſæ. Et ad Sco: in 4. dico ibi locutum eſſe dubitatiuè, hic verò ſecundum mentem propriam. Huic difficultati reſpondere poteris etiam per verba Sco: queſt. de praxi in fine, vbi ſic ait. Ad ſecundum dico, quod licet a cauſis eſſentialiter ordinatis. Vide ibi, & habebis bonam ſolutionem.

15.*Iacobus*. Scotus lib. 1. d. 2. Q. 2. ad S. vult, quod non omnis materia ſit eiuſdem rationis. Oppoſitum tamen huius habet Sco: lib. 2. d. 14. Q. 1. vbi ait quod omnes materiæ ſunt eiuſdem rationis.

Lucas. Reſpon. Scoti dictum in ſecundo eſt verum de materia prima denudata ab omni forma; de talique materia ibidem loquitur; hic verò de materijs ſecundis, ſiue proximis, quæ non ſunt eiuſdem rationis.

16.*Iacobus*. Scotus lib. 1 d. 2. Q. 7. ad T. contra Auer. dicit, quod eadem natura poteſt communicari vniuocè, & ęquiuocè. Oppoſitum huius habet Ariſt. I. de generatione animalium c. 1 vbi ait. At verò quæ non ex coitu, ſed ex putri oriuntur materia, ea generantur quidem, ſed genus diuerſum quodcunque procedit, nec mas eſt, nec fæmina. Et reddit cauſam, quia ſi generarent animalia, quæ vlterius generarent alia generabilia, eſſet proceſſus in infinitum in ſpecieb us. Hoc idem habet Ariſt. in eodem lib. ca. 29. & lib. 4. de Hiſtoria animal. cap. vlt. & lib. 5. eiuſdem Hiſtor. ca. prim.

Reſp.

Lucas. Reſp. Inquit Sueſſ. Ariſt. loqui de animalibus imperfectis, quæ ſunt per multiformem generationem, vt Papiliones, & id genus. In his enim vult, quod quædam non fiunt ex ſemine, ſed ex putri materia. Sonc. vult, quod Ariſt. non loquitur ibi vniuerſaliter, ſed particulariter, ideſt quod animal aliquod immediate generat oua, vel aliud animal, quod eſt alterius rationis, & eo mediante generat aliud animal ſimile in ſpecie. Zerbus dicit, quod Philoſophus loquitur de his, quæ per oua generant ſibi ſimilia. Etiam ait verificari dictum Ariſt. in quibuſdam hentomis, quæ ſunt animalia valde imperfecta. Dices. Ariſt. lib. 4. de hiſtor. animalium cap. vlt. habet. Sunt autem aliqua genera murium circa quos etiam non parum heſitatur. Ad hoc ait Zerbus, quod genus ibi ſumitur pro manerie, & modo generationis diuerſificato aliqualiter accidentaliter, ſicut Parthi, & Indi diuerſificantur. Dices. Ariſt. 2. de anima. 34 ait, quodlibet non orbatum poteſt generare ſibi ſimile, dummodo non habeat ſpontaneam generationem ex quo videtur velle, quo caſu genita non poſſunt generare. Verum eſt dictũ Ariſt. in aliquibus, vt in henthomis annuloſis inferioribus, quæ ſolum putrefactione nata ſunt produci, vt ſunt lubrici, & anguillę. Sed quęritur. Num generare ſibi ſimile ſit perfectionis. Dico ex ſent. Ariſt. 2. de anima, quod ſic. Dices, ergo Deus poſſet generare alium Deum eſſentialem. Dico, quod ille alius Deus non eſſet factibilis. Dices. Angelus eſt factibilis, & tamen non poſſet generare alium Angelum. Dico quod Ariſt. dictum. Generare ſibi ſimile eſt perfectio; fallit, quãdo perfectum aliquod eſt ita perfectum, quod requirit cauſam æquiuocam ad ſui productionem, propter ſuam perfectionem. Similiter deficit in vniuocis, quando non eſt ibi aliqua potentia actiua, vt patet in lapidibus, & ſimilibus. Quando igitur aliquod poteſt generare, ſibi ſimile, tunc eſt perfectum, non ſequitur tamen econuerſo. eſt perfectum, ergo poteſt generare ſibi ſimile. Hæcq; habet Scotus ſuper Proh. Meth. Et ſcias naturam communicari diuerſis modis ſuppoſitis eiuſdem naturę contingere dupliciter, aut ex maxima perfectione, & ſic natura diuina communicatur, & per generationem, & ſpirationẽ. Alio modo ex maxima imperfectione formæ animatæ, & hoc modo reperitur in animalibus genitis tam ex putrefactione, quam ex propagatione.

17. Iacobus. Scotus lib. 1. d. 2. Q. 7. ad X. dicit quod Phil. parum locutus eſt de volũtate, prout diſtinguitur contra intellectum, ſed communiter in ratione principij actiui coniunxit intellectum ad voluntatem. Oppoſitum tamen huius ſic apparet. Ariſtoteles. 12. Methaphiſices 36. meminit iſtius voluntatis, dum ait. Mouet autem inquantum appetibile, & intelligibile, & in t. 37. poſuit duas coelementationes, ſcilicet intelligibilium, & eligibilium, ergo mentionem habuit ipſius voluntatis.

Lucas. Reſp. Abſolutè non inquit Sco. Ariſt. non meminiſſe voluntatis, at parum de ea fuiſſe locutum, vt diſtinctam ab intellectu. Et hæc eſt ſententia Sco. hic, & Q. 4. prol. & lib. 2. d. 2. & alibi. Idque ſic patet. Nam Ariſt. in Ethica ponit fœlicitatem Dei & noſtram in ſpeculatione, & tamen clarum eſt quod à fœlicitate non excluditur operatio voluntatis. Dices. quare ita frequenter Ariſt. appellauit potentiam rationalem, & non voluntatẽ. Ideo hoc eſt, quia actus intellectus eſt prior.

& notior actu voluntatis, & Ariſt. de manifeſtioribus ſæpæ locutus eſt Vnde de voluntate, vt dicit Scotus parum dixiſſe inuenitur. Vel dic ex Sco: 9. Meth. Q. vlt. quod Ariſt. dum comparat intellectum ad alia, habet illa duo, ſcilicet intellectum, & volũtatẽ pro vno principio.

18. *Iacobus.* Scoto lib. 1. d. 2. Q. 7. ad X. dicit. Intellectus eſt oppoſitorum, ſed non poteſt determinare ſe ad alterum illorum. Oppoſitum huius habet Sco. ibidem parum ſupra, vbi dicit ex Ariſt. quod intellectus non diſtinguitur à voluntate, ergo intellectus poteſt ſe determinare ad oppoſita.

Lucas. Reſp. Intellectus, ſeu potentia rationalis eſt, duplex incompleta, ſcilicet & completa, incompleta eſt intellectus, vel ars, vt precedunt voluntatem, & de tali loquitur Sco. & Ariſt. 9. Methap. 10. dum dicit. Oportet illam determinare per voluntatem, vel proheresim; completa autem eſt intellectus, & voluntas ſimul, & ſic intellectus eſt oppoſitorum. Et ſcias, quod vna poteſt diſtingui ab alia tribus modis. Primo à priori per vltimam differentiam, Secundo à poſteriori, immediatè tamen, & hoc per ſuam actionem, Tertio à poſteriori mediatè, hocque per ſuum effectum. Ex quo ſequitur, quod differentia aſſignata ab Ariſt. inter potentiam rationalem, & irrationalem eſt à poſteriori. 9. Meth. 10. vbi dicit, quod potentia rationalis poteſt ex ſe exire in actum, & eſt ad oppoſitum: irrationalis verò exit in actum, & non eſt ad oppoſitum; At vnde eſt, quod intellectus, ſeu ſcientia ſit ad oppoſita, & non ita ſit calor, Dico ex Ariſt. 9. Methap. t. 4. quia calor, quæuis alia forma naturalis eſt ſolũmodo principium aſſimilandi vni oppoſito, ſimilitudine naturali, ſicut ipſa eſt ipſa, & non oppoſita. Forma autem intellectus, vt puta ſcientia, eſt principiũ eſt aſsimilandi vni oppoſito ſimilitudine intentionali, ſicut ipſa eſt virtualis ſimilitudo duorum oppoſitorum cognitorum. Et dum Ariſt. dixit, potentiam rationalem eſſe oppoſitorum, intellexit contrariè, & contradictoriè, ſcilicet agere, & non agere, potentia verò irrationalis non poteſt eſſe ad oppoſitas actiones. Sed, num poſſit eſſe ad oppoſita obiecta. Non poteſt quidem adequatè eſſe ad oppoſita obiecta, ſed bene ad oppoſita obiecta contenta ſub ſuo obiecto adæquato. Nam viſus videt album, & nigrum, quæ ſunt oppoſita contenta ſub ſuo obiecto adæquato. Poteſt etiam potentia irrationalis in oppoſitas operationes per accidens, quia frigidum per accidens calefacit.

19. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 2. Q. 7. ad X. dicit, quod voluntas eſt libera ad oppoſitos actus. Oppoſitum huius habet Sco. lib. 1. d. 39. dicẽs, quod non eſt libera ad oppoſitos actus.

Reſpon. Dictum Scoti intelligitur hic de voluntate noſtra, quæ eſt libera ad oppoſitos actus, & ad oppoſitos effectus, & ad oppoſita obiecta Dictum verò Sco. d. 39. 1. eſt verum de voluntate diuina, quæ licet ſit libera ad oppoſitos effectus, & ad oppoſita obiecta, non tamen eſt libera ad oppoſitos actus, quia hic dicit imperfectionem, cum notet paſsiuitatem, ſeu receptiuitatem. Dices. quare ponitur, hæc indeterminatio in voluntate, cum non poſsit probari per naturam voluntatis? Dicit Scotus 9. Meth. q. vlt. quod poteſt probari à poſteriori per experientiã. Experit enim qui vult ſe poſſe non velle, ſiue nolle. Et ſcias ex Sco: ibidem, quod duplex eſt indeterminatio, vna, quæ eſt ex inſufficientia, & ex poſsibilitate, ſeu ex carentia actus, & iſta dicit imper-

fectionem, & hæc eſt in materia quæ dicitur paſsiua, quando nón habet formam, quæ tunc dicitur indeterminata ad formam: alia eſt indeterminatio ſuperabundantis ſufficientiæ, quæ eſt ex illimitatione actualitatis ſimpliciter, & hæc reperitur in Deo, & eſt actiua, & in uolunta te, quia dicit perfectionem, & voluntas ſic poteſt agere in eodem inſtanti in oppoſita in ſenſu diuiſo, non autem in ſenſu compoſito.

TERTIA DISTINCTIO.
QVAESTIO PRIMA.
LIBRI PRIMI.

1. *Iacobus.* SCotus in lib. 1. d. 3. Q. 1. initio inquit, in Thom. ponentem Deum affirmatiuè non cognoſci, ſed tantum negatiuè, Deum cognoſci affirmatiuè, quia negatio non cognoſcitur. 2. Perier. in fine, & 4. Meth. t. 2. & 16. niſi per affirmationem, videturque negare Deũ nõ poſſe negatiuè cognoſci. Oppoſitum huius habet Dioniſius Areopagita lib. de Angelica Hierarc. vbi ponit cognitionem Dei via remotionis, ſeu negationis.

Lucas. Reſp. Haud negare Deum non poſſe cognoſci negatiuè, vt inquit Dionis. Qui non ſolum ponit Dei cognoſcibilitatem, & remotionem, verum plures alios modos Deum cognoſcendi ex affirmatione, & ſimbolicè ponit, & id, & non aliud vult. Sco. At id negat, ſcilicet Deum tantum cognoſci negatiuè, & non affirmatiuè, vt videtur ſentire S. Tho. par. 1. Q. 3. art. 3. Qui difficile ſaluatur, cum hæc eius interpiætaʒio repugnet Dioniſio ponenti Deum cognoſci aliter quàm negatiuè.

2. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 3. Q. 1. ad A dicit Deus poſſet in aliquo conceptu quidditatiuo concipi naturaliter, & ſi diſtinctè, vt dicitur p. Prologi, & 14. Quol. non concipiatur. Nam ad quidditatiuam notitiam rei, terminorum diſtincta notitia non requiritur. quod 3. Prol. innuit Sco. Geometrea ex terminis confusè cognitis format ſibi propoſitiones per ſe notas. Oppoſitum huius habet Sco. in princ. queſt. de propoſitione per ſe nota lib. 1. d. 2. Q. 2. vbi dicit. Ad notitiam per ſe, & quidditatiuè notitiam diſtinctè terminorum requiri neceſſario.

Lucas. Reſp. Loquitur Doctor d. 2. Q. 2. prim. de propoſitione per ſe nota, & illa non poteſt perfectè percipi niſi ex terminis eiuſdem propoſitionis diſtinctè concipiantur, quod inter alias conditiones propoſitionis per ſe notæ requiritur. Aa d. 3. Q. 1. lib. 1. loquitur de illo conceptu quidditatiuo, quem ex creaturis de Deo habere poſſumus; & iſte non expoſcit diſtinctam notitiã terminorum: quandoquidem, Deus eſt, & Deus eſt ens, non ſint propoſitiones per ſe notæ.

3. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 3. Q. 1. ad A dicit. In ſolo conceptu quidditatiuo eſt ſtatus quia in nullo alio eſſe poteſt. Oppoſitum poteſt ratione. Nam quidditas, vel conceptus quidditatiuus, ſaltum per intellectũ plures in conceptus reſolui poteſt ergo: videtur in quidditate ſtatũ nõ eſſe.

Lucas. Reſp. Scotus 3. d. 1. non negat quidditatem non reſolui per intellectum in alios conceptus, cùm re quoque id fieri poſsit. Nam quidditas hominis reſoluitur in ſua principia, ſcilicet animal, & rationale. At eo loci quidditatem confert ad attributa, vultq; attributum vltimo alij non poſſe attribui attributo, ſed tantum vltimatè ad quidditatem ordinatur, & ita ex attributi cognitione tandem opus eſt cognoſcere quidditatem · in eaque ſiſtere. Nam ibi probat contra Henr. Si Deus ex creaturis in conceptu quidditatiuo cognoſcitur, multo magis in conce-

ptu quidditatiuo cognoſcetur, cum conceptus attributalis qualitatiuus ordinetur tandem ad conceptum quidditatiuum.

4. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 3. Q. 1. ad A. ponit ens habere conceptum vniuocum, & nõ æquiuocũ, vel Analogũ, vt aiebat Heur. quod vbique in doctrina ſuo aſſeritur. Oppoſitum huius habet Scotus in Methap: ac in logica, vbi ponit ens conceptum æquiuocum, & non vniuocum habere.

Lucas. Reſp. Eſt quidem communis opinio ens habere conceptum æquiuocum, & non vniuocum, quam in Meth. & Logica Sco. eſt inſequtus. At in Senten. ex mente propria, ponit, vt reuera eſt, entis conceptum vniuocum Deo, & creaturis. Si quęras, Scotus d. 3. 1. volens determinare entis vniuocationem habet hæc verba. Sed non aſſerendo, quia non conſonat opinioni communi &c. Igitur videtur mentem eius non fuiſſe ens eſſe vniuocum. Reſp. In 1. Q. d. 3. l. 1. cum non ſit locus vniuocationem entis examuſſim pertractandi Scotus Doctor ſubtilis id ibi non aſſeruit. At d. 8. l. 1. Q. 2. vbi eſt locus proprius, id aſſertiuè ponit. Etiam, litera illa, non aſſerendo, quia non conſonat opinioni communi, non eſt de litera Scoti, at quoddam extra ab alijs additum. Vel dic, Sco. in initio tractationis talis materię modeſtia vſus eſt verbo illo, Non aſſerendo, non quod res aliter, quam ponat, ſe habeat.

5. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 3. Q. 1. ad A. dicit. Omnis intellectus certus de vno, & dubius de duobus, habet conceptum de quo eſt certus alium à conceptibus, de quibus eſt dubius. Eſtq; maxima Algazaelis. 1. ſuę Meth. tract. 1. cap. 2. Et Auic. 1. Meth. cap. 6. Oppoſitum patet rationibus eam maximam infringentibus. Pono caſum, quod in ſacco ſit canis, & piſcis marinus, qui dicitur etiã Canis, vnus eorũ ſaccum mouet, & tamen dubito, an ſit Canis latrabilis, vel marinus; & ità ex modo arguendi Sco. habeo, quod hoc nomen, Canis, eſt vniuocum illis, quod tamen eſt falſum. Rurſus; Ego ſum certus de aliquo, quod eſt animal, & dubito an ſit rationale, vel irrationale; igitur ab his abſtrahitur conceptus communis vniuocus, quod eſt falſum. Nam genus non prædicatur vniuocè de vltimis differentijs, vt docet Scotus Q. 2. d. 3. lib. 1. Etiam. Certus ſum de aliquo, quod eſt ens, & dubito an ſit ens reale, vel rationis, ergo erit conceptus communis vniuocus illis duobus,

Lucas. Reſp. Ioan. Canonicus 1. Phiſ. Q. de vniuoc. entis, reſp. In illo caſu, ſum certus de iſta voce, Canis. & non de aliquo conceptu. Ad hæc ſentẽtia parum, aut nihil eſt, nam ſic reſponderet aduerſarius ad Scoti argumenta, dicẽs, quod tantum eſt certus de iſta voce ens. Vigerius ſic dicit, ſimili caſu, Deus non permitteret me dubium, ſed me de altero certiorem faceret, at hæc reſponſio abiciatur. Ant. Tromb. aliter inquit. In illo caſu, certus ſum de conceptu animalis, & non de conceptu Canis, quia nullus eſt, nec alius conceptus poteſt abſtrahi hic ab illis duobus mediatius, quam conceptus animalis. Dices, non tantum ſum certus de conceptu animalis, at de aliquo magis particulari tantum illis duobus communi. Reſp. Ille eſt conceptus animalis communis præciſè in illis duobus per multa accidentia facientia illum communem conceptum illis tantum duobus. Ad ſecundum, reſp. quod ſoluitur ex illo Scoti verbo, ſubiectum includit prædicatum, modo rationale, & irrationale non includunt aliquid quidditatiuè. Aliter reſp. ad illud, & ad ſimilia argumenta, & concedo, animal alium conceptum habere à conceptu differentiæ, vt docet Scotus 3. Methap.

Q. 1.

Q. 1. & 7. Methap. Q. 19. & conceptus ille vniuocus eſt, & ſi non vniuocè dictus, vt habet Scotus lib. 1. d. 3. Q. 3. Ad tertium reſp. Frãc. Q. 10. Prol. & Canonicus in de vniuocatione entis, in caſu illo dicunt, Ego ſum de voce certus. At reſponſio nulla eſt, ſic enim aduerſarius diceret ad argumentum Scoti. Aliqui ſic reſpondent ex illo verbo Scoti, ſed in vtroque illorum includitur, modo ens reale in altero illorum non includitur, ſcilicet in rationis ente. Et fortè melior poteſt haberi reſponſio, in via Sco. problema eſſe, quod ens commune enti reali, & enti rationis ſit vniuocum, vel æquiuocum. Nam inferius d. 29. 1. expreſſe tenet Scotus ens commune enti reali, & rationis eſſe æquiuocum. At 3. Quol. art. 1. & clarius d. 29. Reportatorum tenet, quod eſt vniuocum, & ita in eius via problema eſt. Adquam magis partem inclinet Scotus, alias dicetur.

6. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 3. Q. 1. ad C. dicit. Obiectum creatum non continet increatum eſſentialiter, nec virtualiter. Oppoſitum habet lib. 2. d. 3. Q. 9. ad H. vbi inquit. Deus poteſt cauſare in intellectu creato vnam ſpeciem diſtinctam repræſentantem Eſſeutiam diuinam, ergo aliquod creatum virtualiter continet increatum virtualiter.

Lucas. Reſp. Continere virtualiter poteſt duobus modis intelligi, vel tanquam obiectum cognitum, aut tanquam ratio cognoſcendi, primo modo nullum creatum continet virtualiter increatum, vt dicit Scotus lib. 1. d. 3. Q. 1. At ſecũdo modo, illa ſpecies Diuinæ Eſſentiæ continet Eſſẽtiam, ſcilicet vt ratio cognoſcendi, non vt obiectum cognitum. Idq; ſentit Scotus lib. 2. d. 3. Q. 9.

7. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 3. Q. 1. ad D. dicit. Creaturæ imitãtur eſſentiã, vt hanc, & vt nuda eſt, & in ſe exiſtens. Oppoſitũ huius paulo inferius habet Scotus in iſtamet Quæſt. dicens. Creaturæ imperfectæ imitantur Eſſentiam.

Lucas. Reſp. Nulla eſt contradictio. Nam Scotus eo loci arguit contra Henr. qui concedit creaturas Eſſentiã imitari ſecundum conceptum Dei in ſe, & in particulari, quia non tantum imitantur Deum ſecundum aliquod attributum, verum etiam ſecundum eſſe Dei, quod præſupponitur attributo. Nam vult de Deo non poſſe haberi aliquem conceptum quidditatiuum alium à conceptu Deitatis. Idcirco concedere debet ex creaturis, poſſe conceptum Deitatis in ſe cognoſci, cum ipſæ creaturæ Deum imitari nõ poſſint ſecundum alium conceptum quidditatiuum, inferiorem ſeu imperfectiorem, vt Scotus ponit Deum poſſe cognoſci ſecundum alium conceptum quidditatiuum, ſcilicet entis realis, & ſecundum talem conceptum creaturæ eum imitantur, ſicque per creaturam naturaliter cognoſci poteſt, in conceptu tamen imperfectè quidditatiuo. Rurſus: non eſt aliqua repugnantia creaturas Deum imitari in particulari, & ſi imperfectè: ſimiliter ſtat aliquid cognoſcere in particulari, & diſtinctè. id eſt determinatè licet id modo imperfecto concipiatur.

8. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 3. Q. 1. ad D. dicit Deus, vt hæc Eſſentia, non cognoſcitur naturaliter a nobis, quia ſub ratione talis cognoſcibilis eſt obiectũ voluntarium, & non naturale. Oppoſitum huius habet Scotus prima Prol. dicendo ad quæſt. & 1. Q. 3. d. lib. 1. vbi videtnr dicere Eſſentiã diuinam eſſe obiectum naturale.

Lucas. Reſp. vbicunque Scotus habet Eſſentiam Diuinam eſſe obiectum voluntarium, loquitur vt eſt obiectum intellectus creati, quando vero eam

ſta-

ſtatuit obiectum naturale, loquitur reſpectu intellectus diuini, & ſunt verba Scoti hic d. 3. Q. 1. Queres: an verum ſit Eſſentiam Diuinam ſpeculum voluntarium nuncupari?

Reſp. Triplici modo id valet intelligi; Primo modo, loquẽdo de abſtractiua cognitione in vniuerſali, ſicq; eſt falſũ. Nam ex creaturis poſſumus Deum cognoſcere; Secundo modo abſtractiuè, ſed in propria natura, ac ſic Deus cauſaret ſpeciem, diſtinctè repræſentantem Eſſentiam Diuinam, tunc naturaliter, & non liberè repreſentaret; Tertiò modo intuitiuè, & ſic dico, quod Eſſentia eſt ſpeculum merè liberum.

9. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 3. Q. 1. ad D. dicit. Naturali via poſſumus peruenire ad multos conceptus proprios de Deo. Oppoſitum huius habet Scotus 1. Prol. Q. ad f. vbi inquit. Naturaliter haud poſſumus peruenire ad proprios conceptus ipſius Dei.

Lucas. Reſp. Scotus 3. d. 1. loquitur de conceptu complexo propriè ſumpto à ſenſibilibus, vt puta cognoſcimus, quod aliquid eſt ſummum ens, & ſummum bonum, & huiuſmodi. Prima vero Prol. Q. loquitur de proprietatibus incomplexis, & proprijs, quæ non ſunt communes ſẽſibili, & inſenſibili, illaſque via naturali ignoramus. Dices. Si natura, conceptus proprios de Deo cognoſcimus; tunc cognoſci poſſet Deus ſub propria ratione. Nego. Nam cum cognoſco ſummum bonum de Deo, non attribuo illud Deitati in ſe, & in particulari; ſed alicui enti, quod nominamus Deum, via enim naturali cognoſcimus aliquod ens eſſe ſummum bonum &c. Naturaliter tamen ignoramus quod illud ens in ſe ſit. Rurſus: conceptus ſunt in duplici differentia, quidam ſunt proprij habiti ex proprijs, ijque ex natura non poſſunt à nobis cognoſci, vt trinus, agere contingenter &c., & de his loquitur Scotus 1. Prol. Q. Alij ſunt proprij habiti ex communibus, ſeu ex creaturis, vt ens, bonum, verum &c. qui ex creaturis cognoſcuntur. De his loquitur Scotus 3. d. lib. 1. Q. 1.

10. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 3. Q. 1. ad E. dicit. Conceptus perfectior, & ſimplicior nobis poſſibilis, eſt coceptus entis ſimpliciter infiniti. Iſte enim eſt ſimplicior, quam conceptus entis boni, vel entis veri &c. Oppoſitum huius habet Scotus lib. 1. d. 8. Q. 3. ad E. vbi inquit. Conceptus boni eſt perfectiſſimus, quem poſſumus habere in via concipiendo Deum naturaliter.

Lucas. Reſp. Et triplici reſponſione apparenti huic contradictioni facio ſat. Prior eſt 8. d. Q. 3. Bonum per ſe idem eſt, quod ens infinitum, quia eſt ens independens, & ens per eſſentiam. Altera eſt, & ſi conceptus boni per ſe ſit perfectiſſimus, non tamen eſt ſimplicior, nam ſimplicior eſt conceptus entis infiniti, quam conceptus entis boni. Idcirco litera Scoti Q. 1. d. 3. 1. debet intelligi copulatiuè perfectior, & ſimplicior. Tertia eſt, conceptus entis boni eſt perfectiſſimus reſpectu intellectus practici, non autem reſpectu intellectus ſpeculatiui. Adde, & quarto; Bonitas eſſentialis eſt infinitas, itaque idem eſt bonum per ſe, & ens infinitum. Adde, & quinto, conceptus boni eſt perfectiſſimus, loquendo de conceptibus attributorum, & non ſimpliciter loquendo de conceptibus. De his multa oſtendimus 3. Prol. Q.

11. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 3. Q. 1. ad E. ait Infinitas non eſt attributum, nec quaſi paſſio, ſed dicit modum intrinſecum, Hanc eandem ſententiam habet Scotus, quinta Quol. Oppoſitum huius patet ex doctrina eiuſdem

Scoti,

Scoti: nam proprietas attributalis eſt infinita, propter identitatem cũ Eſſentia. Tertiaque Prol. Q. ad H. habet Scotus, quod omnes proprietates ſunt infinitæ propter identitatem quã habent cum Eſſentia, ergo diuina Eſſentia ex ſe eſt formaliter infinita, ſicque patet infinitudinem eſſe de quidditate, & rationi formali Eſſentiæ diuinæ & non modum intrinſecum.

Lutat. Reſp. Duæ in præſenti ſunt ſententiæ circa infinitatem. Altera Scoti locis citatis, qui aperte admittit infinitatem modum intrinſecum; Quod quæ ita monſtratur. (ommiſsis rationibus Franc. lib. 1. d. 2. Q. 7.) Illud eſt modus intrinſecus, quod habet modi intrinſeci diffinitionem, eiuſmodi eſt infinitudo, ergo &c. Minor patet, modus intrinſecus (referente Scoto 8: d. 1. Q. 3,) eſt qui additus alteri non variat rationem formalem conſtituti: ſic eſt de infinitate, ergo, &c. Altera eſt ſententia Alphonſi Q. 6. prol. concl. 3. qui innuit infinitatem de ratione formali Eſſentiæ diuinæ; Idque nititur oſtendere Sco. auctoritate ſuperius in contradictione adducta. Ad quam contrad. diſſoluendã, dico. Vnumquodque attributum eſt infinitum formaliter ſua propria infinitate, ſicque negatur attributum fore formaliter infinitum Eſſentiæ infinitate. Ad id quod inducitur ex Sco. 3. Q. prol. dico id truncatè adduci, nam ibi Sco. ait. Infinitas ineſt attributis ob identitatem cum Eſſentia, tanquam ex radice, & id ait etiam 5. Q. Quol At ex hoc non infertur, quin in via Sco. quodlibet attributum ſit infinitum propria infinitate, Rurſus. Admiſſo quod Eſſentia ſit ex ſe formaliter infinita, ita quod non ratione alterius, ex hoc tamen non ſequitur, infinitas eſt de ſua ratione formali. Si inſtes, quod conuenit Deo (circumſcripto omni eo quod non eſt Deitas) per ſe primo quudditatiuè ei conuenit, eiuſmodi eſt infinitudo. Nam circumſcripto omni eo quod non eſt per ſe primo in Deitate, adhuc Deitas eſſet ex ſe perfecta formaliter, non perfectione finita, ergo infinita. Reſp. duplex eſt perfectio, vnã ſumpta à quidditate (& ſic dato illo caſu) Eſſentia foret perfecta: altera deſumpta à modo, & iſto pacto perfecta tunc non diceretur. Vel dicas, Tunc non eſſet perfecta, nec imperfecta, niſi negatiuè, Vel tãtum eſſet perfecta fundamentaliter, non formaliter. Si adhuc dicas. Deitas ſe ipſa eſt perfectiſsima, ergo ſe ipſa eſt formaliter infinita, patet antecedens. Deitas eſt formalis ratio obiecti beatifici, quod non eſſet. niſi eſſet perfectiſsima. Ad hoc reſp. quando Sco. poſuit Deitatem rationem formalem ſubiecti theologici, non poſuit eam, vt ab infinitate denudatur, ſed vt eſt ſub ea. Inſtabis. Tunc ratio formalis obiecti eſſet ens per accidens. Inquam, non abſolutè pono Deitatem infinitam eſſe rationem formalem, at Deitatem ſub iſto modo, quæ infinitudo non conſtituit ens per accidens, quia non apponit aliquam formalitatem, cum ſit modus intrinſecus. Et ſi dicas. Niſi Deitas eſſet ſe ipſa formaliter infinita, haud verum eſſet illud Anſel. Proſol. ca. 2. & 3. Deus eſt quo maius excogitari non poteſt, ſi formaliter non eſſet infinita tunc maius cogitari poſſet. Reſp. non intelligit Anſel. Deum, præciſum ab infinitate, diffinire, at cum infinitudine, vel ſaltem ſub infinitudine. Rurſus. Deus, vt præciſus ab infinitate, eſt adhuc id, quo maius excogitari non poteſt. Sic, at maioritate ſumpta à quidditate; non autem maioritate ſumpta a modo. Prior tamen modus dicendi eſt potior.

Scotus

12.*Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 3. Q. 1. ad E dicit. Ens includit virtualiter bonum. & verum in ſe. Oppoſitum huius habet Sco. lib. 1. d. 39. ad C. & lib. 2. d. 12. Q. 1. vbi negat paſſiones demonſtrari de ente, ſicque non continet eas virtualiter, nec in eſſe cognito, nec in eſſe reali.

Lucas. Reſp. quicquid Ant. And. 1. Methap. Q. 1. dicat, paſsiones entis nequeunt oſtendi in via Sco. & prim. Prol. Q. diximus. Ad Sco. d. 3. lib. 1. quod continere virtualiter, inquam, ſtat dupliciter: vel virtualiter ſimpliciter, & illo modo ens minime virtualiter continet, aut virtualiter permiſsiuè, & iſto modo ait Sco. ens bonum, & verum virtualiter continere. Si dicas Sco. 3. 1. d. loco citato, inquit, ens infinitum virtualiter includit verum infinitum, & bonum infinitum. Reſp. ens infinitum re uera, & propriè haud infinitum bonum continet. Nam quod ſic continetur, eſt ens per participationem; Fuſo verò vocabulo & non verè dicitur continere. Poſſet etiam dici quod continet, ſi non in eſſe reali, ſaltem in eſſe cognito, id eſt quantum ad noſtrum modum cognoſcendi.

13.*Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 3. Q. 1. ad E inquit. Simplicitas (volens probare infinitudinem perfectiorem ſimplicitate) communicatur creaturis, infinitas vero haud communicatur creaturis. Oppoſitum huius habet Sco. lib. 1. d. 8. Q. 3. ad R. vbi dicit: Infinitam lineam eſſe in prædicamento, & anima, & mundus ſunt infinita ſaltem a parte poſt,

Lucas. Reſp. Infinitudo duobus modis accipitur, duratione, & efficacia infinitudo intenſiua, & in vigore vllo pacto creaturæ competere poteſt, ſicq; loquitur Sco. d. 3. 1. & patet illis verbis. Infinitas autem non ſecundū illum modum, quo conuenit Deo. Infinitas autē duratione certò creaturis aſcribitur, cuius meminit Sco. 8. d. prim. At dices. Si valet argumentum Sco. Infinitas eſt perfectior ſimplicitate, quia ſimplicitas cōmunicatur creaturis, infinitas autem non; probabo ego à ſimili generare, & ſpirare intellectu, & voluntate fore perfectiorem, nam intellectus, & volūtas cōmunicantur, ſpirare, verò, & generare, minime. Reſp. & ſi non eodem modo quo ſūt in Deo generare, & ſpirare, communicentur creaturis, aliquo tamen modo (licet imperfecto) communicantur. Huiuſque occaſione in anima noſtra eſt imago Trinitatis. Rurſus. Argumentatio tunc eſt bona, quando cætera ſūt paria. Exemplum, vt omnia, inter quæ ſit comparatio, ſint eſſentialia, vt eſt infinitas, & ſimplicitas, quę ambo ſunt eſſentialia, in argumentatione verò tua comparatur notionale ad eſſentiale, idcirco non tenet. Adde. Ratio Scoti 3. d. prim. eſt quædam perſuaſio. Nam in Deo eſt ſumma ſimplicitas, quæ creaturæ minime communicatur. Sicut igitur infinitas communicatur creaturæ vno modo, & non alio, ita de ſimplicitate.

14.*Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 3. Q. 1. ad F. dicit. dubitando ſi per eādem ſpeciem repręſententur magis vniuerſale, & minus; an per aliam, & aliam Idque habet d. 3. Q. 2. prim. Scotiſtæ omnes (Vigerio excepto) dicūt in via Scoti eadem ſpecie percipi poſſe, magis vniuerſale, & minus. Sic Ant. Tromb. 7. Meth. Q. de cognitione ſingularis. Sic Petrus Tat. 1. Phiſ. Q. 2. Sic Ioan. Can. 1. Phiſ. Q. 2. Sic Ant. And. 7. Meth. Q. 13. & ſi modum det, aliam partem tenendi. Sic Franc. Lich. lib. 1. d. 3. Q. 6. Sic Bargius. Q. 1. d. 3. lib. 1. Oppoſitum huius habet Sco. lib. 1. d. 3. Q. 6. arguendo contra Henr. ad A vbi inquit. Repræſentatiuū

ſingularis

ſingularis non poteſt repræſentare vniuerſale, at aliud, & aliud debet eſſe, ex quibus verbis videtur declinare Scotus ad aliam partem, quod requiratur alia, & alia ſpecies.

Lucas. Reſp. Bonum mihi videor cum communi ſcola Scotiſtarum admittere per eandem ſpeciẽ magis minuſue, vniuerſale percipi. Ad Scotum qui Q. 3. d. 1. videtur in oppoſitum, tripliciter reſpondeo. Primo Sco. eo loci arguit ad hominem, nempe contra Henr. quo caſu deſumi nõ poteſt auctoritas perfecta. Secundò. Species minus vniuerſalis repræſentat vniuerſale, non tamen ſpecies ſingularis repræſentat vniuerſale; Nã nõ eſt par ratio de duobus vniuerſalibus, nempe maiori, & minoris & de vniuerſali, & ſingulari, vniuerſale, & ſingulare sũt repræſentabilia per diuerſas rationes, non ſic magis, minusue vniuerſale. Tertia. Dum Scotus dicit, ſpecies ſingularis non poteſt repræſentare vniuerſale, debet intelligi tanquam repræſentatiuum formale. Nam falſum eſt, quod ſpecies ſingularis ſit formale repræſentatiuum tam ſingularis, quam vniuerſalis, at non negat Scotus quin ſit formale repræſentatiuũ ſingularis, & virtuale repræſentatiuum ipſius vniuerſalis.

15.*Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 3. Q. 1. ad F. videtur dicere ex illo verbo imaginando montem aureum, ſenſum potentiam fore collatiuam. Oppoſitũ huius habet Scotus lib. 1. d. 1. Q. 5. vbi reſpondendo ad Q. loquenſque de appetitu ſenſitiuo dicit, quod eius non eſt referre.

Lucas. Reſp. In via Scoti (licet pluribus in locis, nempe 45. d. 1. 49. d. 4. Q. 1. videatur anxius remanere Scotus, an ſenſus ſit vis collatiua) firmius tenendum eſt oppoſitum. Quoniam circa hoc ſe determinauit Scotus lib. 1. d. 1. Q. 5. vt dictum eſt, & in 3. d. 33. ſunt hæc verba. Proprie enim non conceditur conferre appetitui ſenſitiuo. Et 4. d. 43. Q. 2. & d. 44. Q. 3. habet quod non, ſicque habes quid ſit tenendum in via Sco. Ad Scotum 1. Q. 3. d. lib. 1. vbi videtur aſſerere. Senſus coniungit, & componit montem, & aureum, ſicque collatiuus. Reſpon. duplex complexum diſtans, & indiſtans, ſenſus poteſt cognoſcere cõplexum indiſtans, non autem poteſt cognoſcere complexum diſtans. Ratio huius rei eſt, quia cognoſcere complexum diſtans eſt cognoſcere vnum in reſpectu ad aliud, vel ad ſeipſum, ſubſiloque reſpectu ſenſus non poteſt cognoſcere, cum minime ſenſus ſit collatiuus. At dices. An ſenſus ſit diſcurſiuus? Reſp. Sco. lib. 4. d; 43. Q. Q. 2. ratio poterit aſſignari hæc, quod non. Diſcurſus enim præſupponit comparationem, at ſenſus non poteſt habere conceptionem nec igitur, & diſcurſum, niſi capiendo diſcurſum fuſo vocabulo, eo modo quo dicimus bruta habere prudentiam. Si adhuc dubites, An ſenſus ſit reflexiuus Reſ. Sco. lib. 2. d. 16. & lib. 4. d. 45. Q. 2. & 3. Meth. Q. 4. quod non. Si amplius inties An ſenſus ſit cõpoſitiuus, ita vt componere valeat extrema, deinde ea cognoſcere. Reſpon. Scotus lib. 4. d. 43. Q. 2. Negatiuè hoc enim ſenſus nulla ratione valet aſſequi.

16.*Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 3. Q. 1. ad H. dicit. Infinitum non poteſt cognoſci, nam percipi non valet ab intellectu cognoſcente ipſum ſecundum modum ſuæ infinitatis. Oppoſitum huius habet Scotus 2. Meth. Q. vlt. Et Ant. Andr. ibidem, & Ioan. Can. 3. Phiſ. Q. 4. Qui omnes tenent infinitum à nobis ſub ratione ſuæ infinitatis percipi contra Thom. qui volebat infinitum tantum ſub ratione finiti percipi.

Lucas. Reſp. Scotus dum in Meth. dicit. Infinitum poſſe percipi, de actu infi-

nito loquitur, quod quidem ab intellectu noſtro poteſt percipi, in tertia vero 1. diſt. loquitur de infinito in potentia, quod profectò non valet intelligi. Si dices: tale infinitum diffiniuit Ariſt. 3. Phiſ. t. 63. vt dicit Scotus 5. Quol. & patet ab Ariſt. vbique & 3. Phiſ. ergo infinitum in potentia eſt cognoſcibile, Reſp. Infinitum duobus modis poteſt capi, pro formali, & ſic cognoſcitur infinitum in potentia, Pro ſubſtrato, & ſic cognoſci non valet. Et nota infinitum pro formali, aplicatur infinito pro ſubſtrato, quod eſt infinitum in potentia ſecundum quid, & non ſimpliciter, cum non poſſit ſimul diuidi ſecundum omnes partes. Idque infinitum in potentia in via Scoti à nullo intellectu naturaliter poteſt intelligi. Non ab intellectu diuino. Nam ille intelligit omnes partes infinitas continuas ſimul, ſicque intelligitur ab eo tale infinitum actu, & non potentia. Nec ab intellectu creato, quia ſemper intelligit partem poſt partē, & nunquam ad vltimū veniet.

18. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 3. Q. 1. ad H. dicit. Pluralitas ex parte obiecti concludit maioritatem virtutis in intellectu, & ſi ex parte obiecti ſit infinitum, potentiaq; arguitur infinita. Oppoſitum huius habet Scotus lib. 2. d. 3. Q. 2. ad H. vbi tenet Deum potuiſſe creare vnam ſpeciem diſtinctè repreſentantem Eſſentiam diuinam, quæ ſpecies non eſt infinita, & tamen obiectum eſt infinitum.

Lucas. Reſp. ſpecies illa cuius meminit ſcotus lib. 2. cum non ſit adequata in entitate obiecto, nec repræſentatiuè, nempe, vt me comprehendere faciat Eſſentiam, at tantum repræſentet ſecundum proportionem, non abſolutè; verum per comparationem ad actum talem. Idcirco non eſt infinita, & ſi obiectum ſit infinitum 3. d. verò 1. dum dicit Scotus quod ex infinitudine obiecti arguitur infinitudo potentiæ, & quia potentia cognoſcit quodlibet ſeorſum perfectè quorum quolibet requirit aliquam perfectionem, illa perfectio arguit potentiam infinitā, idcircò non valet iſta conſequentia. Hæc ſpecies repræſentat rem infinitam, nempè Eſſentiam Diuinam, ergo eſt infinita. Tamen hæc conſequentia eſt bona: Hæc ſpecies repræſentat infinita obiecta, ergo eſt infinita. Ratio cur non valeat prima conſequentia hæc eſt. repreſentatiuum deficit à repreſentato in entitate. Ratio verò cur valeat ſecunda, eſt ſpecies repreſentans infinita obiecta, includit in ſe virtualiter infinitas rationes repreſentandi, quarum quælibet dicit aliā perfectionem diſtinctam ab alijs repreſentatiuis.

19. *Iacobus* Scotus lib. 1. d. 3. Q. 1. ad H. dicit. Non oportet actum habere talem modum, qualem habet obiectum, quia actus ſub ratione finiti poteſt eſſe ad obiectum ſub ratione infiniti. Oppoſitum huius eſt communis illa regula recepta ab omnibus. Obiectum perfectius habitum, & actū facit perfectiorem. Itaque obiectum in infinitum perfectius, faciet in infinitum actum perfectiorem.

Lucas. Reſp. Regula hec ita eſt intelligenda. Scientia de perfectiori obiecto ſēper eſt perfectior; ſicque ſimpliciter intelligendo, eſt vera; at ſi intelligas, vt ſcientiæ inter ſe non ſolum ſic ſe habeant, quæ eſt de perfectiori obiecto ſit perfectior, ſed etiam ſcientiæ inter ſe retineant eā proportionem, quam habent obiecta inter ſe, hoc modo non eſt verum. Ariſt. 3. de Anima t. 38. quando dixit. Secantur ſcientiæ, quēadmodum, & res, intellexit ſolum quantum ad primam conditionē, non autem quantum ad ſecundam.

Scotus

10. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 3. Q. 1, Reſp. ad 3. princ. dicit. Intellectus creatus non poteſt comprehendere Deum. Nam talem actum circa obiectũ non habemus, nec eſt poſſibile. Oppoſitum huius habetur ex Apoſtol. Sic currite, vt comprehendatis; & à Theologis affirmantibus beatos comprehenſores.

Lucas. Reſp. Certè intellectus creatus, etiam beatus, non ſolum Deum non valet comprehendere, at nec vllam creaturam poteſt comprehendere pro ſtatu iſto, conſequenterq; nihil poteſt comprehendere. Nam ad hoc quod intellectus aliquid comprehendat, oportet, quod cognoſcat illud obiectum, & cauſam ſuam, vt cognoſcibilia ſunt, ex hoc ſequitur, nec animam Chriſti naturaliter poſſe aliquid comprehendere, cum non cognoſcat cauſam perfectè alicuius effectus, quæ cauſa eſt Eſſentia Diuina, ſicque cognitio comprehenſiua ſolum eſt in Deo, ſemperque eſt infinita intenſiuè. Vnde a Franc. lib. 1. d. 30. Q. vlt. ita comprehendere, & aprehẽdere diffinitur. Comprehendere eſt attingere aliquod obiectu adequate quantũ in ſe eſt attingibile. Aprehendere verò, eſt cognitione intellectiua aliquod obiectum percipere; iſtoque modo creatura poteſt attingere Deum. Tamen ſæpe in ſacra ſcriptura hęc vocabula confunduntur. Iuxta illud Pauli. Sic currite, vt comprehendatis; & in hunc ſenſum aiunt Theologi. Sancti in Patria ſunt comprehenſores. Et ſi alicubi reperias, Deum infinitum cognoſcere ſub ratione finiti; intelligas eo modo, quo declarat Scotus lib. 3. d. 14. Q. 1. ſolu. ad ſecundum princ. vbi pertractans dictum Aug. 13. de ciuit. Dei cap. 18. Quod comprehenditur, ſcientis cognitione finitur. dicit. Non eſt intelligendum, quod abſolutè finiatur, quia tunc Deus non comprehenderet ſe, ſed finitur cognoſcenti, quia reſpectu eius ſe habet, ac ſi eſſet finitum: videtur enim ſolus ille intellectus comprehendere aliquod intelligibile, cuius tanta eſt perfectio in intellectualitate, quanta eſt perfectio, ſeu rei intelligibilitas, & ſic debet eſſe ibi commenſuratio, & adequatio. Et ob id neutrum eſt reſpectu alterius excedens, & vtrumque quaſi finitum eſt alteri, quia ſimpliciter adequatum. Nam ſicut propter equalitatem diuinarum perſonarum poſſet dici vna perſona finita alteri, ideſt, non excedens eã, ſimpliciter tamen eſt infinita. Ex hoc patet, quid ſit dicendum ſi vnquam à Scoto inuenias dictum. Deus cognoſcit infinitum finitè.

Tertia diſt. Quæſt. ſecunda, lib. primi.

1. *Iacobus.* SCOTVS lib. 1. d, 3. Q. 2. ad K. referens dictum Ariſt. 9. meth. c. 7. t. 15. Quę ſunt priora ſecundam generationem, ſunt poſteriora ſecundum perfectionem, videtur ex illo dicto velle, & concludere. Pater in diuinis eſt prior origine filio, ita quod filius eſt perfectior, cum ſit poſterior origine. Oppoſitum huius habet Scotus vbique in materia de Trinit. & 5. Quol. Nam in illa Sanctiſs. Trin. non reperitur aliqua exceſſio in perfectione reſpectu alicuius perſonę.

Lucas. Reſp. Ariſt. 9. Meth. t. 15. nullam in Deo veritatem habet, ſicque patet ad contrad. Rurſus, nec habet veritatem in comparatione vnius ad al-

terum prædicamentum. Nam accidens, tunc eſt perfectius ſubſtantia. Rurſus nec valet comparando ſubiectum ad ſuam propriam paſſionem. Rurſus in eodem genere non habet veritatem in proceſſu deperditiuo, ſed tantum in proceſſu acquiſitiuo. Cuius meminit Scotus lib. 2. d. 18. & lib. 3. d. 12.

2. Iacobus. Scotus. lib. 1. d. 3. Q. 2. ad K. dicit. Cõceptus ſimpliciter ſimplex nõ eſt reſolubilis in plures cõceptus entis, vel, vt vltimæ differẽtiæ, & paſſiones entis. Oppoſitum huius patet vbique in via Scoti; & potiſſimum lib. 1. d. 3. Q. 3. admittit tales prædicationes. Rationale eſt ens, bonum eſt ens; ergo ſimpliciter ſimplicia reſoluuntur in conceptus.

Lucas. Reſp. Scotus dum dicit, conceptus ſimpliciter ſimplex non reſoluitur in vlteriores conceptus, ſic intelligitur. conceptus ſimpliciter ſimplex non reſoluitur in plures conceptus quidditatiuos; vt inferius in ſuperius, aut in conceptus quidditatiuos, & qualitatiuos, vt diffinitum reſoluitur in quidditatiuum generis, & qualitatiuum differentiæ. Quamuis differẽtiæ vltimæ, & entis paſſiones reſoluantur in cõceptus reales entis; nihilominus ſunt cõceptus ſimpliciter ſimplicices reſpectu cõceptus quidditatiui. Ens enim non prædicatur in quid de eis, ſicq; non reſoluitur in ens tanquam in quidditatiuum, & qualitatiuum. At dubium adeſt. Num Eſſentia Diuina, conſiderata in quidditate ſua, vt præcedit intellectum, & voluntatem, ſicuti eſt ſumme ſimplex, ſit ſimpliciter ſimplex? Reſp. ſi conceptus ſimpliciter ſimplex ſit ille, qui nullo modo reſoluitur in priores conceptus quidditatiuos, qui conceptus verè non ſunt de quidditate eius, certè hoc modo Deitas dicit conceptum ſimpliciter ſimplicem. Nam conceptus entis eſt ſimpliciter poſterior Deitate, nec eſt proprie de quidditate eius. Si autem conceptus ſimpliciter ſimplex ſit, qui non reſoluitur in plures conceptus qualeſcunque, hoc modo Deitas non dicit conceptum ſimpliciter ſimplicem, quia reſoluitur in conceptum entis, qui ſi in ſe non ſit prior Deitate, eſt tamen communior, ſicque prior à quo non conuertitur ſubſiſtendi conſequentia: ſi non ſit de quidditate Dei, dicitur tamen in quid de eo.

3. Iacobus. Scotus lib. 1. d. 3. Q. 1. ad L. dicit. Primum actualiter cognitum eſt ſpecies ſpecialiſsima, cuius ſingulare fortius, & efficacius mouet ſenſum. Oppoſitum habet Scotus 7. Meth. Q. 15. & lib. 2. d. 3. Q. 6. & lib. 3. d. 14. Q. 3. quibus in locis dicit. Singulare eſt per ſe primo cognoſcibile.

Lucas. Reſp. Scotus 3. d. prim. non determinat quid ſit primo cognitum abſolutè. At quid ſit primo cognitum, inter ea quæ conceduntur ab omnibus intelligi, vt vniuerſale; Nam tam Phil. quàm Theologi, concedunt vniuerſale eſſe per ſe intelligibile; de ſingulari verò a multis dubitatur; At in via Scoti cognoſcitur, vt dictum eſt. Ant. And. Q. 13. 7. Meth. tenet ſingulare vagum eſſe primo cognitum. Occam lib. 1. d. 3. Q. 5. & 6. cum quo eſt Greg. & Ioan. Baccon d. 3. p. omnes admittunt ſingulare eſſe primo cognitum, quod affirmatur a Scoto. At non quærit Scotus 3. d. 1. de primo cognito abſolute, ſed ſolum inter ea, quæ conceduntur ab omnibus cognoſci, vt ſunt vniuerſalia. Idq; oſtendit illis verbis. Loquor enim modo de illis, quę certum eſt poſſe intelligi ſecundum omnem opinionem. Hinc Scotus ponit primo cognitum ſpeciem ſpecialiſsimam, cuius ſingulare efficacius mouet

ſenſum

ſenſum. Dices Ariſt. 1. Phil. t. 5. ait. ſingularia magis vniuerſalium magis mouere. Idque patet de pueris appellantibus primò omnes viros patres, & eſt etiam exemplum de veniente a remotis. Reſpon. Ad exemplum de pueris, quod cauſæ non ſunt bene diſpoſitæ, at potius impeditæ. Tromb. tamen ſic Reſp. Ex illo probatur ſpeciem ſpecialiſsimam fore primum cognitum ante ſingulare. Quod verum eſt de ſingulari ſignato. Ad exemplum de veniente a remotis dico obiectum non eſſe debitè diſpoſitum: ſi contra hoc obijcias ex Auicen. 1. Metap. cap. 1. Ens, & res prima impreſsione imprimuntur in anima; Reſp. verum eſt vt ſunt quædam tota, & vniuerſalia ratione partium ſubiectiuarum, ſicque ſunt confuſa & in diſtincta, antequam ſua inferiora cognoſcātur. Dices. In via Scoti ens non poteſt concipi confuſe. Reſp. Ens eſt conceptus confuſus reſpectu contentorum in eo potentia, & ſi ſit in ſe conceptus diſtinctiſsimus. At conſiderando ens vt confuſum, & hominem vt quoddam totum confuſum, quod illarum, eſt primū cognitum? Reſ. Homo natura eſt quoddam magis confuſum actuale ratione partium eſſentialiter incluſarum. Ens autem eſt magis confuſum potentiale ratione partium ſubiectiuarū. Modo confuſum actuale eſt perfectius confuſo potentiali, itaque fortius mouebit, priuſquam intelligatur, ſic inter vniuerſalia ſpecies ſpecialiſsima ſemper erit primo cognita, & aduerte, quod ens vt totum eſt prius notum quā ſuæ partes ſubiectiuæ cognitione confuſa, ſed vniuerſale, ſeu vt pars eſſentialis ſuorum inferiorum, eſt prius notū cognitione diſtincta. Ioan. Canon 1. Phiſ. Q. 2. ad dictum Auicen. Ens, & res prima impreſsione &c. Reſp. Auicen. loquitur de cognitione diſtincta, quæ habetur per diuiſionem. Dices. Intellectus prius recipit notitiam imperfectam, quam perfectam; At notitia magis vniuerſalis eſt imperfectior. Reſ. Notitia magis vniuerſalis eſt imperfectior obiectiuè, & entitatiuè, at non imperfectior, id eſt confuſior. Nam intellectus prius recipit notitiam imperfectam, quam perfectam reſpectu eiuſdem obiecti, ſed non reſpectu diuerſorum obiectorum.

4. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 3. Q. 2. ad N. dicit. Primum cognitum eſt communiſsimum, & quo propinquiora ſunt ſibi, ſunt priora. Oppoſitum huius habet in eadem Q. & Diſt. ad L. vbi vult, quod minus vniuerſale, vt eſt ſpecies ſpecialiſsima, eſt primum cognitum.

Lucas. Reſpon. Cognitio capitur dupliciter, vno modo vt eſt diſtincta, & actualis notitia, ſicque communiſsima ſunt primo nota nobis, loquendo de prioritate originis, ſeu generationis. Altero modo capitur notitia, vt confuſa, & ſic minus vniuerſalia ſunt primo nota: Itaque diſtinctione ſatisfacias Auic. 1. Methap. cap. 3. ex dicto Sco. d. 3. 2. Q. 2. Ait enim Auic. Methap. eſt vltima inter ſcientias, & ibi addit. Methaphiſica, eſt prima inter ſciētias. Recurras ad diſtinctionem de cognito diſtinctè, & confuſè, & ſic tollitur contradictio. Inſtabis. Sco. 1. Methap. q. vltim. ait. Magis vniuerſal eſt primo cognitum: ergo non minus vniuerſale eſt primo cognitum: vt dicit in iſta quæſt. Vtique ſpecies ſpecialiſsima, cuius ſingulare fortius mouet ſenſum, eſtque perfectè præſens, & optime diſpoſitum reſpectu potentiæ ſenſitiuæ, quæ etiam potentia ſit diſpoſita bene, illa certè ſpecies ſpecialiſſima primo nobis occurrit. Id & non aliud vult Sco. 3. d. 1. Communiter tamen prius origine concipitur magis vniuerſale, quam minus

vniuerſale

vniuerſale: Hoc eſt, quia vt in pluribus, ſingulare magis vniuerſalis prius, & fortius ſentitur, quam ſingulare minus vniuerſalis: ſicque intelligit Sco. in Methap. Si tamen ſingulare minus vniuerſalis mouęt fortius ſenſum, tunc ſpecies intelligibilis illius ſpeciei prius origine cauſat notitiam illius, quam notitia magis vniuerſalis.

9. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 3. Q. 2 ad N. dicit. Nihil concipitur diſtinctè, niſi quando concipiuntur omnia, quæ includuntur in ratione eius eſſentiali. Oppoſitum huius patet Q. 1. Prol. D. 8. lib. prim. Q. 1. & 15. Quol. vbi Sco. vult impoſsibile eſſe, nec diſtinctè, nec confuſè, ſine fundamento, & termino aliquam relationem poſſe cognoſci, tamen ex dicto. D. 3. prim. prioritas poteſt diſtinctè cognoſci ſine cognitione fundamenti, & termini, nam fundamentum, & terminus non includuntur in ratione quidditatiua relationis; Si quidem in eiuſdem diffinitione vt addita ponantur.

Lucas. Reſp. Cognitio paternitatis confuſa non poteſt haberi aliquo modo, niſi præcognitis fundamento, & termino; habita tamen tali cognitione poteſt diſtinctè cognoſci, & quidditatiuè ideſt ſecundum omnes conceptus quidditatiuè, & eſſentialiter incluſos: hanc quoque cognitionē quidditatiuam habere poſſumus ſine termino, & fundamento præcognitis, ideſt cognitio fundamenti, & termini non requiruntur ad eius cognitionem abſolutam, & in hac cognitione impoſsibile eſt cognoſcere relationem, fundamento, & termino minime præcognitis.

6. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 3. Q. 2. ad M. dicit. Ex hoc apparet cauſa, quare intellectus intelligit prius vnum intelligibile, quam aliud, licet ſpecies plurium ſint ſibi præſentes. Hoc enim non eſt à voluntate, cum non habeat tunc intellectus actum intelligendi. Oppoſitum huius habet Sco. lib. 2. d. 9. Q. 2. d I. vbi inquit. In poteſtate Angeli eſt quantum ad primam intellectionem vti hac ſpecie in memoria, vel illa ad illam intellectionem actualem iſtius, vel illius: hocque non tantum contradicit Sco: loco iam citato, at quoque opponitur dicto Sco. D. 3. Q. 5. lib. prim.

Lucas. Reſp. Scotus lib. 2. non loquitur abſolutè de prima intellectione, quia voluntas ante omnem cognitionem obiecti poſſet imperare illam; ſed bene prima intellectio eſt in poteſtate voluntatis, quo ad eius continuationem. Rurſus, ſi intellectus fiat præſens voluntati, vt cognitus habens plures ſpecies intelligibiles, & præſentes illi voluntati, quæ poteſt imperare intellectui, vt vna vtatur, non vtendo alia, hoc bene poteſt fieri: ſicque eſt intelligendus Sco. in 2. lib.

9. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 3. Q. 2. ad O. dicit. Concedo, quod ſpecies præintelligitur ante ſingulare, quia dixi, quod ſpecies eſt primum intelligibile. Oppoſitum huius habet Sco. 1. Meth. Q. vlt. & 7. Q. 15. Idque habet Ant. Andr. 7. Meth. Q. 13. Ant. Tromb. in materia de cognitione ſingularis. Ioa. Canon. 1. Phiſ. Q. 2. art. 1. concl. 5. & Petrus Tatar. 1. Phil. Q. 2. art. 2. dub. pri. Sco. & omnes iſti firmant, ſingulare prius cognoſci.

Lucas. Reſp. ſingulare in via Sco. bifariam ſumitur; pro ſingulari vago, vt hic homo, hoc animal, hęc ſubſtantia, hoc ens. Illud ſingulare primo occurrit, vt docet Sco. in Meth. & prællegati Doctores, ſi vere accipiatur pro ſingulari ſignato, iſti præfertur ſpecies ſpecialiſsima, vt ait Sco. D. 3. Q. 2. lib. prim.

Scotus

8. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 3. Q. 2. ad R. dicit, quantum ad iſtam cognitionem habitualem, & virtualem, dico, quod communiora ſunt prius nota via originis, vel generationis. Oppoſitum patet ex via Sco. & omnium Nam omne potentialiter tale quandoque erit actualiter tale, igitur ſi ens eſt primo cognitum habitualiter, vel virtualiter, ergo eſt primo cognitum actualiter.

Lucas. Reſp. Non ſequitur, ens cognoſcitur prius habitualiter, ergo prius actualiter; quoniam Sco. tantum loquitur de cognito habitualiter, & virtualiter diſtincto contra cognitum actualiter. At qualem ordinem habet aliquid in ſe, talem habet reſpectu cuiuſcunque, velut homo prius conſtituitur per ens, deinde per ſubſtantiam &c. Ita homo in intellectu talem habebit ordinem &c. Nota, habitualis notitia non eſt diſtincta, nec confuſa; nam diſtinctum, & confuſum ſunt paſſiones notitiæ actualis.

9. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 3. Q. 2. ad S. ponit Deum primo cognitum à nobis naturaliter. Oppoſitum eadem et Q. ad V. habet, vbi ponit, ſenſibilia perfectiora nobis pro primo cognito nobis.

Lucas. Reſp. Intelligibile nobis dupliciter poteſt intelligi, aut ſimpliciter, aut ſecundum proportionem, ſimpliciter attenditur penes obiectum, & quo obiectum eſt perfectius, eo notitia eſt excellentior, & ſic ordine perfectionis Deus prius occurrit nobis naturaliter. At loquendo de intelligibili ſecundum proportionem, quæ attenditur penes potentiam, & maiorem capacitatem obiecti, dico, quod perfectiora ſenſibilia, & ſenſus efficacius mouentia primo cognoſcuntur. Similiter Sco. eadem Q. ad I. pro primo cognito ponit ſpeciem ſpecialiſſimam, & ad S. illius Q. ponit Deum, ergo contradictio. Reſponſio omnium quære.

10. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 3. Q. 2. dicit. Idē poteſt cognoſci duplici cauſa, & dat exēplum de Eclipſi Lunæ cognoſcibili ſenſu, & intellectu. Oppoſitum huius habet lib. 1. d. 2. Q. 1. ad Q. & Q. 3. eiuſdem Diſt. vbi dicit effectum eundem non poſſe eſſe ad duabus cauſis.

Lucas. Reſp. Duplex eſt ordo cauſarum, vno modo, cauſæ ſunt ſubordinatæ, & ab illis, quia ſunt aliæ, & aliæ, idem effectus poteſt eſſe; altero modo intelligitur reſpectu eiuſdem ordinis cauſarum, ſicque eſt impoſſibile à pluribus cauſis vnicus effectus prouenire, ſicut poſſibile eamdē Lunæ Eclipſim cognoſci ſenſu, & demonſtratione, tanquam à duabus cauſis alterius, & alterius ordinis: At non poſſunt eſſe duæ demonſtrationes reſpectu eiuſdem effectus. Siquidem altera ſuperflueret, ſed bene vna poteſt eſſe a priori, altera a poſteriori.

Tertia diſt. Quæſt. Tertia, lib. primi.

11. *Iacobus.* SCOTVS lib. d. 3. Q. 3. ad A. dicit. Intellectus exiſtens eadem potentia, cognoſcit quidditatem ſubſtantiæ immaterialis, ſicut patet ex fide de anima beata. Potentia autem manens eadem, non poteſt habere actum circa aliquod, quod non continetur ſub ſuo primo obiecto. Oppoſitum huius, habet Sco. 3. Prol. Q. vbique ſæpe. Naturaliter nō poteſt cognoſci Deus: & tamē eſt eadē potētia intellectus noſter hic, & in patria

tria ergo ſi in patria naturaliter,& hic poterit cognoſcere naturaliter.

Lucas. Reſp. Non repugnat etiam hic in via ſimpliciter cognoſci Deus,dummodo obiectum potentiæ fuerit præſens ſub ratione propria. At 1. Prol. dixerat Scotus, quod repugnat potentiæ naturaliter, ideſt in via poſſe habere diſtinctam cognitionem Deitatis; quia illa cognitio requirit præſentiam obiecti: modo Eſſentia eſt tantum obiectum voluntarium rei pectu intellectus noſtri. Rurſus, poſito, & admiſſo, vt ſibi repugnaret, nimirum intellectui vnito corpori corruptibili cognoſcere Deum, non tamen ſibi repugnat ex natura intellectus.

2. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 3. Q. 3. ad A. videtur negare lumen gloriæ non eſſe neceſſarium, & in ſra D. præſenti contrad. 28. & 17. Q. 2. & lib. 3. d. 14. Q. 3. & lib. 4. d. 49. Q. 11. Oppoſitum huius determinatur ab Eccleſia in Clementinis, de Hereticis ad noſtra,vbi conſtitutio ait. Neceſſariũ eſt lumen gloriæ, vt videatur Deus.

Lucas. Reſp. Eccleſię conſtitutio de potentia Dei ordinata intelligitur, & ita cõcedit Scotus lumen gloriæ tanquam neceſſarium. at de poteſtate abſoluta negatur a Scoto lumen gloriæ. Concedit igitur factum, negatq; poſſibilitatem; etiam conſtitutio illa edita fuit poſt Scotum. Vel aliter dic vt ſcis, & pondera locum Clementinarum.

3. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 3. Q. 3. ad A. dicit. Deſiderium naturale non eſt ad impoſſibile ex natura deſiderantis; Idque firmatur ex Ariſt. 1. cæli t. 50. & 59. Et 3. de anima t. 60. vbi vult. Deus,& natura nihil agunt fruſtra, & expreſſius Sco. lib 4. d. 49. Q. 9. & 10. Oppoſitum huius habet Sco. lib. 2. d. 6. Q. 1. vbi dicit. Angelus malus appetijt æqualitatem Dei: idq; erat impoſſibile & Ariſt. in Ethicis ait. Electio, & voluntas ſunt impoſſibilium. Aduerte pro reſponſione de appetitu efficaci, & cõplacentiæ.

Lucas. Reſponſionem quere. Dices. Si appetitus naturalis non eſt ad impoſſibile, taliſque appetitus non addit aliquid abſolutè ſuper naturam, vt docet Sco. lib. 4. d. 49. Q. 10. & remanet in Angelis, & in hominibus damnatis appetitus naturalis ad beatitudinem, ergo erit incaſſum talis appetitus. Reſp. Scotus lib. 4. ait ita loco citato. Et ſi in Angelis, & damnatis ſit incaſſum talis appetitus ad beatitudinem, tamen non fruſtratur; nam illud eſt fruſtra, quod caret perfectione ſua ſecundum totam ſpeciem, non tamen eſt fruſtra, ſi careat illa in aliquo indiuiduo; vt in orbatis, & monſtruoſis apparet. Sic licet aliquos perfeci ſecundum appetitum naturalem beatitudine, vt Sancti: damnati vero, & ſi habeant deſiderium, & non acquirant, non eſt incaſſum, quia reducitur ad actum in aliquibus eiuſdem ſpeciei.

4. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 3. Q. 3. ad A. dicit. Non eſt impoſſibile intellectui, ex parte intellectus cognoſcere ſubſtantiam immaterialem in particulari. Oppoſitum huius habet Scotus. 1. Prol. Q. ad 2. & 14. Quol. vbi dicit pro quocunque ſtatu reſpectu cuiuſlibet intellectus creati, præciſe ens limitatum eſt obiectum adæquatum.

Lucas. Reſp. Non repugnat ex parte intellectus cognoſcere Deum in particulari, ideſt ſibi non obſtat recipere talem cognitionem. Idque eſt quod ait Sco. 1. Prol. Q. Obiectum adæquatum eſt ens in quantum ens, ad quod inclinatur naturaliter ex natura potentiæ, tamen non eſt obiectum eius adæquatum, ad quod intellectus poſſit ex ſuis viribus naturalibus. Dices Verbum illud Scoti, ſcilicet appoſitum, Cognoſcere

3. d.

3. d. 1. Q. 3. ſignat actiuitatem, ergo hæc ſolutio non tenet. Reſp. Nego, cognoſcere, actiuitatem ſonare, vt docet Scotus 15. Quol. & clarius Ariſt. 3. de anima t. 2. & 12. vbi vult intelligere eſſe quoddam pati. Et Auer. 3. de anima c. 18. habet iſta verba. Intelligere autem nihil eſt niſi recipere iſtas intentiones. Inſtabis. Scotus d. 3. Q. 3. lib. 1. Superius, videtur velle intellectum via effectuum poſſe Deum cognoſcere in particulari; ergo ſuperior reſponſio non videtur rectè adaptari. Inquam; iſtaque reſponſio valde dicit ad contrad. triplex conceptus eſt de Deo; primus eſt communis ſibi, & ſenſibilibus, vt Deus eſt ens, & bonus. Secundus eſt ſibi proprius, & particularis; habitus tamen ex communibus; vt Deus eſt ſummè bonus. Tertius eſt proprius habitus ex proprijs, vt Deus eſt trinus, & vnus. Tunc dico. Poſſumus actiuè cognoſcere Deum in particulari, quantum ad primũ, & ſecundum conceptum, quo verò ad tertium minimè, vt dicit 1. Prol. Quæſt. Rurſus; non repugnat intellectui cognoſcere Deum in particulari, quatenus ſit ex parte ſui; dummodo Deus ſe faciat præſentem in ratione obiecti.

5. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 3. Q. 3. ad B. dicit. Nulla potentia poteſt cognoſcere aliquod obiectum ſub ratione communiori, quam ſit ratio primi obiecti. Oppoſitum huius habet Scotus. 14. Q. Quol. ad Cc. vbi inquit. Eſſẽtia diuina eſt obiectum intellectus diuini. & tamen Deus non tantum intelligit Eſſentiam ſuam, ſed intelligit quoque alia à ſe.

Lucas. Reſp. Deus intelligit tantum alia propriè in Eſſentia præcisè, & adæquatè, ſed non intelligit ea in proprio genere, vt docet Scotus 15. Quol. & lib. 4. d. 16. Q. 2. Dices, vt ſupra Q. 3. ad B. dicit, quicquid per ſe cognoſcitur à potentia cognitiua, vel eſt eius obiectum primum, vel continetur ſub illo obiecto, Conceptus entis intelligitur, & tamen nõ eſt eius obiectum. nec continetur ſub eius obiecto. Dico, Sco. dum ait. Ens eſſe adęquatum obiectum noſtri intellectus in ratione motiui ſeu terminatiui, non accipit ens tantum pro conceptu entis communi omni enti, at prout includitur in omni ente, vt omne ens apprehendit, ſicque conceptus entis, & ſi non contineatur ſub communiori, cum ſit communiſſimus, tamen dicitur aliquo modo contineri, cum ponatur eſſe de numero intelligibilium. Pro his vide Scotum 1. Prol. ſol. primum principale.

6. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 3. Q. 3. ad B. dicit, licet exemplificando, colorem, vel lucem eſſe obiectum potentię viſiuę. Oppoſitum apparet ſenſu. Nam ſub colore non continetur lumen, nec ſub luce continentur ſenſibilia communia, magnitudo, numerus, & figura, &c.

Lucas. Reſp. non poteſt ex 3. d. 1. Q. 3. collogi, quod color, ſeu lux ſit obiectũ viſus, cum re vera ita non ſit, & ab exemplo non debet auctoritas ſumi. At quid nam ponitur, ſi color non eſt obiectum adęquatum viſus? Reſp. Landulphus d. 13. Q. 4. lib. 2. Obiectum viſus non eſt vnũ vnitate ſpecifica, ſed tantum vnum vnitate generica, idque non eſt nobis nominatum, aliquid enim eſt commune ad lucida, & colorata Franc. lib. 2. d. 13. Q. 2. dicit. Lux propriè non eſt obiectum adęquatum, & lux participata non eſt obiectum adæquatum, ſed lux, vt eſt quoddam commune ad veram lucem, & ad lucem participatam videtur aliquibus eſſe ſubſtendandum obiectum adęquatum viſus. Hinc ſecundum Franc. lux participata dicitur color. Pari-

ſienſes 2. de anima Q. 3. art. 1. notab. 1. dicunt. Obiectum viſus eſt nobis innominatum, at qualitas communis luci, lumini, & colori eſt obiectum adæquatum potentiæ viſiuæ. At dubitatur. Nam viſus non tantum videt iſta tria, ſed etiam videt ſenſibilia communia, magnitudinem, ſcilicet numerum, & figuram, motum, & quietem, hancq; difficultatem dimittunt Pariſienſes inſolutam. Ex quo puto ſic dicendum. Aliquid nobis innominatum commune luci lumini, colori, magnitudini, & figuræ, eſt obiectum adequatum viſus; ſicque non eſt vnus ſpecificè, nec genericè, ſed tantum vnus traſcendenter: Nam lumen lignorum putridorum in nocte, vermis lucens in nocte, oculi luporum, oculus caprorum. certè ſunt viſibilia, & tamen proprie non ſunt color, nec lumen, nec lux. Similiter, ſpecies viridis propè murum videtur, tamen illa ſpecies coloris haud eſt color. In Iride eſt apparentia colorum, tamen non color, nec ſpecies coloris. Numerus, rarum, & denſum videtur, tamen ſunt alia à luce, lumine, & colore. Eſt ergo dicendum. Aliquod traſcendens commune iſtis eſt obiectum adęquatum potentiæ viſiuæ. Quęres; vnde habent oculi caprorum, & luporum, vt noctu videant? Oculi caprorum vident ob reflexionem radiorum ſtellarum ad oculos capri. Lupus ex nimio conatu ad videndum ſpecies lucis nouas producit.

7. Iacobus. Scotus lib. 1. d. 3. Q. 3. ad C. dicit. Obiectum, & potentia proportionem requirunt, at non ſimilitudinem; nam potentia, & obiectum ſe habent, vt motiuum, & mobile. Oppoſitum huius habet Scotus lib. 2. d. 2. Q. 10. ad D. vbi habet, quod grauia, & leuia mouent ſe ipſa, ergo inter motiuum, & mobile datur ſimilitudo. Angelus mouet ſe ipſum, vt docet Scotus lib. 2. d. 2. Q. 9. Voluntas mouet ſe ipſam. lib. 2. d. 25. Tamen in his, mouens, & mobile ſimilitudinem habent.

Lucas. Reſp. Quamuis re in eodem conſiderato non ſit reſpectu eius diſſimilitudo, tamen, vt idem conſideratum ſub ratione motiui, & mobilis, eſt neceſſario non ſimilitudo; ſicque motiuum, & mobile ſemper non requirunt ſimilitudinem pro formali, licet non pro materiali. Rurſus. Scotus tantum lib. 1. dicit. Potentia, & obiectum non oportet aſſimilari, non tamen dicit, neceſſario debent eſſe non ſimilia, at ſe habere debent, vt non ſimilia. Dices. Scotus lib. 1. ait. Inter cauſam, & cauſatum debet eſſe proportio, quæ requirit ſimilitudinem; ſi ſic, ergo cauſa vniuoca, & effectus vniuocus ſunt diſſimilia; idque non videtur; nam ſunt eiuſdem ſpeciei ſpecialiſſimæ. Reſp. Et ſi eſſe cauſabile, & eſſe cauſatiuum abſolute, & in ſe conſiderata, ſint eiuſdem ſpeciei, pro formali tamen ſunt diſſimilia. Rurſus. Difficultas admittitur ex illo verbo in littera Scoti poſito. Sicut communiter dicitur, in omni proportione. Nam communiter verum eſt, inter cauſam, & cauſatum debuiſſe fore diſſimilitudinem; non eſt tamen verum in omnibus, vt patet de cauſa, effectuque vniuoco. Nota, quod potentia, vt anima abſolutè non eſt ſimilis obiecto, at ſolum ſecundum quid, in quantum eſt ſub ſpecie intelligibili, vel actu intelligendi; docetque id Ariſt. de anima, t. 37. dicens. Anima eſt quodammodo omnia. Quęres; per quid anima eſt magis ſimilis obiecto, per ſpeciem intelligibilem, an per actum intelligendi? Reſp. Per actum intelligendi. Nam ſententia Scoti eſt lib. 1. d. 3. Q. 6. & 14. Quol. Actus eſt verior ſimilitudo obiecti, quam ſpecies intelligibilis; quoniam ſpecies repreſentat obie-

tat obiectum in ratione actu intelligibilis, at actus obiectum repreſentat ratione actu intellecti; ſicque per actum anima eſt ſimilior obiecto, quam per ſpeciem.

8. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 3. Q. 3. ad D. dicit. Obiectum adæquatum ad potentiam habet naturalem ordinem in ratione motiui. Oppoſitum tamen huius patet ratione. Sonus in communi eſt obiectum adęquatum auditus, tamen non poteſt mouere auditum, quia tunc ſonus in communi audiretur; ita etiam dicas de obiectis adæquatis aliarum potentiarum ſenſitiuarum, tam intrinſecarum, quam extrinſecarum.

Lucas. Reſp. Sonus in communi non eſt obiectum potentiæ auditiuæ, ſed aggregatum ex omnibus per ſe audibilibus eſt obiectum adęquatum potentiæ auditiuæ. At num id ſit verum? Nam quæcunque potentia vna habere debet per ſe obiectum, quo tanquam ab extrinſeco eiuſdem potentiæ actus differant ab actibus aliarum potentiarum, veluti patet lib. 2. de animalibus, t. 33. & à Scoto lib. 3. d. 14. Q. 1. Rurſus. Alia eſt ratio formalis motiua, & alia eſt ratio, vel conditio mouentis; ſonus in communi eſt ratio terminādi auditionem, ſingularitas autem eſt ratio terminantis. Sed an id ſoluat? Nam dicit Scotus. Obiectum reſpectu potentię habet ordinem naturalem in ratione motiui; & non dicit, quod ſit ratio formalis, licet in ſe rationem illam formalem amplectatur, ex quo aliter eſt dicendum. Obiectum in communi comparatur ad auditum in communi, & obiectum particulare ad potentiam particularem: non oportet obiectum in communi comparari ad potentiam in particulari; quo admiſſo. Dico. Obiectum in communi eſt motiuum in potentia remotè, & permiſſiuè ſicut ipſa potentia in communi, eſt tantum mobilis in potentia remota: & obiectum in particulari eſt motiuum propinquè, ſicut potentia particularis eſt mobilis propinquè; ſicque remanet debita proportio inter obiectum, & potentiam. Nota, ſenſibile in communi eſt tantum vt quid, non autem vt modus; at eſt intelligibile vt quid, & vt modus. Dices. Scotus lib. 4. d. 49. Q. 9. & lib. 2. d. 2. Q. 10. dicit. Ens ſub ratione entitatis, eſt obiectum voluntatis, & tamen non neceſſario mouet voluntatem ad ſui volitionem. Reſp. obiectum eſt tantum cauſa partialis magis principalis, ex quo voluntas neceſſario non mouetur. Adde ſecundum alterum modum dicendi lib. 2. d. 25. obiectum eſt tantum cauſa ſine qua non, quo conceſſo, & ſi obiectum neceſſario moueat, non tamen voluntas neceſſario ſequitur illam motionem, ſicut facit intellectus. Amplius. Obiectum neceſſario mouet quantum eſt ex parte ſui, at ſibi accidit, vt libera potentia, eidem correſpondeat. Nam dicit Scotus lib. 1. d. 17. Q. 2. & lib. 2. d. 25. & lib. 3. d. 33. & 16. Q. Quol. Quando principium actiuum concurrit naturaliter cum cauſa liberè agente, oportet, vt illud principium naturaliter agat quantum poteſt; tamen tota illa actio erit libere elicita à potentia. Aduerte, quod voluntas diuina, & ſi ratione potentiæ, ſeu in ratione efficientis, poſſit mouere pro quocunque ſtatu intellectum creatum, non tamen poteſt mouere in ratione obiecti naturalis, ſed liberi huius rei ratio eſt. Si voluntas diuina in ratione obiecti naturalis moueret. Tunc non libere moueret.

9. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 3. ad E. Entis tenens vniuocationem ſubſtantiæ, & accidenti, vt innuit etiam Q. 1. huius d. poteſt eis ſignare vnum obiectum

intellectus vnitate communitatis, quam vniuocationem aſſertiuè admittit. Oppoſitum huius habet Scotus lib. 1. d. 29. ad B. vbi ait. Ens eſt æquiuocum enti reali, & enti rationis. Hoc ſi eſt verum, quomodo poteſt aſſignari vnum obiectum commune omnibus intelligibilibus, vt docet Scotus d. 3. Q. 3. lib. 1.?

Lucas. Reſp. In via Scoti ſemper fuit problema, num ens ſit quid æquiuocum, vel vniuocum enti reali, & enti rationis, pro quo, & contra, hinc inde ſunt dicta Scoti pugnantia: de quo fortè dicemus lib. 1. d. 29. At in præſens, dubitatio accidit ſi teneatur altera pars problematis, nimirum ens eſt æquiuocum enti reali, & enti rationis: quomodo poteſt aſſignari vnum obiectum commune omnibus intelligibilibus? Dicendum. Ens ſi eſt vniuocũ (vt affirmat Niccolaus Bonetus) ceſſaret omnis difficultas. At tenendo æquiuocationem, quid eſſet dicendum? Franc. lib. 1. d. 3. Q. 2. negat entia rationis eſſe per ſe intelligibilia: ſicque in via ſua ſtat obiectum intellectus reſpectu omnium intelligibilium eſſe vnum. Verum, quod entia rationis non ſint per ſe intelligibilia eſt cõtra Scotum in logicis; ſunt enim intelligibilia per ſe, licet non primo. Nam per ſe. Vnius habitus, ſcilicet Logicę ſunt obiecta, diffiniuntur, diuiduntur, deſcribuntur; in eis fiunt demonſtrationes &c. Idcirco, omittatur iſte modus reſpondendi. Vigerius tenet ens eſſe æquiuocũ enti reali, & enti rationis; intentiones ſecundæ verè intelliguntur, & obiectum intellectus eſt vnum. Hæc implicat, vt patet manifeſtam contradictionem. Gabriel lib. 1. d. 3. Q. 8. dicit (tenens ens æquiuocum enti reali, & rationis) non eſt aſſignabile vnum obiectum adæquatum noſtri intellectus, quia ſecundæ intentiones ſunt verè intelligibiles. Scotus lib. 2. d. 24. dicit. Ens ſi eſt æquiuocum enti reali, & enti rationis non eſt aſſignandum tunc vnum obiectum adæquatum ipſi intellectui; & ſubdit. Propter perfectionem intellectus eſt, vt ipſe ad tot ſe extendat, quod nullum vnum obiectum habeat ſibi adæquatum, & vnius rationis. Dices. Diſtinctio obiectorum facit diſtinctionem potentiarum, ergo ſi multa obiecta correſpondent intellectui & nõ vnum, tunc intellectus non erit vna potentia. Reſp. Sco. ait. Obiecta diſtinguunt potentias, verum eſt de potentijs organicis, vel dic tu quod maior eſt vera de obiecto adæquato, non inadæquato, vt quolibet iſtorum &c. quæ non ſunt abſtractiuæ, at non verificatur de potentijs, quæ ſunt totius entis. Et nota, quod facile poſſumus tenere, vt ſit obiectum vnum intellectus motiuum. Nam rationes, & ſecundæ intentiones reducuntur, ad ens abſolutum, quod fundamentaliter mouet, & remotè, & ſi propinque, & formaliter. Sed, ſtante entis ęquiuocatione, impoſſibile eſt quod ſit vnum obiectum adæquatum intellectus terminatiuum. Huius rei ratio trahitur ad Doctore lib. 4. d. 10. Q. 9. & lib. 3. d. 15. & Franc. lib. 4. d. 11. Q. 2. Nam ratio obiecti terminatiui non poteſt ſupleri, at bene motiua ſupletur; idcircò ob hãc cauſam, vnum obiectum motiuum, ſed non terminatiuum.

10. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 3. Q. 3. ad F. dicit. Reſolutio compoſitorum ſtat vltimo ad ſimpliciter ſimplicia, ſcilicet ad actum vltimum, & potentiam vltimam. Ex quibus videtur, quod materia prima, & vltima forma ſint ſimpliciter ſimplicia. Oppoſitum huius habet Scotus lib. 1. d. 2. Q. 2. ad D. & d. 3. Q. 2. vbi vult. Conceptus ſimpliciter ſimplex eſt, qui non reſoluitur in priores conceptus quidditatiuos; ſed materia prima reſoluitur

ſoluitur in ens quidditatiuè; nam ſecundum Scotum, ens prædicatur in quid de ea, ergo non erit ſimpliciter ſimplex, idque dicatur de vltima forma compoſiti realis.

Lucas. Reſp. Duobus modis poteſt aliquid eſſe ſimpliciter ſimplex. Primo, quod non ſit compoſitum realiter ex re, & re, ſeu non includat realiter aliquid potentialitatis, vel aliquid actualitatis: & ſic materia prima dicitur ſimpliciter ſimplex à Scoto. Altero modo aliquid dicitur ſimpliciter ſimplex, quod non eſt compoſitum ex conceptu determinatiuo, & determinabili, & ſic materia prima non eſt ſimpliciter ſimplex: nam reſoluitur in conceptum quidditatiuum entis. Adde. Id dicitur propriè ſimpliciter ſimplex, quod eſt reſolubile in plures cóceptus eſſentiales, quorum vnus ſit eſſentialiter determinatiuus, & alter eſſentialiter determinabilis; & hoc modo materia prima eſt ſimpliciter ſimplex; quoniam & ſi includat ens quidditatiuè, vt conceptum determinabilem, tamen ille conceptus non contrahitur ad materiam primam per aliquem conceptum eſſentialem, ſed ſolum per aliquem modum intrinſecum: ſicque ſola ſpecies ſpecialiſſima, vel ſub alterna dicitur non ſimpliciter ſimplex, quia verè reſolubilis in plures conceptus eſſentiales determinatiuos, ſcilicet, & determinabiles.

11. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 3. Q. 3. ad G. dicit. Actus vltimus, & vltima forma ſunt primo diuerſa, dic tu, ſcilicet materia, & forma. Idque habet lib. 2 d. 12. Q. 1. Oppoſitum tamen huius habet Scotus eadem Q. 3. d. 3. 1. ad G. & d. 8. Q. 2. vbi dicit Ens prædicatur quidditatiuè de materia, & forma, quod non eſſet ſi eſſent primò diuerſa. Nam materia prima diffinitur ab Ariſt. 1. Phiſ. 82. & vltima forma, Anima nempe intellectiua diffinitur in lib. de anima.

Lucas. Reſp. Pro præſenti difficultate concilianda, multi dicendi modi occurrſit Prior eſt Franc. Lich. & Fratris Gratiani de Brixia ſic Concil. Materia prima, & forma vltima, dicuntur primo diuerſa ſubiectiue, quia non conueniunt in aliquo genere quidditatiue, tamen non ſunt, primo diuerſa obiectiuè: nam non diſtinguuntur ſe totis ſubiectiuè, quia conueniunt in ente quidditatiuè. Alter eſt. Mauritij in formalitatibus. dicentis. Sunt primo diuerſa quantum ad ſuos vltimos conceptus, ſeu quantum ad ſua vltima conſtituentia. At id certò nihil eſt. Nam proinde dicerem, quod homo, & aſinus ſunt ſic primo diuerſa. Tertius modus eſt. Primo ſunt diuerſa in realitate ſpecifica, quia non poſſunt eſſe eiuſdem ſpeciei, ſed non in conceptu quidditatiuo. Quartus eſt. Sunt primo diuerſa in realitate, at non in conceptu; ſic Ant. Tromb. in ſuis formalitatibus. Quintus eſt. Sunt primo diuerſa Phiſicè, ſeu natura, ideſt nihil actualitatis formalis includitur in materia, & nihil potentialitatis eſſentialis includitur in forma. At non ſunt primo diuerſa Meth. Vnde expende. Vltimus actus Phiſ. non eſt vltimus actus Methap. Nam forma eſſentialis vltimate aduenlens eſt vltimus actus Phiſ. ſed non Meth. quia vltimus actus Methaphiſicus eſt vltima differentia. Nota, quando dico, materia, & forma ſunt primo diuerſa phiſicè, veritatem tantum habet de prima materia, & de vltima forma, non de materiebus, & formis intermedijs, quia (referente Auer. 1. Phiſ. 1. & 82. & 2. Phiſ. 10. 1. cæ. 11. & 15. meth.) Quæ ſunt prẹter materiam primam, & vltimam formam, ſunt materiæ, & formæ compoſitæ. Hæc ſententia trahitur a Scoto lib. 2. d. 12. & lib. 1. d. 3. Q. 3. dices,

Id

Id ſtante, quomodo currit ſimilitudo Scoti in ſecunda ratione 3. Q. 3. d. lib. 1. ad probandum ens quidditatiue non includi in vltimis differẽtijs? Dico, Valet quo ad hoc, ſicut in compoſitione Phiſica, ſtat reſolutio ad ſimpliciter ſimplicia phiſicè, ita in compoſitione methaph. ſtat reſolutio ad primo diuerſa methaphiſicè.

12. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 3. Q. 3. ad F. Loquendo de actu vltimo, & de potentia vltima dicit. Nihil vnius includit aliquid alterius. Ex quibus verbis elicitur, quod materia prima nihil actualitatis includit. Oppoſitum huius habet Scotus lib. 2. d. 12. Q. 1. ad C. vbi ponit Materiam primã verè actum habere entitatis.

Lucas. Reſp. In via Scoti profectò materia prima habet actum entitatiuum, cõſequenterque includit entitatiuam actualitatem. Idque firmiter amplectendum eſt. Quando autem lib. 1. dicit, Materia prima nihil actualitatis includit, nõ loquitur ſimpliciter Scotus; at vult quod nihil actualitatis formalis includat,

13. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 3. Q. 3. ad G. dicit (loquens de ente) ſubiectum ponitur in diffinitione paſſionis, ſicut additum, & trahitur ab Ariſt. 7. meth. Oppoſitum huius apparet vbique in uia Scoti, nam paſſio entis cum ſit ſimpliciter ſimplex non habet diffinitionem.

Lucas. Reſp. Paſsio entis propriè non habet diffinitionem, ſed deſcriptionem, Sco. ſic accipit diffinitionem. Expende Auic. 1. meth. c. 2. dicit. Vnũ, & multa ſunt quaſi paſsiones entis, at quod eſt quaſi tale, non eſt tale, ergo non ſunt paſsiones. Dicas, quaſi, non capitur ab Auicen. diſtractiuè, ſed confirmatiuè, veluti capitur Ioan, 1. Vidimus gloram eius quaſi vnigeniti a patre.

14. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 3. Q. 3. ad I. dicit. Subſtantia non immutat immediatè intellectum noſtrum ad aliquam intellectionem ſui; ideſt, ſubſtantia pro ſtatu iſto non cognoſcitur, nec intuitiuè, nec abſtractiuè, ſed tantũ diſcurſiuè, & arguitiuè. Idque habet Scotus 2. Meth. Q. 3. & 7. Meth. Q. 3. & Ariſt. lib. de ſenſu, & ſenſato dicit. Nihil eſt in intellectu, quod non fuerit in ſenſu. At ſubſtantia non poteſt facere ſpeciem in ſenſu, cum non ſe profundat vſque ad ſubſtantiam, ergo, nec in intellectu facit ſpeciem ſui. Oppoſitum huius habet Ariſt. 3. de anima t. 18. dicens. Intellectus agens eſt omnia facere. Scotiſtæ exponunt, ideſt omnium ſpecies rerum abſtrahere.

Lucas. Reſp. Intellectus agens vere abſtrahit ſpecies omnium rerum virtualiter ſed non formaliter. At dices: itaque ſpecies accidentis virtualiter repręſentat ſubſtantiam, itaque continet eam virtualiter ineſſe cognito, quod non videtur verum. Reſp. Non pono, quod per ſpeciem accidentis cognoſcatur ſubſtantia, ita vt ſpecies illa repreſentare poſſit ſubſtantiam, nec virtualiter, nec formaliter; verum per ſpeciem accidẽtis cognoſcitur accidens, eoque cognito tunc diſcurſiue cognoſcitur ſubſtantia, & dũ ſubſtãtia cognoſcitur, ſpecies accidentis tunc non amplius deſeruit. Inſtabis Scotus lib. 2. d. 3. Q. 11. ait. Subſtantia facit ſpeciem in intellectu angelico, cur ergo non facit eam in intellectu noſtro? Reſp. intellectus noſter eſt coniunctus, ideo non eſt paſsiuũ ſic diſpoſitũm ad immutari: ex natura vero potentiæ poteſt eam recipere. Dices amplius Ariſt. 7. Meth. 13. ait, ſubſtantia diffinitur quidditatiuè, & ſine additamento, ergo cognoſcitur quidditatiuè, ergo per propriam ſpeciem. Nego hanc vltimam conſequentiam. Nam poſt-

quam

quam ex cognitione accidentis cognoſcitur ſubſtantia in conceptu cõmuni; intellectus diſcurſiuè quærit propria virtute prædicata quidditatiua ſubſtantię, ſubſtantia prius particulari confusè cognita. Et ſi à quopiam dicatur. Subſtantia eſt in ſenſu, ſic exponatur, Quantum ad conceptus communes, ſed non quantum ad conceptus proprios. vel eſt in ſenſu originatiuè, ſeu remotè.

15. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 3. Q. 3. ad I. dicit. Omne per ſe intelligibile, aut includit in ſe eſſentialiter rationem entis, vel continetur virtualiter, vel eſſentialiter in includente eſſentialiter rationem entis. Oppoſitum huius apparet de entibus rationis, ſiue ſecundis intentionibus: quæ non ſunt ens quidditatiuè per Scotum nec continetur eſſentialiter in aliquo includente ens quidditatiue, nec etiam virtualiter, quia ſic eſſent ex natura rei, & tamen ſecundæ intentiones ex doctrina Scoti ſunt intelligibiles.

Lucas. Reſp. In doctrina Scoti entia rationis ſunt per ſe intelligibilia. At lis eſt, quomodo intelligantur. Quidam dicunt: ſunt tãtum intelligibilia per accidens. Hoc nihil eſt. Nam id, quod non eſt per ſe intelligibile, nõ eſt per ſe ſcibile: modò ſecũdę intentiones ſunt per ſe ſcibiles, cum per ſe a logico conſiderentur. Dico igitur ſecundas intentiones eſſe per ſe intelligibiles. Et concedo, omne per ſe intelligibile, vel eſt ens quidditatiue, vel eſſentialiter, aut virtualiter includitur in aliquo includente ens quidditatiue: at relationes rationis, ſcilicet ſecundæ intentiones virtualiter continentur in ſuo fundamento, & termino; ſicque cognitio earum partialis àb eiſdem cauſatur. Dices. Quæpiam ſecunda intentio in prædicamento fundatur relationis, & ad aliquid terminatur in eodem pręd icamento, vt ſecunda intentio ſit ſpecies fundatur in paternitate, & terminatur ad indiuidua paternitatis. Quomodo ergo, relatio realis, ſcilicet paternitas ſi ſui cognitionem haud cauſare poteſt, cognitionem alterius poterit cauſare? Reſp. Ab eodem fundamento à quo partialiter cognitio paternitatis, poteſt partialiter cauſari cognitio ſecundæ intentionis, fundatæ in eo. Si quęras. Per ſe intelligibilitas eſt paſſio entis realis, ergo non poteſt competere entis rationis. Si per ſe tantum competat enti rationis, ergo entia realia non ſunt per ſe intelligibilia. Reſp. Suſtinendo ęquiuocationem entis ad reale, & rationis. Ex quo primum obiectum intellectus motiuum non poteſt eſſe niſi ens reale, & per ſe intelligibile in ratione obiecti motiui, tantum competit enti reali: ſicque omne per ſe intelligibile, vel eſt quidditatiue ens reale, vel eſſentialiter, vel virtualiter continetur in aliquo includente quidditatiue ens reale. Et dum quæritur, an ens rationis ſit per ſe intelligibile. Sic profectò. Et ſi inferatur. Omne per ſe intelligibile continetur ſub obiecto adęquato intellectus; ens autem rationis non continetur. Nam ens reale non prædicatur de ente rationis. Reſp. Tribus modis percipi valet aliquid contineri ſub obiecto adæquato alicuius potentiæ. Primo, quidditatiuè, ideſt recipiendo eius prædicationem in quid, vt patet de generibus, & ſpeciebus, de quibus ens prædicatur in quid. Secundo; tantum ſub prædicato vniuoco recipiendo pręd icationem illius, quaſi denominatiuam; ſic dicitur ens de vltimis differentijs, & de ſuis paſſionibus. Tertio, quia virtualiter continetur in aliquo, quod continetur quidditatiue ſub obiecto adæquato; hoc tertio modo ens rationis continetur ſub ente reali nõ quod

reci-

recipiat prædicationem entis realis, at quia ponitur in aliquo ente reali, quod poteſt cauſare cognitionem illius. Dum quæris de per ſe intelligibilitate. Dico, accipiendo intelligibilitatẽ pro ſignificato potiori, eſt paſſio entis realis. Sicut quando abſolutè loquimur de ente, intelligimus ens reale, & huiuſmodi intelligibilitas rationis non eſt paſſio entis realis. Dices. Si non prædicatur de ente rationis, ergo non eſt per ſe intelligibile. Dico, ex quo ens rationis habet eſſe tantum ſecundum quid, abſolutè ſibi repugnat habere eſſe ſimpliciter; ideo per ſe intelligibilitas conpetit ſibi ſecundum quid. Nam intelligibilitas ſequitur entitatem cuius eſt. Quęres amplius. Si dantur duæ per ſe intelligibilitates, vna entis realis, alia rationis, ergo non erit vnum obiectum adæquatum ſub vna ratione formali. Reſp. Si loquatur de obiecto adæquato ſimpliciter, eſt tantum vnus, ſcilicet ens reale, & tunc illud, quod eſt ſecundum quid reducitur ad illud, quod eſt ſimpliciter, & primo tale. Rurſus dico, eſt tantum vnum obiectum adęquatum ſecundum vnam rationem formalem, illudque eſt conceptus entis realis. Ens vero rationis, licet habeat actu per ſe intelligibilitatem ſecundum quid, & rationem formalem obiecti ſecundum quid, quia tamẽ virtualiter in aliquo ente reali includente ſimpliciter conceptum entis in quid; Idcircò ponimus ens rationis contineri ſub obiecto adæquato noſtri intellectus; & breuius nota. Omne ens rationis ſub adæquato obiecto noſtri intellectus continetur reductiuè: eo modo quo Sco. dicit in Prædicam. Omnis relatio rationis eſt tantum in prædicamento reductiuè. Dices. Ens rationis, vt ſic, habet eſſe per accidens, cum nihil per accidens pertineat ad artem, ergo de ente rationis non poterit eſſe ſcientia. Reſp. quære.

16. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 3. Q. 3. ad L. dicit, citans Ariſt. 9. Methaph. t. vlt. Circa ſimpliciter ſimplicia non cadit error. Oppoſitum huius habet Ariſt. & falsò videtur citari à Scoto, nam ſic dicit. Circa extrema propoſitionum (quę ipſe appellat ſimplicia) non eſt veritas, nec falſitas, nec eſt veritas, nec falſitas circa ſubſtantias immateriales, in eiſque non eſt deceptio, & non dicit. Circa ſimpliciter ſimplicia non eſt error.

Lucas. Reſp. Id quod ait Scotus, habetur ab Ariſt. ſi non formaliter, ſaltem elicitiuè. Nam ſi in extremum propoſitionis, quod poteſt eſſe compoſitum, ſimiliter circa ſubſtantias abſtractas, quæ non ſunt ſimpliciter ſimplices non poteſt cadere error per regulam topicam. Si de quo magis videtur ineſſe, & non ineſt, ergo nec de quo minus.

17. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 3. Q. 3. ad E dicit. Ens non includit quidditatiuè differentias. Oppoſitum huius patet hic ad O. vbi vult differentias quidditatiuè includi in ente.

Lucas. Reſp. Differentia capitur dupliciter; primo quando ſumitur à parte eſſentiali vltima, & ab ultima realitate. De his, cum ſint primo diuerſa, & ſimpliciter ſimplicia, ens non prædicatur in quid, nec includit ens eſſentialiter eas. Secundo, capitur differentia à re, vt rationale ab anima intellectiua, & huiuſmodi differentia includit ens quidditatiuè, veluti includit partem eſſentialem, a qua ſumitur talis differentia. Dices. Si rationale includit ens quidditatiuè, & quęuis alia differentia conſimilis, quæ ſcilicet ſumitur à parte eſſentiali, non ab eius vltima realitate, ergo addendo talem differentiam generi, vt animali ratio-

rationale, erit nugatio, eo quod, ens bis dicetur. Reſp. Quære.

18. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 3. Q. 3. ad O. tenet quod ens prædicetur in quid de rationali. Oppoſitum huius habet eademquæſtione propè Q. vbi ſic dicit. Nam in animali includitur ens quidditatiuè, & in rationali denominatiuè.

Lucas. Reſp. Rationale bifariam ſumitur, actualiter, & aptitudinaliter, primo modo includit intellectũ, & voluntatẽ, & includit ſic quidditatiuè ens. Altero modo ſumitur ab vltima realitate, & non includit ens in quid. Quando Sco. ait. Rationale includere ens quidditatiuè, verum eſt primo modo, dum verò dicit, non includere, verum eſt ſecundo modo. Dices. Scotus eademmet Q. ait. Ens includitur dènominatiuè in rationali ſecundo modo. Dico, verum eſt; ſed Sco. ſic intelligit quod ens ſit in rationali denominatiuè, non inquantum rationale comparatur ad ens, at in quantum rationale comparatur ad animal, ideſt ſicut rationale denominat animal, ita, & ens incluſum in rationali denominat animal. Quoniam animal, & rationale ſunt duo extrema inferiora ſe denominantia, & ens particulariter ſumptũ illis commune, denominat ſe ipſum ſine nugatione, veluti, animal rationale, rationale denominat animal; ens particularizatum ſic aliquod ens eſt entale, ſine nugatione denominat ſe ipſum. Quæres. Quare nugatio eſt, animal rationalitas, & non animal rationale? Reſp. quia ens incluſum in partibus concipitur ſub diuerſis modis. Nam in animali concipitur per modum materiæ, & in rational i per modum formæ, ratione concretionis, ſic non eſt dicendo, animal rationalitas. Amplius quæres. Quare dicit Scotus ens eſt entale, & nõ dicit ens eſt ens? Reſp. Dum dicit ens eſt ens, eſt quidditatiua, & dicendo ens eſt entale importat formam ſuam denominatiuam; ita quod ens in ſubiecto ſit ſuperius ad animal, & entale in prædicato ſit ſuperius ad rationale: nec eſt nugatio, dicendo ens eſt entale, quia extrema propoſitionis habent diuerſos modos ſignificandi, pęnes quos ſumitur alteritas extremorum.

19. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 3. Q. 3. ad R. tenet, quod accidentia (inducens dictum Ariſt. 7. Metaph. t. 16.) habent diffinitionem, ſicut ſubſtantiæ, ſed non primo, & Auer. 7. Methaph. c. 18. addit. Accidentia propria habent diffinitionem ſimpliciter. Oppoſitum huius habet Ariſt. 7. Methaph. t. 11. & 13. vbi dicit. Illa ſolum eſt diffinitio, quæ eſt ex prædicatis per ſe primi modi, ergo videtur, quod accidentia non habeant ſimpliciter diffinitionem. Et Auer. lib. & com. iam citato, ſubdit. Accidens commune, vt albedo diffinitionem non habet.

Lucas. Reſp. Auer, nult Accidens commune habere diffinitionem ratione neceſſarię, & eſſentialis habitudinis ad determinatum ſubiectum, veluti habent accidentia propria, Vel talia communia accidentia comparantur ſubiecto eſſentiali, quod primo conſequuntur, & ſic ſimpliciter diffiniuntur. Aut comparantur ſubiecto accidentali, cui per accidens attribuuntur, ſicque non diffiniuntur, vt ait Auer. Ad illud Ariſt. Diffinitio eſt, quæ eſt ex prædicatis primi modi. Dico in diffinitione accidentis ponuntur prædicata primi modi, non ſolum illa, ſed ponitur etiam ſubiectum, vt additum. Itaque habent diffinitionem ſimpliciter. Nam accidentia ſunt ſimpliciter entia, in quantum ratio entis participatur à decem prædicamentis, ſeclusis contractiuis.

20. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 3. Q. 3. ad R. exponens dictum Ariſt. 1. Phiſ. arguentis contra Parmen. & Meliſ. Cuius principium eſt. Ens multipliciter dicitur. Exponit, ideſt non æquiuocè, ſed multipliciter, ſcilicet de multis, ad inquirendum, de quo intelligant, &c. Oppoſitum huius declarat Ariſt. 1. Phiſ. t. 25. vbi ait. Ratio Parmen. eſt mala, quia non concludit, & quia capit id dici ſimpliciter, quod tamen dicitur multipliciter, & Com. in com. inquit. Vtitur iſto nomine ens, ita quod dicitur de vna intentione, ſed tamen dictum eſt de pluribus. Vult igitur. Ariſt. ac omnes expoſitores ibi rationem Parmen. æquiuocatione peccare huius nominis, ens, & vnum, ergo ens eſt æquiuocum.

Lucas. Reſp. Aliud eſt cōparare aliqua inferiora ad ſuum ſuperius, & aliud eſt comparare ſuperius, & inferiora ad tertium, quod prædicatur de illo ſuperiori, & inferioribus, his ſtantibus dico. Omnia entia realia vniuocantur in hoc nomine, ens, vt ſic: ens particulare eſt ens, & ens in cōmuni eſt ens. Hoc nomen, ens, quod prædicatur de ente traſcendente, ac de particularibus entibus, eſt æquiuocum. Idcirco Parm. æquiuocabat, capiendo ens in communi pro ente particulari: nam ens in communi, & particulare æquiuocantur in hoc nomine, ens. Iſtaque eſt intentio Ariſt. expreſſa 7. Meth. 34. vbi vult. Circulum dici æquiuocè de circulo in communi, & de circulo in particulari. Scotus ibidem ait in editione literæ. Hoc nomen, homo, dicitur æquiuocè de ſpecie, & de indiuiduo. Idque firmatur 1. Meth. 28. & 7. Meth. 48. ab Ariſt. dicente. Homini particulari, & homini ſpecifico, non datur tertius homo alius ab iſtis; quia tunc daretur proceſſus in infinitum. Si quæuis igitur ſit communitas, eſt tantum communitas vocis, & ſic æquiuocatio.

21. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 3. Q. 3. His viſis, ad A. dicit. Verum paſſio entis per ſe prædicatur de hoc vero, & illo, & ſi non de hoc ente, & de illo ente. Oppoſitum huius habet Scotus lib. 1. d. 3. Q. 3. ad E. vbi vult, quod ſimpliciter ſimplicia non poſſunt prædicari formaliter quidditatiuè de aliquibus, & lib. 4. d. 12. Q. 3. dicit. Differentia ſuperior non prædicatur de inferiori: nam tunc differentia ſuperior eſſet genus, & inferior ſpecies.

Lucas. Reſp. In via Scoti firmiter aſſerendum eſt paſſionem entis, ſcilicet, verum non prædicari per ſe de hoc, & de illo vero. Vigerius ſic reſp. Scoto loco iam citato. Paſſio entis, ſcilicet, verum non prædicatur quidditatiuè, vt paſſio, ſed benè, vt ſpecies: & admittit huiuſmodi cōbinationes tanquam quidditatiuas. Hæc riſibilitas eſt riſibilitas. Hæc veritas eſt veritas: & addit. Veritas eſt ſpecies prędicabilis, & non ſpecies ſubijcibilis. Non puto id in via Scoti poſſe ſtare: nam Scotus 7. Meth. Q. 17. vult, quod differentia ſuperior vltima non poſſit prædicari per ſe de inferiori vltima, quia tunc differentiæ vltimæ eſſent differentes, & non primo diuerſæ. Sic de paſſionibus dicendum eſt. Dices. Scotus Q. vlt. Vniuerſalium in fine dicit. Riſibilitas eſt ſpecies prædicabilis, ſed non ſpecies ſubijcibilis, idque dicebat Viger. Reſp. Ibi Maur. Scotus loquitur ſamosè: vel riſibilitas eſt ſpecies prædicabilis methaphoricè. Dices adhuc Scotus 19. Vniuerſ. concedit, quod differentia ſuperior eſt genus, & reſpectu differentiæ inferioris prædicatur per ſe. Maur. ibidem ait. Scotum loqui ſecundum communem opinionem dicentem. Differentia ſuperior in quid prædicatur de dif-

ferentia

ferentia inferiori. Inſtabis. Scotus 15. & 16. Vniuerſ. videtur admittere differētiam ſuperiorem prædicari per ſe de inferiori. Reſp. Maur. quod Scotus ibi locutus eſt, vt plures. At, quid ad Scotum d. 3. primi Q. 3.? Reſp. Scotus ibi arguit contra Egidium, qui volebat differentiam ſuperiorem per ſe prædicari de inferiori: & ex dictis eius ait. Verum per ſe prædicatur de hoc, & de illo vero. Etiam, admiſſo, quod verum prædicetur per ſe de hoc, & de illo vero: non ex hoc trahitur, quod poſſit prædicari de entibus per ſe. Nam verum non poteſt quidditatiuè prædicari, & reſpectu entium non habet communitatem per ſe, nec habet reſpectu eorum primitatem virtutis, & ſic non poteſt eſſe ſubiectum adæquatum.

22. *Iacobus*. Scotus lib. 1. d. 3. Q. 3. His viſis, ad A. dicit. Verum, quod eſt paſſio entis, eſt prædicatum per accidens. Oppoſitum habet d. 3. Q. 3. lib. 1. ad G. vbi vult inducendo Ariſt. 1. Poſter. paſſionem prædicari per ſe ſecundo modo de ſubiecto.

Lucas. Reſp. Quando Scotus dicit. Paſſio prædicatur per accidens, ſenſus eſt, non eſt per ſe primi modi, aut quidditiua propoſitio; & ſic ſtat, hęc eſt per accidens. Homo eſt riſibilis, ideſt extra eſſentiam ſubiecti.

23. *Iacobus*. Scotus lib. 1. d. 3. Q. 3. His viſis, ad B. dicit. Voluntas non poteſt habere actum circa ignotum: nam ait Aug. Voluntas non fertur niſi in præcognitum 15. de Trin. cap. 27. Idque conceditur ab omnibus. Oppoſitum huius habet Scotus lib. 2. d. 42. Q. 1. ad M. vbi dicit. Prima cogitatio non eſt in poteſtate voluntatis, &c. Et addit. Voluntas poteſt ferri in non cognitum.

Lucas. Reſp. Scotus quando cum P. Aug. ait. Voluntas non it niſi in cognitum, verum eſt reſpectu cuiuſcunque obiecti; at non eſt verum de omni actu elicito, quia poteſt eſſe aliquis actus in voluntate, qui tamen nunquam fuit cognitus. Et verba Scoti in 2. (loco citato) ſunt iſta. Ad 3. dico, quod non ſequitur. Cogitatio non eſt prius cognita, ergo, nec volita; nam ſufficit, quod actus cogitationis ſit pręſens in ratione actus non in ratione obiecti cōſiderati; nec rectè, nec reflexè ad hoc, quod volūtas velit illam, & cōplaceat ſibi in illa. Vnde ad hoc, quod aliquid ſit volitū, ſufficit eius cogitationē actualiter intellectui inhęrere. Hęc Scotus.

24. *Iacobus*. Scotus lib. 1. d. 3. Q. 3. His viſis, ad C. (Coordinationem potentiarum declarans) dicit. Potentię diſparatæ habent omnino obiecta diſparata; quia nulla earum, ex quo ſunt diſparatæ, eſt per ſe operatiua circa obiectum alterius, tales ſunt ſenſus exteriores, viſus, auditus, &c. Oppoſitum huius habet Scotus Q. 1. Prol. & vbique; nam ſenſibile commune ſentitur à pluribus potentijs particularibus.

Lucas. Reſp. Guſtus eſt quidam tactus ex Ariſt. 2. de anima, t. 101. 102. & 103, Quæres igitur. Quomodo ſunt quinque ſenſus exteriores? Ariſt. tamen 2. de anima, t. 128. docet quinque fore ſenſus. Dico autem hos, Viſus, auditus, &c. Ex his credet aliquis. Hæc Ariſt. Reſp. Guſtus duobus modis accipitur. Primo modo pro ſenſu alimenti. Secundo modo pro ſenſu diſcretiuo ſaporum, ſi primo modo capiatur, reperitur guſtus in quolibet animali, ſicque eſt idem realiter cum tactu; non tamen conuertitur cum eo. Nam non quilibet tactus eſt guſtus, ſed ſolum tactus partis deputatæ ad diſcernendum nutrimentum, conueniens, vel non conueniens. Si verò capiatur guſtus pro illo qui iudicat de ſaporibus, tale non inuenitur in quolibet animali, ſed ſolum in ani-

mali perfectò. Et hic differt ſpecificè, & formaliter à tactu. Poteſt tamen dici quidam tactus tribus de cauſis. Prior eſt, quia ſentit tangendo, ſicut tactus. Altera eſt, quia guſtabile eſt quoddam tangibile materialiter, quoniam ſapor qui eſt obiectum guſtabile, eſt in humido, vt in ſubiecto, quod eſt quoddam guſtabile. Tertia eſt, quia guſtus eſt quidam tactus materialiter, eſt enim in tactu linguæ, vt in ſubiecto, & fundamento. Vnde guſtus ſecundo modo ſumptus, non eſt quidam tactus formaliter, at denominatiuè ex cauſis iam datis dicitur tantum tactus.

25.*Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 3. Q. 3. His viſis ad E. concludit. Ens in quantum ens ſecundum rationem ſuam communiſſimam fore primum obiectum intellectus, ex quo ſequitur quodlibet contentum ſub ente naturaliter moueat intellectum. Oppoſitum huius habet Scotus 14. Quol. ad P. vbi ſic ait. Eſſentia diuina eſt motiua immediate ſui intellectus, ſed non intellectus creati, quia intellectus diuinus eſt primum mobile omnino, & ideo primum mouetur à prima forma motiua, quia non poteſt immediate mouere; niſi primo modo motionis, ſcilicet immediate. Hęc Scotus.

Lucas. Reſp. In via Scoti hæc quæ ſubiungam, ſunt vera. Ens, vt ens includens finitum, & infinitum, eſt obiectum adequatum potentię inclinationis. Ens includens ens limitatum, eſt obiectum adæquatum intellectus, vt intellectus. Quidditas rei ſenſibilis eſt obiectum adæquatum intellectus pro ſtatu iſto. His prælibatis. Scotus dum ponit ens ſecundum rationem communiſſimam, obiectum adæquatum intellectus, id ponit ſecundum ſenſum concluſionis. Secundo. Ex quo non ſequitur Deum poſſe intelligi naturaliter. Dices. Si ens limitatum ſub ſua ratione communiſſima ſit obiectum adæquatum intellectus noſtri ex natura potentiæ ſub ratione motiui, ergo quodlibet ens limitatum per ſe intelligibile poterit mouere intellectum. Sicque relationes, entia rationis, ſecundæ intentiones mouerent intellectum, quod non eſt dicendum. Reſp. Quære, vel da diſtinctionem de obiecto motiuo, & terminatiuo.

26.*Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 3. Q. 3. His viſis ad F. dicit. Intellectui pro ſtatu iſto adæquatur in ratione motiui quidditas rei ſenſibilis. Et ideo pro ſtatu iſto, non naturaliter intelliget alia, quę non continentur ſub illo primo motiuo. Oppoſitum huius habet Scotus lib. 4. d. 49. Q. 8. ad E. vbi dicit. Intellectus coniunctus videt intuitiue actus ſuos interiores: aliter non ſciremus de actibus noſtris. An nobis certitudinaliter inſint. At actus iſti non continentur ſub quidditate ſenſibili, ergo, &c.

Lucas. Reſp. Scotus in primo loquitur quando ponit quidditatem ſenſibilē obiectum intellectus de obiecto motiuo: actus verò interiores, de quibus in 4. loquitur, tantummodo terminant actum intellectus. Etiam, obiectum motiuum bifariam conſideratur, motiuè immediatè, ſed non primo. Quidditas rei ſenſibilis eſt obiectum motiuum immediatum & primum; actus verò illi interiores ſunt obiectum motiuum mediatum, at primum. Hæc reſp. eſt Scoti lib. 1. d. 3. Q. 1. in ſol. 1. argum. princ.

27.*Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 3. Q. 3. His viſis ad G. tenet, & fortè elicit ex Ariſt. dicẽte lib. de ſenſu, & ſenſato. Nihil omnino intelligimus, niſi quod ſenſu percipimus, pro ſtatu iſto, quod intelligimus, ex ſenſibilibus intelligimus:

ligimus: hic ordo eſt ſimpliciter neceſſarius. Idque Scotus lib. 2. d.3 Q. 8. ſol. 1. & 14. Quol. affirmat. Oppoſitum huius habet Scotus lib. 2. d. 11. vbi vult, quod ordo intelligendi non eſt ſimpliciter neceſſarius pro ſtatu iſto.

Lucas. Reſp. Quod tantum ex ſenſibilibus in præſens intelligamus non eſt ex ratione potentiæ, quia tunc anima ſeparata neceſſariò ſic intelligeret, nec quod anima ſit vnita corpori, quia à reſurrectione anima neceſſariò intelligeret ſic; nec ex eo, quod anima vnitur corpori mortali, quia in ſtatu innocentiæ homines habebant corpora mortalia; tamen ſi ſtetiſſent non fuiſſent reſtricti ad hunc ſolum modum intelligendi. Quid ergo? Phil. purus diceret, eſt ex ordine potentiarum, & iſte ſimpliciter eſt neceſſarius. Teologus purus Reſp. ſic. Eſt ex mera voluntate Dei, ſiue ex mera iuſtitia punitiua, ſiue ex infirmitate, quam cauſat. Aug. 15. de Trin. cap. vlt, alloquens animam ſic ait. Quæ cauſa, cur, ipſam lucem, acie fixa, videre non poſſis, niſi vtique infirmitas? Et quis eam tibi fecit, niſi vtique iniquitas? At Theol. Philoſ. ſic reſp. Eſt ex culpa, & ex ordine ſimul potentiarum, ac ex Deo ſic volente punire, ſicut dicit Scotus lib. 2. d, 19. Quod mors prouenit ex peccato, & ex conditione naturæ. Sicque ordo iſte ſimpliciter eſt neceſſarius pro ſtatu iſto reſpectu cuiuſcunque creaturæ; non autem eſt neceſſarius reſpectu Dei, vt dicit Scotus lib. 2. d. 11. Nam ordo neceſſarius reſpectu cauſæ inferioris, non eſt neceſſarius reſpectu cauſæ ſuperioris, vt docet Scotus lib. 2. d. 2. Q. vult. & lib. 4. d: 11. Q. 3. & d. 12. Q. 1. & 3.

28 *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 3. Q. 3. His viſis ad H. Duabus rationibus probat lumen glorię non eſſe ſimpliciter neceſſarium. Idque habet copioſius lib. 3. d. 14. Q. 2. in princ. Oppoſitum huius habet Clementina. Ad noſtrum de hereticis, vbi expreſſe damnantur dicentes, Animam non indigere lumine gloriæ eleuante ipſam ad videndum Deum.

Lucas. Reſp. In via Scoti, vt ſuperius diximus, firmiter eſt tenendum lumen gloriæ eſſe neceſſarium; Ad illud Clementinę tribus modis occuritur. Quia non loquitur de lumine creato, vt patet in teſtu illo, vbi ſic dicit. Quinto quod intellectualis quęlibet natura in ſe ipſa eſt naturaliter beata, quodq; anima non indiget lumine glorię ipſam eleuante ad videndum Deum, & eo beatè fruendum. Hæc ibi. Vult igitur Clem. illa, quod intellectus creatus non poſſit ex puris naturalibus beatificari in Deitate, & bene dicit. Nam nullus relictus in ſuis naturalibus poteſt Deum videre. Ad viſionem requiritur pręſentia obiecti. Idcirco ſi Deus voluntariè, non ſe præſentem faceret intellectui beato non beatificabitur. Alter eſt. De lumine glorię poteſt loqui de facto, & de poſſibili. Scotus de facto, & de poteutia Dei ordinata non negat lumē gloriæ, imo admittit id lib. 4. d, 49. & ſic nullus intellectus creatus poteſt videre Deum ſine tali lumine gloriæ, ſicque intelligitur Clem. De poſſibili autem, & de potentia Dei abſoluta, non dicit illa Clem. quod ſit ſimpliciter impoſſibile intellectui creato videre Eſſentiam diuinam ſine tali lumine. Deus enim (ſi vellet) abſolutè poſſet ſe oſtendere intellectui creato abſque tali lumine infuſo, & ita loquitur Scotus tale lumen de neceſſitate non requiri, quaſi ſit nimirum impoſſibile ſimpliciter, vt Deus videatur ſine tali lumine. Tertius eſt. In Clem. non accipitur tale lumen creatum, quo mediante poſſit videri. At vult viſionem

ſionem talem eſſe ex gratia Dei, non ex puris naturalibus vt exponit Gloſa dicens. Non intelligere, inquit, quaſi hoc poſſit ſua naturali virtute. Hoc expreſſe eſt hereticum, & reprobatum. De Conſec. d. 4. cap. vlt. & ibi ſoluitur, quod opponitur de libertate arbitrij, & eſt cōtra doctrinam Apoſtoli ad Rom. c. 6. Gratia Dei vita æterna, ideſt beatitudo perfecta. Huius ratio eſt, quia illud quod eſt proprium ſuperioris naturæ, non poteſt natura inferior, niſi per rationem ſuperioris naturæ, cuius illud eſt proprium; ſicut nec aqua poteſt fieri calida, niſi per actionem ignis. Videre autem per Eſſentiam, in quo perfecta beatitudo conſiſtit, ſoli Deo eſt proprium. Nulla igitur natura intellectualis poteſt Deum per eſſentiam videre, niſi Deo hoc faciente. Propter quod Ioa. cap. 14. qui diligit me, diligetur à patre meo, & ego diligam eum, & manifeſtabo ei me ipſum. Hæc gloſa. Hiſce, clarius ſole, liquet, Sco. nedum ſuſtentabilem, & valde imitabilem eſſe, cuius doctrina ita ſingularis eſt, vt in nullis aliquando reprobata extiterit, nec ſecundum rationem reprobari poteſt. Etiam nota, quod Scotus huius opinionis non fuit ſolus, at quam plurimi adhuc alij. Durandus, potiſſimum, Ord. Præd. id probat ſic. Lumen glorię ponitur propter excellentiam obiecti ſuper intellectum creatum, ergo fruſtra. Probatur conſequentia; quia obiectum in infinitum excedit non ſolū intellectum creatum ſecundum ſe, ſed etiam cum tali lumine, & cōſequenter lumen tale non reddit intellectū de improportionato proportionatum. Secundo, quia, quicquid ſit, Thom. in 4. d. 49. tenet quod viſio Dei poteſt communicari homini in ſolis diſpoſitionibus vię ergo non exigitur lumen glorię, quod eſt propria diſpoſitio potentiæ. Hæc Durandus in Summa.

29. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 3. Q. 3. His viſis ad I. dicit. Perfectiſſimum non ſemper eſt cauſa, reſpectu imperfectorum, eſſendi in eodem genere comparādo imperfecta ad quodcunque tertium. Oppoſitum huius habet Ariſt. 2. Meth. t. 4. vbi dicit, quod eſt maximè tale eſt cauſa, vt alia ſint talia, vt ignis, quia caldiſſimus eſt, cauſa eſt caloris in alijs.

Lucas. Reſp. Eſſentia Diuina intellectui diuino eſt obiectum adæquatum, non non autem intellectui creato. Huius ratio eſt. Nam entia creata abſoluta, reſpectu intellectus noſtri, habent propriam motionem, non ſic autem reſpectu intellectus diuini. Ex hoc ſequitur, quod ſi Deus ſit cauſa, quantum ad eſſe primum omnium rerum, non ob id eſt cauſa actuū ſecundorum illorum entium, niſi ſecundum influxum generalem, iuxta illud Aug. Deus res, quas condidit, ſic adminiſtrat, &c. Ad Ariſt. autem dicentem. Quod eſt maximè tale eſt cauſa, vt alia ſint, vel poteſt intelligi effectiuè, vel menſuratiuè, primo modo non intelligitur dictum Ariſt. Nam ignis non eſt cauſa omnium calidorum: poteſt enim quis calefieri motu, aut alio modo; menſuratiuè verò habet veritatem.

30. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 3. Q. 3. His viſis ad I. dicit, proponens dictum Aug. 8. de Trin. cap. 3. In quolibet intentiones vniuerſalium facilius occurrunt, & primo. Oppoſitum huius habet Scotus lib. 1. d. 3. Q. 2. ad L. vbi vult, quod primum actualiter cognitum eſt ſpecies ſpecialiſſima, cuius ſingulare efficacius, & fortius mouet ſenſum.

Lucas. Reſp. Scotus quando dicit. Intentiones vniuerſalium occurrunt primo, verum eſt inferendo tales intentiones vniuerſales ad ſingularia, admiſſo

ſo, & conceſſo, quod ſingulare per ſe non cognoſcatur pro ſtatu iſto. Aut verificatur de his, quæ ex accidentibus communibus concipiuntur à nobis. Vel debet intelligi de cognitione diſtincta, & non de confuſa. Adde quarto. Sunt notiora vniuerſaliora, vt ſunt quædam tota reſpectu partium ſubiectiuarum, cognitione confuſa, non autem vt ſunt partes; nam ſic ſunt poſterius nota. Species autem ſpecialisſima cum ſit totum, reſpectu partium eſſentialium, eſt primum cognitum cognitione confuſa. Idque trahitur ex Ariſt 1. Phiſ. t. 3. & 4. ſi rectè ponderentur. Dices, quomodo cognoſcitur Deus in conceptibus communibus ſibi, & creaturis? Dico conceptus communes ſeorſum ſumpti conueniunt Deo, & creaturis; vt Deus eſt ens, Creatura eſt ens, Deus eſt ſummus, Creatura eſt ſumma. Si autem conceptus illi concipiantur ſimul, ſoli Deo competit, vt ſummum ens, actus ſūmus &c. Dices adhuc. Perſpicere Deum in conceptu bonitatis communi, ei poteris inhærere, continuoque beatificari, at beatitudo non eſt in bono vniuerſali. Reſp. Quęre. Expende. In extra, quod ponitur in calce d. 3. Q. 3. lib. 1. ponuntur illa verba. Tertio, appetitiua ſingularis, vt ſingularis tantum, non habet cognitionem vniuerſalium propriam ſibi. Hæc verba debent adimi, quia nec ſunt de litera Scoti, nec de litera illius extra. Nam non poſſunt aplicari cum litera præcedente, nec cum ſequente; & ſunt ex oppoſito, vbi contra doctr. Scoti lib. 1. d. 2. & d. 6. & 1. Methap. Q. 4. & lib. 3. d. 15. 17. & 33. & lib. 1. d. 1. Q. 5. quibus in locis habet. Cuicunque appetitiuæ correſpondet ſua cognitiua, & econtra.

Tertia diſt. Quæſt. quarta lib. primi.

9\. *Iacobus.* SCOTVS lib. 1. d. 3. Q. 4, circa principium tenet, quod. Ex ſpecie cauſata inherente, & ex ſpecie illabente, non ſequitur. (quicquid dicat Henr.) Notitia, ſeù concluſio certa. Oppoſitum huius habet 14. Quol. ad G. & lib. 3. d. 23. vult, quod actus credendi, ſit à fide infuſa, & acquiſita, igitur actus ille nunquam erit certus cum dependeat à fide acquiſita, quę eſt fallibilis.

Lucas. Reſp. Et præmitto reſp. Franc. a Lich. Ille enim reſp. negando conſequẽtiam, ideſt ſimilitudinem. Nam quamuis cum fide infuſa concurrat fides acquiſita, vt ad eundem actum ſimul inclinet; nunquam tamen certitudo actus habetur à fide acquiſita, vt talis eſt, ſed tantum à fide infuſa, cui nunquam poteſt ſubeſſe actus falſus. Fidei verò acquiſitę, quatenus ex ſe, poteſt ſubeſſe actus falſus. Si itaque certitudo actus fidei dependeret ab vtraque fide, argumentum tunc concluderet contra Scotum, ſicut concludit contra Henr. Ratio tamen Scoti lib. 2. cōcludit contra Henr., quia ponebat certitudinem alicuius ſenſibilis dependere ab vtraque ſpecie. Non ſic autem dependet certitudo actus credendi ab vtraque fide. Sed nunquid ſententia hæc cōſiſtere valeat? Nam Scotus lib. 3. d. 23. poſtquam dedit multos dicendi modos circa fidem acquiſitam, & infuſam, tandem circa finem. Quæſt. ponit modum ſuum qui eſt talis. Dico tunc, quod fides infuſa eſt per actum pri-

primum, & propter perfectionem actus ſecundi, quem gradum non poſſet habere intellectus cum fide acquiſita ſolum. Et ſi propter aliquam certitudinem maiorem velitis dicere, ſoluatis arg. factum. Quod non. Hæc Scotus. Ex quo apparet: Scotus duo narrat propter quę eſt ponenda infuſa fides, & dubitat, an debeat poni propter certitudinem; & declinat ad hanc partem, quod non, cum non ſoluat argum. factum contra certitudinem. Poterit itaque ſic aliter reſponderi. Valde differens eſt aliquid eſſe certum, & aliquid eſſe certum, & euidens. Tunc dico actus fidei eſt certus, ſed non euidens; Id autem quod ſecundum Henr. eſt certum, (nempe ſincera veritas) per illas duas ſpecies inhęrentem, ſcilicet, & illabentem, eſt certum, & euidens; ſicque concedo argum. Scoti concludere contra Henr. ſcilicet ille actus non poteſt eſſe certus, & euidens. Similiter argum. factum lib. 3. concludit, quod actus fidei eſt certus, & non poteſt eſſe certus, & euidens.

2. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 3. Q. 4. ad A. tenet, quod viuere poteſt eſſe actus primus, & actus ſecundus. Dum eſt actus primus 2. de anima 37. Viuere viuentibus eſt eſſe. Oppoſitum huius habet Scotus lib. 1. Perierm. Q. 8. & potiſſimum ſoluendo tertium argum. vbi dicit. Et ſi Cęſar ſit homo viuus, tamen non viuit, ſi non viuit, quomodo viuere viuentibus eſt eſſe?

Lucas. Reſp. Scotus lib. 1. Perier. loco citato notat; viuum, & mortuum duobus modis poſſunt capi, actualiter, & aptitudinaliter; actualiter, ſunt accidentia eſſentię hominis ſignificatę hoc nomine homo; ſicque conceditur. Cęſar non eſt homo viuus, ſed mortuus. Nam hoc modo, mortuum non diminuit ab homine, nec infert hominem, quia diminutio alicuius per aliud, ſicut oppoſitio inter illa, debet eſſe ratione ſignificatorum. Homo enim non includit in ſuo ſignificato oppoſitum mortui, hoc modo ſumpti. Si aptitudinaliter; fortè viuum, & mortuum ſunt differentiæ in genere ſubſtantiæ, ſicut animatum, & inanimatum, & ſic mortuum diminuit ab homine, hæcque eſt falſa. Cęſar eſt homo mortuus, & hæc eſt vera, Cęſar eſt homo viuus; at non ſequitur, ergo viuit, ſicut non ſequitur, eſt riſibilis, ergo ridet. Ad illud 2. de anima. Viuere viuentibus eſt eſſe. Si Cęſar non viuit, ergo non eſt. Dico. Cęſar non eſt, vt eſt, eſt ſecundum adiacens, quia ſi ſic, eſt dicit exiſtentiam. Et notat Scotus illa Q. 8. lib. 1. de Interpr. Hoc nomen ens poteſt diſtingui, vt eſt nomen, & vt eſt participium: vt eſt participium, idem eſt, quod exiſtens: vt verò eſt nomen, idem ſignificat, quod habens eſſentiam, & illud diuiditur in decem genera, & ſic eſt concedendum, quod Cęſar eſt ens, non autem de illo ente, quod eſt participium. Hæc Scotus. Et nota ex Ariſt. 1. Ethic. cap. 5. Tres ſunt vitæ excellentes, Voluptuoſa, Ciuilis, & Contemplatiua. Prior ſubicitur paſſionibus. Altera, dominatur paſſionibus. Tertia, verò caret paſſionibus. Et dicuntur vitæ maximæ, quia appetunt bonum aliquo modo propter ſe appetibile.

3. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 3. Q. 4. ad C. elicitiuè ait, quod incommutabilitas propoſitionum neceſſariarum per ſe notarum, ac indemoſtrabilium ex ſola eſt appręhenſione terminorum. Nam, terminis appræhenſis, impoſſibile eſt, quod habitudo non conſurgat. Id etiam habet Scotus 1. Perierm. Q. 8. Oppoſitum huius habet ex pręſenti regula, vbique in doctrina ſua habita à Scoto. Nullum poſterius poteſt eſſe magis neceſſarium,

rium, quam prius. At habitudo, ſeu apprehenſio terminorum eſt poſterior extremis. Extrema autem ſunt contingentia, ergo, & habitudo erit contingens, & ſic non erit incommutabilis.

Lucas. Reſp. In via Scoti ſtabile eſt, ex ſola apprehenſione conſtantia, & non cõmutabilitas eſt veritatum per ſe notarum. Ad regulam illam dico. Veritatem habet, vbi cetera ſunt paria, ſcilicet, quando prius, & poſterius ſunt ambo abſoluta: & poſterius eſt relatio conſurgens ex natura extremorum; ſicut poſitis duobus albis neceſſario conſurgit ſimilitudo. Dices. Si conſtantia veritatum notarum eſt ex extremorum apprehenſione, tunc nulla veritas in creaturis eſſet abſoluta, ſed omnis conditionata. Nam deſtructis terminis, omnis propoſitio eſſet falſa,& ſcientia eſſet de falſo. Reſp. Veritas originatiuè, effectiuè, fundamentaliter eſt ex parte rei, formaliter verò eſt in intellectu. Modo dico, Veritas, vt in omnibus, non eſt conditionata, veritas verò in intellectu eſt conditionata, in iſto ſenſu,quia non eſt in eo, niſi termini apprehendantur. Idque non inconuenit concedere, veritatem conditionatam in iſto ſenſu, quia hoc eſt à parte potentiæ, & non à parte veritatis in ſe. Pro vberiori notitia huius rei, notandum. Franc. lib. 1. d. 3. Q. 5. inueſtigans. Vnde proueniat per ſe notarum veritatum incommutabilitas, plures circa hoc modos narrat, ſcilicet quinque,ex quibus quatuor reiicit: quorum ſecundus eſt, quem nunc declarauimus, & eſt Scoti, quicquid Franc. dicat, tenendus eſt. Prior modus dicendi eſt Occam quolib. 3. Q. 5. dicentis. Veritates per ſe notæ ſuam habent incommutabilitatem ex natura terminorum neceſſariam nimirũ ex eo, quod termini ſunt neceſſarij. Et addit. Tales veritates non poſſunt formari niſi de obiecto incommunicabili, ſcilicet Deo, & omnis veritas circa creata non eſt neceſſaria. Et ſubdit. Omnibus hominibus annihilatis, hæc eſt falſa. Omnis homo eſt animal. At contra hanc ſententiam ſic. Si hic modus eſſet verus, nulla ſcientia eſſet, niſi Theologia. Nam omnis alia ſcientia habet extrema propoſitionum contingentia, conſequenterque omnes illæ veritates eſſent contingentes, ſicque non ſcibiles. Alter modus eſt Scoti, vt iam dictum eſt. Veritates, ſeu regulæ ęternæ non ſunt incõmutabiles quantum ad eſſe, quod habent res in ſe,ſed tantum quantum ad eſſe, quod habent in intellectu obiectiuè, & in eſſe diminuto: nam de quidditatibus, vt concipiuntur à nobis, formantur tales complexiones. Sed contra hunc modum. Nam accidit illis quidditatibus,vt à nobis concipiantur,& tunc ſublato tali eſſe, non moueret veritas incõmutabilium veritatum. Rurſus. Non magis eſt incõmutabile aliquod ens in eſſe diminuto, quam ſit illud eſſe reale, & ſimplex, ad quod reducuntur, ſed intellectus, & actus concipiendi ſunt incõmutabiles, ergo, & eſſe conceptum in eſſe diminuto. Quartus modus dicendi eſt. Veritates per ſe notæ ſunt incõmutabiles quantum ad eſſe quod habent in intellectu diuino tantum,quia eorum extrema ſemper ſunt incõmutabilia, ibi, nunquam autem ſunt incõmutabilia, præter quam ibi. Sed contra iſtum modum. Vbi ſunt formaliter termini, ibi eſt formaliter habitudo; at extra intellectum diuinum reperiuntur illi termini, ergo, & illæ habitudines. Quintus modus, qui eſt Franc. ponit incõmutabilitatem illarum veritatũ procedere ex immutabilitate terminorum in eſſe quidditatiuo, qualitercunque ponantur. Nam quidditates, & eſſe quidditatiuum ab eſſe reali, & in anima ſunt ab-

ſtractæ. Hæc Franc. At an detur tale eſſe quidditatiuum, quod alij appellant eſſe eſſentiæ, remittitur aliàs diſputandum.

4. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 3. Q. 4. ad C. inducens Ariſt. 4. Methaph. dicit. Primum principium eſt. Impoſſibile eſt idem ſimul eſſe, & non eſſe. Oppoſitum huius apparet ratione, & ſenſu. Nam, ens eſt ens, eſt primum principium. Nam termini eius ſunt primo primi, & vltimo vltimi.

Lucas. Reſp. Primum complexum principium ſimpliciter, & primo primum eſt id, ens eſt ens; Iſtud enim principium habet terminos primo primos, & vltimo vltimos, & per conſequens, qui non ſunt reſolubiles in alios priores; imo omnis reductio conceptuum ſtat ad conceptum entis, vt ad ſimpliciter primum inter conceptus quidditatiuos. Ad Sco. & ad Ariſt. dico, vocant illud, eſſe, & non eſſe, primum principium, non quod ſit ſimpliciter primum, at quia eſt primum reſpectu horum, ſcilicet, De quolibet affirmatio, vel negatio, &c. Omne totum eſt maius ſua parte. Si ab equalibus equalia demas &c. Ratione horũ eſt primum, & dicitur dignitas dignitatum. Nam ſicut totum, & pars, æquale, & inæquale non intelliguntur, niſi intellecto ente, ita nec hoc principium. Omne totum &c. Et ſic de alijs, non intelliguntur, niſi intellecto hoc principio, Impoſſibile eſt ſimul eſſe, & non eſſe, cuius intellectus dependet ex intellectu entis, ex quo componitur.

5. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 3. Q. 4. ad D. dicit. Quantum ad notitiam, intellectus non habet ſenſus pro cauſa, ſed pro occaſione, quia intellectus non poteſt habere notitiam ſimplicium, &c. Oppoſitum habet Scotus 1. Meth. Q. 4. vbi vult intellectum habere ſenſum pro cauſa.

Lucas. Reſp. Notitia bifariam ſumitur, vno modo pro notitia principiorum per ſe notorum, & concluſionum deductarum ex illis principijs. De hoc intellectus non habet ſenſum pro cauſa, ſed tantum pro occaſione poſtquam intellectus à ſenſibus accepit ſimplicia, poteſt virtute ſua illa componere, & aſſentiet illi complexioni, non virtute ſenſus, ſed virtute intellectus. Altero modo capitur notitia pro aliorũ notitijs principiorum, & concluſionum deductarum ex illis, vt eſt notitia de contingentibus, & de expertis: ſicque intellectus ſenſum habet pro cauſa. Dices. Ariſt. 4. Methap. dicit. Negantes primum principium ad inconueniens ſenſatum ducuntur, ergo intellectus, quantum ad notitiã principiorum habet ſenſum pro cauſa. Reſp. experimentum eſt neceſſarium principijs, quia concurrit mediatè ad notitiam terminorum, ſed nego, quod ſit neceſſarium immediatè. Vel dic, quod concurrit, vt coadiuuans, & id ſufficiebat Ariſt. vt induceret antiquos ad inconueniens ſenſatum. Idem dicas. Si afferatur auctorit: Them. 2. poſt. 37. Auer. 8. Phiſ. 22. & Ariſt. 2, poſt c. c. vlt. vbi dicunt. Non poſſe quépiam aſſentire principio, niſi eidem conſentiat experimento. Expende, vt apertè videas, quomodo intellectus fiat naturalis pro ſtatu iſto, talis ſeruatur ordo. Primo, recipitur ſpecies ſenſibilis in organo exteriori, & producitur huiuſmodi a ſenſu, & ſpecie actus ſentiendi. Secundo, producitur ſpecies in ſenſu interiori. Tertio, ſenſus interior virtute huius ſpeciei producit actũ interiorem ſentiendi in ſe ipſo. Quarto, intellectus agens cum fantaſmate producit ſpeciem intelligibilem in intellectu poſſibili. Quinto, intellectus poſſibilis cum ſpecie intelligibili producit actum intelligendi in ſe ipſo. Deinde intellectus, illo, obiecto cognito, producit ſine recurſu ad ſenſum exteriorem, nec interio-

teriorem, plurimas notitias, tam complexas, quam incomplexas.

6. *Iacobus.* Reſp. Scotus 4. Q. 3. d. lib. 1. dicit de paſſione, quæ ſi eſt res alia à ſubiecto, ſine contradictione poſſet ſeparari à ſubiecto. Oppoſitum huius reperitur in doctrina Scoti ſæpe ſæpius, ſcilicet quod propria paſſio non diſtinguitur, ſed eſt eadem realiter cum ſubiecto.

Lucas. Scotus lib. 1. d. 3. Q. 4. ad F. loquitur de paſſione, quę eſt res alia abſoluta à ſubiecto, vt calor in igne, & caliditas in herba. Nam expertus habet huiuſmodi pro principio immediato, puta, herba talis ſpeciei eſt calida, & de tali caliditate loquitur Scotus, non autem de paſſione proprie accepta; quandoquidem hoc in via Scoti, vllo pacto realiter diſtinguatur à ſubiecto. Quæres; Experimentum hoc, ſcilicet talis herba eſt calida pertinet ad ſenſum, vel ad intellectum? Diuus Thom. Q. de Malo. 1. parte ſum. Q. 58. dicit. Experimentũ propriè pertinet ad sẽſum; largo modo ad intellectum; At id eſt falſum. Nam notitia experimentalis pertinet ad intellectum, non ad ſenſum, licet pro ſtatu iſto ſemper ortum habeat à ſenſu; ex hocque aliquando notitia experimentalis dicitur ſenſitiua, & ſi non vt intellectiua, ſicut dicit Scotus lib. 4. d. 45. Q. 3. de memoria. Memoria proprie eſt in intellectu, in ſenſu verò tanquam in radice. At cum Scotus dicat. Expertus infallibiliter nouit. Et Ariſt. Melius operatur non experto artifice. Dubitatur, an notitia ſenſitiua ſit perfectior intellectiua? Reſp. Quanto intellectus excedit ipſum ſenſum, tanto notitia intellectiua eſt perfectior ſenſitiua. Nam ſenſus poteſt illudi, intellectus verò non. Rurſus. Priora generatione ſunt poſteriora perfectione 9. Meth. 15. Dices. Ariſt. 8. Phiſ. 26. vocat ſenſum digniorem ratione, vbi ſic ait. Quærere rationem vbi dignius habemus ratione, non eſt potentis iudicare inter melius, & peius. Reſp. Ariſt. per dignius ratione, non intelligit aliquam notitiam ſenſitiuam, at notitiam intellectiuam principiorum, quæ dicitur ſine ratione, quia Principiorum non eſt ratio 4. Meth. 9. Eſt itaque comparatio notitiæ intellectiuæ ad aliam intellectiuam, & non intellectiuæ ad ſenſitiuam. Vel dicas, Senſus eſt dignior, ratione dependentiæ, nam intellectiua cognitio à ſenſitiua pendet. Dices amplius. Ariſt. 8. Phiſ. 22. Quærere rationem, & dimittere ſenſum infirmitas eſt intellectus. Reſp. Verum eſt ſi ratio ſit Sophiſtica. Auer. ſic reſp. 8. Phiſ. 26. verum eſt ſi concurrant omnes ſenſus, tunc eſſet fatuum, dimittere ſenſum, & adhærere rationi, ſed non ſi ſolus vnus ſenſus concurrat. Nam viſus iudicat ſolem minorem terra, & tamẽ ratio eſt in oppoſitũ. Expende, Albert. 2. Poſt. ſic deſcribit experimẽtũ. Experimẽtũ eſt vniuerſalis cognitio ꝑ ſimilitudinẽ accepta per potẽtiã iudicatiuam. Et 1. Meth. Idẽ Albert. Sic diffinit experientiam. Experientia eſt cognitio ſingularium ex multiplicibus accepta memorijs, circa quæ eſt actus. Vel ſic. Experientia eſt collectio aliquorum ſingularium ad inuicem præcedente ſenſatione cum memoria multiplicata.

7. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 3. Q. 4. ad F. dicit. Hæ propoſitiones, ſcilicet, Ego vigilo, ego viuo, ſcio me intelligere &c. ſunt principia per ſe nota. Oppoſitum habet Scotus lib. 1. d. 2. Q. 2. in initio, vbi vult Propoſitio per ſe nota eſt ex terminis, at ego viuo, non eſt nota ex terminis, ergo &c.

Lucas. Reſp. Propoſitio per ſe nota duobus modis percipitur, vno modo, vt nota

eſt ex terminorũ euidentia, & de hac loquitur Sco. d. 2. primi. Alio modo per ſe nota non ex euidentia terminorum, at extremorum intuitione, ob certam que experientiam. Et dicuntur hæ propoſitiones infallibiles, immediatæ, & per ſe notę ad ſenſum, vt ego ſum, ego viuo, &c. Quę intuitiuè ex intuitione terminorum cognoſcitur. Verum, dubium emergit. An pro ſtatu iſto alicuius cognitionem intuitiuam habere poſſimus? Reſp. Quicquid multi Scotiſtæ ſentiant. Scotus lib. 1. d. 3. Q. 4. dicit ſic. Nam de actibus noſtris cognitio intuitiua habetur, & lib. 4. d. 49 Q. 8. habet iſta verba formalia. Si non haberemus de aliquo cognitionem intuitiuam, non ſciremus de actibus noſtris, ſi inſunt nobis, vel non, certitudinaliter dico, de actibus intrinſecis, ſed hoc eſt falſum. Hec Scotus. Et eiuſdem 4. d. 45. Q. 3. art. 2. vbi loquitur de recordatione ſic ait. Peccator poteſt pænitere de multis peccatis, ideſt malis volitionibus; igitur poteſt recordari, ergo habet notitiam recordatiuam. Hoc idem Scotus habet lib. 2. d. 3. Q. 9. & d. 9. Q. 2. Pro his conſule Viger. pag. 94. col. 4. per totum vbi pro hac ſe optimas rationes adducit.

8. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 3. Q. 4. ad G. dicit. Ordo eſt in contingentibus, ideſt aliqua eſt prima, & immediata, alioquin; vel eſſet proceſſus in infinitum in contingentibus, vel aliquod contingens ſequeretur ex cauſa neceſſaria, quorum vtrumque eſt impoſſibile. Oppoſitum huius habet Scotus 3. Prol. Q. ad N. vbi ſic ait. Primæ contingentis prædicatum eſt quaſi primum principium ordine contingentium, vel prædicata plurium primarum contingentium: ſi itaque plurimæ ſunt contingentes, ergo non erit vna immediata.

Lucas. Reſp. Quere reſp. Dices, Scotus ait, vt iam adductum eſt. Contingens nõ poteſt ſequi ex cauſa neceſſaria, ergo contingentia hęc non erunt à Deo. Nam Deus eſt cauſa neceſſaria. Reſp. Contingens non poteſt eſſe à cauſa neceſſaria, ideſt neceſſario agente, vel neceſſario cauſante. Idque vult Scotus, & non aliud.

9. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 3. Q. 4. ad G. dicit. Propoſitio certa. Ego video. Oppoſitum huius habet Scotus eadem Q. vbi vult, quod poteſt fieri illuſio reſpectu viſus, & in medio, & in organo, & in multis alijs vijs. Ergo dum dicitur. Ego video. Non eſt propoſitio certa.

Lucas. Reſp. Valde diſcrimen eſt viſum videre, & viſum hoc videre. Primum, ſcilicet viſus videt, cum teneat ex parte potẽtię, eſt propoſitio infalſificabilis. Secundum autem, ſcilicet videre hoc, ſi cadat illuſio, non erit veritas ſincera, nec propoſitio certa. Quæ illuſio aut eſt ex parte medij, & tunc omnes ſenſus ſuo modo decipiuntur, vt patet de radijs ſolaribus tranſeuntibus per vitrum rubeum. Aut eſt illuſio ex parte organi, & tunc ille ſolus decipitur, cuius organum decipitur. Hæcque illuſio ex parte organi poteſt fieri dupliciter, vno modo remote, ſicque illuſio eſt in oculo: ſicut quando manent reliquiæ viſorum in oculo, vt dicit Aug. 1. de Trin. cap. 2. Et Ariſt. de ſenſu, & ſenſato cap. 2. vt ſi quis reſpiciat Solem, deinde claudat oculos, videtur ſibi videre multa lumina. Alio modo fit illuſio in organo proximo, ſcilicet in concurſu, ſeu interſecatione illa neruorum: de quo conſule Ant. And. 1. Meth. Q. 5. Et illuſio in organo maior eſt illuſione medij intenſiuè. Illuſio vero medij eſt maior illuſione organi intenſiuè, ſic quoque illuſio ex parte obiecti; & ſic, vt legitur in Clem. itinerario. Simon Magus arte

magica

magica fecit, vt patet Clem. appareret Simon Magus. De his conſule Diuum Bonauent. lib. 2. d. 8. Q. 7. Sed num viſio poſſit eſſe non exiſtentis? Reſp. Minimè. Dices. Stante illuſione in medio, videtur lepus, & tamen lepus non eſt. Reſp. Viſio non terminatur ad illud, quod apparet eſſe, & non eſt: ſed ad illud, quod ibi exiſtit. Nam non poteſt decipi quin aliquid videat. Inſtabis. Dormiens videtur ſibi videre animalia, &c. Et nihil tamen videt, ergo de non exiſtente poteſt eſſe viſio. Reſp. Ratio iſta valeret, ſi potentiæ particulares exteriores in ſomno non ligarentur. Nam tunc nihil agunt. Sed eſt alia potentia intrinſeca communis, quæ tunc videt: & licet non videat obiectum tamen eſt viſio ibi ſpecierum exiſtentium de his vide plurima apud Franc. 19. Q. Prol.

10. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 3. Q. 4. ad 6. dicit. Illuſio poteſt cadere ſuper organum ſcilicet ſuper viſum. Oppoſitum habet Ariſt. 2. de Anima 75. 9 8. & 116. vbi dicit. Senſibile poſitum ſuper ſenſum impedit ſenſationem, ergo Scotus male dicit, in organo ſit illuſio. Nam tunc oculus non videret.

Lucas. Reſp. In concurſu illo neruorum, ex quo fit viſio, eſt ſimplex organum, & ibi recipiuntur ſpecies: & diſtantia ipſius ad pupillam eſt ſufficiens, & per illam ſufficientem diſtantiam poſſunt videri ſpecies poſitæ in oculo illo, ex quo poteſt fieri viſio, quia ſenſibile non eſt poſitum immediate ſuper ſenſum, vt ait Ariſt. Rurſus. Scotus 4. Q. 3. d. lib. 1. loquitur conditionaliter, & non categoricè. Vel dicas, ſpecies, quę poteſt eſſe in illo concurſu neruorum, cauſat viſionem, ſic & obiectum, & ad dictum Ariſt. Senſibile poſitum &c. dicitur. Verum eſt quo ad illam partem ſuper quam poneretur ſenſibile; tamen cum ſit forma naturalis extenſa, poteſt eſſe ſuper vnam partem, & non ſuper totum; idcirco cauſabit viſionem in alia parte. Ex quo ſpecies ſenſibilis poſita ſuper ſenſum non impedit ſenſationem; ſed bene ſenſationem impedit obiectum ſenſibile; idque intendit Ariſt. 2. de Anima.

11. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 3. Q. 4. ad 1. tenet quod ab obiecto mutabili poteſt haberi ſincera veritas, & infalſificabilis. Oppoſitum huius habet Scotus eadem Quæſt. in initio vbi adducens Aug. lib. 83. Quæſt. Q. 9. dicit. A ſenſibilibus non eſt expectanda ſincera veritas, quia ſenſibilia ſine intermiſſione mutantur.

Lucas. Reſp. Obiectum duobus modis poteſt conſiderari, vno modo, vt mutabile eſt, & ſic non poteſt colligi ſincera veritas ab obiecto, & id intédit Aug. Alio modo capitur obiectum, vt natura, & ſic cum ſit ratio gignendi, ab ipſo poteſt eſſe ſincera veritas. Et quod mutabile poteſt repræſentare immutabile patet in ſpecie angelica, aut humano intellectui infuſa repræſentante Eſſentiam Diuinam, quod eſt obiectum immutabile. Idem dicas de actu viſionis in beatis repræſentante Eſſétiam. Qui actus, & ſpecies mutabilia ſunt. Sed an omnia ſint in cótinuo motu? Reſp. duobus modis id intelligi poteſt; primo, eo modo quo intelligebant Herac. & Crat. referente Ariſt. 4. Meth. 22. ille dicebat. Omnia ſunt in continuo motu, eundemque equum non contingere bis flumen tranſire. Hic dicebat. Non ſolum bis, nec ſemel contingit eũdem equum flumen tranſire: & volebant, vt eſſet continua generatio, & corruptio, illo modo non omnia ſunt in continuo motu. Altero modo poteſt intelligi, quod continuè moueantur, alio

motu

motu à generatione, & corruptione, & dico. Animalia ſaltim perfecta continuo mouentur à ſpiratione, & reſpiratione, & continuò nutriuntur. Nam per continuam nutritionem conſeruantur, & ita ſunt in continuo motu accidentali; at non in continuo motu ſubſtantiali, vt Cratilus, & Heracl. ſentiebant.

12. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 3. Q. 4. ad L. dicit. Species intelligibilis, vt obiectum, non poteſt ſe repræſentare in ſomnis. Oppoſitum patet Matth. cap. 1. de Angelo apparente Ioſeph in ſomnis, & ſibi dicente. Ioſeph filij Dauid noli timere &c., & Matt. 2. de eodem Angelo apparente Ioſeph & dicente ſurge, & accipe puerum &c. & in Aegypto, Angelo quoq; in ſomnis ſibi dicente, Vade in terram Iſrael, & de reſponſo accepto accepto in ſomnis, & Magis ne redirent ad Herodem. Vbi non eſt dicendum in his ſomnijs non fuiſſe repreſentantem ſpeciem intelligibilem.

Lucas. Reſp. Verificatur dictum Scoti de lege communi, & de poteſtate Dei ordinata. Nam ex ſpeciali priuilegio, poteſt quidem fieri, vt in dormientibus ſpecies intelligibilis, vt obiectum repræſentetur, veluti ſæpe factum eſt, & Prophetis, & Ioſeph viro Mariæ, & Magis dictum eſt.

13. *Iacobus.* Scotus lib. d. 3. Q. 4. ad O. dicit Intellectus agens eſt nobiliſſimus in anima noſtra. Oppoſitum huius videtur deduci ex Scoto Q. 15. Quol. in qua licet aliquantiſper dubitarit, tamen clare ſe determinat Q. 7. Collat. vbi expreſſe dicit. Intellectus poſſibilis eſt cauſans intellectionem.

Lucas. Reſp. Tenendum eſt firmiter intellectū poſſibilem cauſare intellectionem, & nobliorem eſſe ictellectu agente. Primum (Quicquid dicat opinio communis) ſic patet. Omnis forma eſt ratio agendi habenti, ſeu recipienti eam, & non agenti eam; vbi agens, & recipiens ſunt diſtincta; at ſpecies intelligibilis eſt in intellectu poſſibili, & non in agente, ergo eſt ratio formalis agendi in intellectu poſſibili, & non in agente. Dices. Scotus 15. Quol. habet quod intellectio poteſt eſſe ab intellectu agente, & poſſibili. Reſponſionem quære. Alterum. Quod intellectus poſſibilis ſit præſtantior agente (Quicquid dicat Paulus) probatur ſic. Intellectus intelligens eſt nobilior non intelligente, at Solus poſſibilis eſt intelligens, & non agens. Hæc propoſitio patet ex Ariſt. 3. de anima t. 2. & 12. vbi ait. Intelligere eſt quoddam pati. Et nota. Intellectus poſſibilis, non pro formali, ſcilicet, vt poſſibilis eſt, ſed pro fundamento pro illa potentia nimirum, quæ eſt receptiua ſpeciei intelligibilis, ſimul eſt actiua, & receptiua actus intelligendi, eſt perfectior intellectu agente, ſolummodo actiuo ſpeciei intelligibilis; & capiendo ambo pro formali, quis horum eſt nobilior? Reſp. Si poſſibilis tantum conſideretur, vt ſolum recipit ſpeciem, & actus intelligendi eſt imperfectior agente. Nam res quanto magis actiua, tanto perfectior eſt, & quo magis paſſiua eo imperfectior eſt. Quæres amplius. Si ambo intellectus non capiantur, nec vt agens, nec vt poſſibilis; at ſolum quidditatiuè, & abſolutè. Quis horum eſt perfectior? Nam cum formaliter differant, neceſſe eſt vnum alterum excedere quidditatiuè. Reſp. Equidem difficile eſt id videre, niſi recurramus ad actus ſuos: at cum intellectus poſſibilis præſtantantiores habeat actus, ſiue effectus, (tenendo quod cauſet) quod cōmuniter in via Scoti pro indubitato habetur, quam ſit actus intelligentis; infertur neceſſariò intellectum

tellectum poſſibilem præſtantiorem eſſe intellectu agente. Pro præſenti re conſulas Vigerium ſuper Q. 4. d. 3. lib. 1. apud Scotum pag. 95. vbi habet plurimas rationes ad probandam nobilitatem intellectus poſſibilis ſuper agentem. Ad Scotum autem lib. 1. d. 3. Q. 4. dico, quod loquitur ad hominem, ſcilicet ex principijs conceſsis ab Henrico admittente intellectum agentem nobiliſsimum in anima.

14. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 3. Q. 4. ad O. dicit. Quicquid recipit intellectus poſsibilis, ad illud aliquo modo ſe habet intellectus agens. Oppoſitum huius habet 1. Prol. Q. ad Q. vbi vult. Cuilibet paſsiuo non correſpondere actiuum.

Lucas. Reſp. Hæc propoſitio. Cuilibet paſsiuo correſpondet actiuum, etſi veritatem non habeat in quibuſdam, quando, ſcilicet natura, propter ſui excellentiam ordinatur naturaliter ad recipiendam perfectionem ita eminentem, quod non poſsit ſubeſſe cauſalitati agentis naturalis; tamen poteſt ſibi correſpondere agens in tota coordinatione entiũ. Adhuc propoſitio illa vera eſt phiſicè loquendo, & ſic, ſicut omni potentiæ paſsiuæ correſpondet actiua, ita, & actiuæ correſpondet paſsiua. Theologicè verò: ita eſt vera; Paſsiuę correſpondet actiua: at hęc eſt falſa, actiuæ correſpondet paſsiua. Nam Deus habet potentiam infinitam intenſiuè, quæ, quantum eſt ex ſe, poſſet vnum effectum intenſiuè producere, ſed ille talis effectus non eſt factibilis. Hæc eſt ſententia Scoti lib. 1. d. 42.

15. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 3. Q. 4. ad P. dicit. Omnia intelligibilia actu diuini intellectus habent eſſe intelligibile. Idemque habet d. 36. primi. Oppoſitum huius inquit Scotus lib. 1. d. 43. ad D. Res ex ſe formaliter habet, quod ſit intelligibilis: ergo non videtur eſſe ab intellectu diuino.

Lucas. Reſp. Circa præſentem difficultatem Franc. lib. 1. d. 46. Q. 3. tenet, quod res ab æterno fuerunt productæ in eſſe cognito, at non fuerunt productæ ab intellectu diuino, ſecundum eſſe quidditatiuum, & intelligibile: nam res ſecundum tale eſſe abſtrahunt ab omni cauſalitate. Reijcitur iſta opinio; quoniam, reſpectu eſſe cogniti diuini, res nõ fuerunt prius producibiles, quam productæ, nec prius intelligibiles, quam intellectę. Firmaturque id à Scoto d. 43. lib. 1. his verbis. Res in primo inſtanti naturę producitur in eſſe intelligibili ab intellectu diuino, & ſe ipſa habet eſſe poſsibile in ſecundo inſtanti naturæ, quia ſe ipſa formaliter non repugnat ſibi eſſe, & ſe ipſa formaliter repugnat ſibi habere eſſe neceſſarium ex ſe. Ad Scotum autem, qui videbatur dicere. Res ex ſe formaliter habet, quod ſit intelligibilis. Dico, quod Scotus declarat ſe dicens; quod principiatiuè, & effectiuè eſt ab intellectu. Vel dicas. Intelligibilitas non cauſatur ab intellectu diuino, ſed producens intellectus diuinus lapidem in eſſe obiectiuo, concomitatur talis paſsio, at mediatè cauſatur ab intellectu diuino. Inſtabis. Quando aliquid conuenit alicui per ſe, non conuenit ſibi à cauſa extrinſeca, at intelligibilitas conuenit quidditati per ſe, ergo nõ ab intellectu. Reſp. Quidditas ſimul, & intelligibilitas ex ſua ratione formali habent eſſe formaliter, tamen effectiuè ſeu principiatiuè ſunt ab intellectu. Quæres adhuc. Quod producitur in eſſe intelligibili, in illo priori quo iſtam productionem pręcedit, aut fuit intelligibile, aut non, ſi non. Ergo impoſsibile eſt, quod fiat intelligibile, ſi ſic, ergo impoſsibile eſt, quod fiat intelligibile per talem productionem,

eo quod

eo quod ante talem productionem erat intelligibile. Reſp. In illo priori erat intelligibile potentia logica, quę dicit non repugnantiam, & ſic præcedit omnem actum intellectus diuini: ſed non potentia obiectiua, quia ſic inſequuntur eſſe cognitum, & ſunt ab intellectu diuino effectiuè. At dubium ocurrit. Si obiecta ſunt in intellectu diuino actu intelligibilia, ſunt ne ibi, vt pars memorię, vel intelligentiæ? Reſp. Sunt ibi, vt intellectus eſt intelligentia, & non, vt pars memoriæ. Et eſſe actu intelligibile poteſt intelligi dupliciter, vel in actu quidditatiuo obiectiuali tantum, & ſic omnia obiecta ſunt actu intelligibilia; vel ſunt in actu reali, & ſic minimè; vel actu intelligibile conſideratur, quod ex natura rei ſit præſens intellectui diuino in ratione obiecti actu intelligibilis, & ſic obiecta non ſunt actu intelligibilia. Aut, quod dicatur actu intelligibile, eo quod virtualiter continetur in Eſſentia per quam eſt actu intelligibile: itaquod ſola virtute Eſſentiæ habeatur, & non illius, quod ſit præſens intellectui diuino, & ſic ſunt actu intelligibilia. Et notandum, quod obiecta cognita in intellectu diuino quadruplicter nominantur. Primo, dicuntur lux: quia ſicut per lucem regulatur viſus in vidẽdo ſic per quidditates obiectorum regulatur intellectus in omni notitia cõplexa formando propoſitiones. Secũdo, dicũtur veritates, ideſt conformitates actiuæ quaſi exemplaria, & ſimilitudines ad extra. Tertio, dicuntur æterna, quia ſunt Deo in æternum præſentia. Quarto, dicuntur cognita, quia habent eſſe in diuina cognitione. Adde. Quinto, dicuntur immutabilia, ſaltim in operari, quia immutabiliter ſemper repræſentant.

16. Iacobus. Scotus lib. 1. d. 3. Q. 4. ad P. dicit. Omnia intelligibilia actu intellectus diuini habent eſſe intelligibile. Oppoſitum huius hbbet lib. 1. d. 3. Q. 7. vbi ait. Quicquid eſt à cauſa reali eſt ens reale; ſed illa intelligibilia non habent eſſe reale, ergo non poſſunt eſſe ab intellectu diuino, qui eſt ens reale.

Lucas. Reſp. Intelligibilia in via Scoti actu intellectus diuini producuntur; at non intelligitur per intelligibile illa intelligibilitas, quæ ponitur paſſio entis, ſed intelligitúr eſſe obiectum, ad quod ſequitur eſſe intelligibile, ideſt intellectus diuinus produxit lapidem ab æterno in eſſe obiectiuo, ad id eſſe ſequitur intellectio. Nam vnumquodque ſecundum entitatem habet cognoſcibilitatem. Ad Scotum dicentem, a cauſa reali eſt ens reale. Dico. Scotus non ait id, ſed ſolum, omnis intellectio eſt realis, quæ cauſatur à re, vel à ſpecie intelligibili, patet de notitia intuitiua, & abſtractiua. Rurſus. Propoſitio illa eſt vera de cauſa reali realiter cauſante, & intellectus diuinus eſt cauſa realis, tamen quando cauſat, talia intelligibilia, non dicitur realiter cauſare; nam tunc cognita haberent verum eſſe reale. Dices. Paſſio ſubiecti eſt immediatè à ſubiecto, ſed intelligibilitas eſt paſſio entis, ergo nõ eſt ab intellectu; Reſp. Intellectus non cauſat immediatè intelligibilitatem, ſed lapidem, ad quem ſequitur intelligibilitas. Dices. Paſſio præſupponit eſſentiam rei, ergo eſſentia rei non erit ab intellectu. Eſſentia rei poteſt dupliciter accipi; primo, in eſſe reali, & ſic paſſio in eſſe reali prẹſupponit eſſentiam in eſſe reali. Alio modo, in eſſe obiectiuo; & poſſibili, & ſic paſſio prẹſupponit eſſentiã rei in eſſe obiectiuo, & poſſibili. Tandem dices. Cauſa naturalis non impedita producit effectum perfectiſſimum, quem poteſt producere: hæc eſt Sco.

2. Q. 3.

1. Q. 3. d. 1. 1. At intellectus diuinus eſt cauſa realis, ergo producit nõ in eſſe cognito, ſed in eſſe reali. Reſp. admitto illam propoſitionem: loquendo de effectu, quem poteſt producere; at nego intellectum diuinum poſſe producere effectum in eſſe realis exiſtentiæ: nam ſibi repugnat aliquid extra ſe cauſare. Poteſt tamen aliquid ad extra producere in eſſe tantum obiectiuo, & loquendo de tali eſſe, producit hominem in eſſe perfectiſſimo ſibi competente.

17. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 3. Q. 4. ad P. tribuit intellectui diuino cauſare quidditates ſimplices in eſſe ſecundum quid. Oppoſitum huius habet Scotus d. 8. 1. Q. penult. & 1. Q. Quol. vbi vult, quod Eſſentia magis virtualiter, & eminenter continet omnia ſecundum ſuam entitatem, quia non tantum eſt formaliter infinita, ſed etiam fundamentaliter, & origo eſt omnis perfectionis diuinæ. ergo magis continet omnia ſecundum intelligibilitatem, conſequenterque magis producuntur actu Eſſentiæ Diuinæ, quam intellectus diuini.

Lucas. Reſp. Quando ait Scotus. Eſſentia magis continet virtualiter, & eminenter, verum eſt, quantum ad eſſe reale, & non quantum ad eſſe obiectiuum, & poſſibile. Vel dicas, admiſſo quod talia intelligibilia producantur in tali eſſe ab Eſſentia Diuina magis, quam ab intellectu diuino: talis tamen productio magis intellectui attribuitur, ſicut de Verbo Diuino. Nam & ſi ſit ab intellectu diuino, & Eſſentia, exprimi tamen dicitur per intellectum. Dices. Hæc intelligibilia, quæ ais produci ab intellectu diuino, quæro, aut producuntur, vt actu intelligibilia, aut vt potentia tantum intelligibilia; ſi primo, ergo ſunt in actu, quia actu intelligibile, actu eſt. Si ſecundo, ergo ab ęterno non intelligit omnia actu. Nam nihil poteſt actu intelligi, niſi ſit intelligibile actu: ergo ſequitur, quod intelligibilia non producuntur actu intellectus diuini in eſſe intelligibili. Reſp. producuntur, vt actu intelligibilia ſunt: ſed ſore actu intelligibile dupliciter capitur, aut in actu quidditatiuo obiectiuali tantum, & ſic omnia ſunt actu intelligibilia; aut in actu reali, ſic minime. Rurſus, actu intelligibile adhuc duobus modis capitur: vno modo, quod ex natura ſit præſens intellectui diuino in ratione obiecti actu intelligibilis. Alio modo, quod dicatur actu intelligibile, quia virtualiter continetur in Eſſentia, per quam eſt actu intelligibile. Primo modo non ſunt actu intelligibilia. Secundo vero modo bene ſunt intelligibilia actu.

18. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 3. Q. 4. ad P. tenet, quod in quidditatibus ſimplicibus relucent de ſe omnes veritates, tanquã in obiectis proximis. Oppoſitum huius habet Scotus eamet Quęſt. ad C. vbi ait. Veritas relucens in terminis eſt quadam conformitas euidens vnius termini ad alium terminum: talis conformitas eſt relatio, aut realis, aut rationis, non ſic, quia tunc veritas illa eſſet cauſata ab aliquo extra rationem terminorum, ſicque virtualiter non continetur in terminis. Non realis; nam relatio realis eſſet per terminos reales realiter diſtinctos, vt dicit Scotus d. 26. 1. At illi termini, vt ſunt propoſitiones per ſe notæ, non habent eſſe reale, quia tunc eſſent contingentes. Item, hæc eſt per ſe nota. Homo eſt animal rationale, ſi termini non diſtinguuntur realiter, ergo non continent conformitatem talem.

Lucas. Reſp. Conformitas illa non eſt relatio actualis, nec rationis, nec realis, at tantum eſt relatio fundamentalis; ita vt termini (intellectu vllo cõ

ſiderante) habent neceſſariam, & euidentem conformitatem ad inuicem, & animal rationale euidenter includit riſibile; percipiens ergo terminos percipit euidentem conformitatem, inter illos, hoc eſt, clarè percipit alterum termiuum neceſſarium, ac euidēter habitudinem fundamentalem ad alium terminum, ideſt, vnus euidenter includit alium. Dices. Veritas hæc neceſſaria. Quæro, aut ſolum eſt à terminis, vt obiectis proximis, aut à terminis, & complexione terminorum; non primo, quia dicit Scotus in corpore quæſiti de ſinceris veritatibus ad H. Videtur igitur, quod contradictionem includat, aliquem intellectum, talem compoſitionem formare, & compoſitionem non eſſe conformem terminis: non ſecundo: Nam talis veritas, tunc non eſſet neceſſaria, quia dependeret ab intellectu componente terminos, & euidentia propoſitionis per ſe notæ non eſſet tantum ratione terminorum, vt docuit Scotus lib. 1. d. 2. Queſt. de propoſitione per ſe nota. Reſp. termini ſolum includunt veritatem, & conformitatem. At non poteſt rectè percipi conformitas, niſi prius perceptis terminis, ac eorum compoſitione, quibus intellectis, ſtatim percipitur, quod compoſitio eſt conformis talibus terminis. Vel ſi quiſpiam eſſet percipiens terminos (vlla facta compoſitione) clarè perciperet vnius ad alterum habitudinem, ac euidentem conformitatem; At nō percipit compoſitionem eſſe conformem terminis, niſi prius termini componantur, & talis compoſitio percipiatur.

19. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 3. Q. 4. ad P. dicit. Obiecta ſecundaria non mouent intellectum, niſi in virtute eſſe intellectus diuini, quod eſt eſſe ſimpliciter, per quod iſta habent eſſe ſecundum quid. Oppoſitum habet Scotus pluribus in locis, ſed potiſſimum lib. 4. d. 1. Q. 1. Agens in virtute alterius dicit rationem propriam agendi; ergo obiecta ſecundaria mouentia intellectum creatum, virtute diuini intellectus mouent, quod eſt falſum. Nam habent tantum eſſe ſecundum quid, quod non poteſt cauſare entitatem abſolutam, cuiuſmodi eſt notitia.

Lucas. Reſp. Obiecta ſecundaria mouent virtute intellectus diuini, non vt in ſe vllo pacto moueant, at quia totum ſuum eſſe habent actu intellectus diuini, & ex ſe non poſſunt cauſare euidentem notitiam conformitatis eorum, ſed ſolus intellectus diuinus, mediante actu ſuo eſt cauſa mouendi, & quia talia obiecta virtualiter continentur in intellectu, ex hoc dicimus, quod in virtute illius mouent. Dices. Si intellectus diuinus mouet intellectum creatum, in eo cauſando notitiam conformitatis obiectorum virtualiter contentorum in eo, ergo ad extra ageret de neceſſitate naturæ, quod non eſt dicendum. Reſp. Intellectus diuinus ideo ſic dicitur mouere, quia, quatenus eſt ex parte ſua, ſicut eſt Eſſentia diuina, poſſet facere euidētem veritatem, de quocunque neceſſario, virtualiter contento in eo. At repugnat ſibi immediatè mouere intellectum creatum. Nam tunc ageret de neceſſitate naturæ.

20. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 3. Q. 4. ad Q. dicit. Obiecta ſecundaria cauſant, ſeu mouent intellectum ad cognitionem talem certam. Oppoſitum huius apparet vbique à Scoto. Nam cum illa obiecta habeant tantum eſſe ſecundum quid, nihil reale poſſunt cauſare.

Lucas. Reſp. Hæc ſecundaria obiecta mouent, & relucent in ſpecie intelligibili, intellectum creatum in ſe autem non mouent; ſed quia ſpecies intelligibilis immediate cauſat notitiam; illa obiecta virtute ſuæ ſpeciei intel-

intelligibilis dicuntur mouere. Dices. Cum ſpecies intelligibilis ſit entitas abſoluta, quomodo ab illis obiectus ſecundum quid poteſt eſſe? Dico. Species intelligibilis cauſatur à phantaſmate talis obiecti, & phantaſma cauſatur ſenſibili à ſpecie talis obiecti, & ſpecies ſenſibilis eſt immediate à tali obiecto; adeoquod natura exiſtens in tali ſenſibili, eſt ratio formalis cauſandi talem ſpeciem. Si autem obiecta ſecundaria comparentur intellectui ſeparato, natura eorum exiſtens in ſingulari, eſt ratio formalis cauſandi ſpeciem intelligibilē in intellectu ſeparato. Rurſus. Scotus lib. 1. d. 36. modicum antequam reſpondeat ad principalia. Dicit. Obiecta ſecundaria mouent intellectum creatum, Nam & ſi habeant eſſe diminutum tale, tamen non habent eſſe diminutū ſimpliciter. Expende. Intellectus agens, in via Scoti, tantum producit ſpeciem intelligibilem in phantaſmate. Dices non recipit eam; at eam imprimit in intellectu poſſibili, ergo talis ſpecies intelligibilis non eſt operatio immanens. Dico, eſt immanens realiter, & ſi non formaliter. Actus autem intelligendi, qui ab intellectu poſſibili, in via Scoti, cauſatur, eſt immanens realiter, & formaliter.

11. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 3. 4. ad R. dicit. Ex iſto apparet, quod non eſt neceſſaria ſpecialis illuſtratio ad videndum ſinceras veritates. Oppoſitum huius eamet Q. ad P. videtur dicere Scotus, vbi ſic ait. Ad Quæſt. igitur dico, quod propter verba Aug. oportet concedere, quod veritates ſinceræ videntur in regulis æternis.

Lucas. Reſp. Videre in regulis æternis non eſt intelligere per ſpecialem illuſtrationem, ſed à cognitione quidditatum productarum ab intellectu diuino, quæ dicuntur regulæ æternæ, venire naturaliter (admiſſo influxu generali) in cognitionem per ſe notarum veritatum. Cognoſcere verò in regulis æternis contingit quadrupliciter. Primo, tanquam in obiecto proximo, quid ſunt termini, quibus cognitis mox cognoſcitur veritas. Secundo, in intellectu diuino, tanquam in virtualiter cauſante ambos, & continente eos. Tertio, in eodem intellectu, ſicut in cuius virtute ipſi termini mouent. Quarto, in memoria fæcunda, tanquam in obiecto remoto, ſeu cauſa remota talis cognitionis, quia memoria fæcunda eſt cauſa remota, tam reſpectu veritatis principij, quam terminorum. Intellectus autem eſt cauſa remota reſpectu veritatis principij; propinqua autem reſpectu terminorum principij, quas immediate producit in eſſe intelligibili. Omnes auct. Aug. & omnium aliorum quæ videntur oſtendere omnes veritates incommutabiles videri in regulis æternis, in libro, in luce increata, &c. Exponuntur ſecundum alterum horum modorum. Franciſcus lib. 1. d. 3. Q. 5. (in qua Q. differt à Scoto) dicit. Aug. tractans de ſinceris veritatibus, loquitur inquirendo, non determinando, ſicque ſecundum hanc ſententiam, non poteſt capi auct. ab Aug. vt veritates ſinceræ ſpecialem illuſtrationem requirant. Dices. Aug. 12. de Trin. cap. 14. dicit. Paucorum eſt peruenire acie mentis ad rationes intelligibiles. Et lib. 83. Q. Q. 46. inquit. Non niſi puræ animæ ad illas pertingunt: ergo requiritur talis ſpecialis illuſtratio. Reſp. Quære. At nota, quod eſt puritas intellectus, & voluntatis. Aug. loquitur de illa, & non de iſta. Puritas intellectus triplex; magna, maior maxima. Magna, quando intellectus abſtrahitur à ſenſibilibus ſpeciebus. Maior, quando intellectus abſtrahitur à phantaſticis imaginationibus. Maxima, cum intellectus

naturali ratione, vel cognitione abſtrahitur à phiſicis rationibus, & ſolum methaphiſicis conæret. Et in Theologia puritas maxima eſt: dum abſtrahitur ab omni ratione naturali. Puritas quoque voluntatis triplex, magna, maior, & maxima. Magna, quando voluntas caret culpa. Maior, quando nulla culpæ ſequela voluntati cohęret. Maxima, quando voluntas caret culpæ occaſionibus.

22. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 3. Q. 4. ad V. dicit. Ab Eſſentia diuina ſumuntur principia tam practica, quam ſpeculatiua. Nam, eſt primum principium rerum ſpeculabilium, & vltimus finis practicarum. Oppoſitum habet vbique Scotus 4. Prol. Q. vbi vult, quod practica, & ſpeculatiua diſtinguuntur ab obiectis, ergo non poſſunt eſſe circa idem obiectum.

Lucas. Reſp. De eodem obiecto, alio, & alio modo conſiderato, poteſt eſſe ſciẽtia practica, & ſpeculatiua; & ſic non inconuenit practicum, & ſpeculatiuum eſſe circa idem. Et id ait Scotus 4. Prol. Q. Oportet venire ad ſpeciales rationes obiectorum: ſicque eſt Methaphiſica ſpeculatiua, & Theologia practica; alia tamen, & alia conſideratione. Rurſus. Non eſt inconueniens ab eodem obiecto ſimpliciter illuſtrato ſumi, tam principia practica, quam ſpeculatiua. Practica dirigit ad dilectionem illius, vt vltimi finis: ſpeculatiua ſtat in conſideratione abſoluta illius Eſſentiæ.

23. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 3. Q. 4. ad V. dicit. Notitia in verbo eſt perfectior notitia, quæ habetur in genere proprio. Id quoque habet 3. Prol. Q. & lib. 3. d. 14. Q. 3. Oppoſitum huius habet Scotus eamet Q. 4. d. 4. lib. 1. ad O. vbi ait. Cognitio diffinitiua pertinens ad intellectum ſimplicem eſt perfectiſſima, & in illa videtur compleri omnis notitia intellectualis.

Lucas. Reſp. Vigerius propoſito dubio ſic dicit. Scoti dictum. Notitia eſt perfectior, & purior in Eſſentia, quam in genere proprio, ſic debet exponi. Hoc eſt. Meliori modo cognoſcere ſimpliciter, at non nobiliori modo reſpectu huius ſcibilis. Hæc ſententia parum valet. Nam in mente diuina, ſi viderem conceptum animalis rationalis, perfectiſſimè diffinirem hominem: & ſic reſpectu huius ſcibilis perfectius cognoſcerem, quam per diffinitionem datam in genere proprio. Idcirco, aliter poteſt reſponderi. Dictum Scoti ſic debet intelligi proportionabiliter. Notitia diffinitiua in verbo eſt perfectior notitia diffinitiua in genere proprio; & notitia quid nominis in verbo eſt perfectior notitia quid nominis in genere proprio. Vel dicas. Non rectè poteſt fieri comparatio inter huiuſmodi notitias in verbo, & in genere proprio, cum ſint diſtinctæ ſpecie; & omnis comparatio fiat in ſpecie ſpecialiſſima. Rurſus. Conſule Scotum lib. 4. d. 1. Q. 1. ad Q. & R. & optimum habebis concilium huic apparenti oppoſitioni.

Tertia diſt. Quæſt. quinta lib. primi.

1. *Iacobus.* SCOTVS lib. 1. d. 3. Q. 5. ad A. dicit. Creatura non repræſentat Deum niſi ſecundum conceptus com munes, & non ſecundum conceptus ſpeciales, ſcilicet ſpeciei ſpecialiſſimæ. Oppoſitum huius habet

bet lib. 1. d. Q. 1. ad A. vult contra Henr.& Thom. quod Deus cognoſcatur in aliquo conceptu proprio, & quidditatiuo, & Q. de Veſtigio vult Veſtigium repræſentare appropriata perſonis, quæ ſoli Deo conueniunt.

Lucas. Reſp. Dum dicit Scotus Q. de Veſtigio. Deus non cognoſcitur in conceptu ſpeciali quidditatiuo, loquitur ad hominem: arguit enim in Diuum Thom. qui ſic opinatus eſt. Item Scotus non negat Deum cognoſci in conceptu quidditatiuo, ſed non cognoſcitur in conceptu ſpecifico, non enim datur talis conceptus ſpecificus, in quo conueniant Deus, & creatura. Thomiſtæ autem volunt, quod per veſtigium repræſentans tãtum aliquid confuſe ſub ratione ſpeciei, Deus cognoſcatur; non ſic autem vult Scotus. Vnde nota quatuor poſſe cognoſci de Deo per creaturas. Primum, per creaturas cognoſcuntur prædicata traſcendentia, quibus conuenit cum creaturis. Secundo, cognoſcuntur prædicata propria (habita tamen ex communibus) quæ ſunt propria Deo, & communia tribus perſonis. Tertio, cognoſcuntur appropriata perſonis, vt ſcientia, ſapientia & c. Quarto, cognoſcuntur propria perſonarum, vt generare, generari, & ſimilia. Quo ad primam cognitionem, creatura non eſt vmbra, nec veſtigium, nec Imago. In ſecunda cognitione, creatura eſt vmbra. In tertia eſt veſtigium. In quarta eſt imago. Sicque veſtigialis cognitio de Deo, non eſt prima, ſed alias præſupponit. Et veſtigium ſicuti, & imago ſunt credita; illud poteſt eſſe in omni creatura, hæc verò tantum in creatura rationali. At veſtigium, & imago amplius conueniunt, & differunt. Primo, ſicut veſtigium diſtinguitur ab eo cuius eſt veſtigium, ita, & imago ab eo cuius eſt imago. Secundo, vtrumque eſt aptum nos conducere in cognitionem illius, cuius eſt veſtigium, & cuius eſt imago. Tertio, tam veſtigium, quam imago ex natura ſua, magis non repræſentat vnum, quam aliud ſibi ſimile indiuidum; His modis imago, & veſtigiũ conueniunt. At differunt. Primo. De ratione veſtigij eſt ab eo cuius eſt veſtigium cauſatum eſſe, non ſic requiritur in imagine. Secundo. Veſtigium ducit in cognitionem incomplexam veſtigiati, & complexam. Nam denotat propoſitionem contingentem, ſuam nempe cauſã tranſijſſe hinc, non ſic autem imago. Tertio. Veſtigium primo, & immediatè ducit in cognitionem partis, & mediatè totius: imago verò primo, & immediatè ducit in cognitionem totius, & non mediante parte. Nota, dum dico. Imago ducit immediatè in cognitionem totius, non intelligo, quod ducat in primam cognitionem, ſed rememoratiuam rei habitualiter notæ. Hoc modo, Veſtigium, & Imago ducunt nos in cognitionem veſtigiati, & imagati. Dices. Statua Cæſaris ducit me in cognitionem primam Cæſaris. Reſponſionnem quære.

2. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 3. Q. 5. ad A dicit. Ex Veſtigijs cognoſcitur veſtigiatum. Oppoſitum huius habet eadem Q. & alibi, vbi dicit. Veſtigium eſt ſimilitudo partis, at non poteſt cognoſci ſimilitudo partis, niſi cognita illa parte, & pars non cognoſcitur niſi præcognito toto, ergo per veſtigium non cognoſcitur veſtigiatum, cum præcognoſcatur.

Lucas. Reſp. Abſolutum veſtigij eſt illud quod præcognoſcitur in ſe, & deinde cognoſcitur, quod eſt ſimilitudo partis, præhibita cognitione partis in ſe, at quia illa eſt pars totius (habita cognitione partis) poteſt quis argu-

arguitiuè deuenire in cognitionē totius: hoc modo per veſtigium cognoſcitur veſtigiatum, prius tamen ignotum. Dices. Veſtigium eſt pars, quomodo eſt cauſa cognitionis totius, cum totius cognitio ſit perfectior cognitione partis? Reſp. Cognitio partis non eſt cauſa cognitionis totius, at cognita parte, intellectus inclinatur ad cognoſcendum totum, cuius eſt pars: ſed cognitio totius aliunde cauſatur, ſicut cognitio effectus non eſt cauſa cognitionis cauſæ. Verum, cognito effectu, mouetur intellectus ad cognoſcendam cauſam, & ſic cognitio cauſæ cauſatur aliunde, quam ab effectu.

3. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 3. Q. 5. ad B. dicit. Tertius modus relatiuorum differt à primo, & ſecundo per non mutuam relationem. Id etiam habet lib. 1. d. 30. reſp. ad Q. 1. & eadem d. ſolu. arg. 2. Q. habet hæc verba. Ex hoc præciſe diſtinguntur relationes primi, & ſecundi modi à tertio modo relationis. Id etiam habet d. 35. primi, & 13. Quol. & huic fauent verba Ariſt. 5. Methaph. 20. Ad aliquid ſunt, &c. Oppoſitum huius habet Scotus 5. Methaph. Q. penult. vbi dicit. In hoc patet, (loquendo de modis relatiuorum) quod iſte modus diſtinguitur à primo, & à ſecundo non per mutuam, vel non mutuam relationem, ſed per fundamenta, alia, & alia, vt patet.

Lucas. Reſp. Diſtinctio iſtorum modorum relatiuorum dupliciter inueſtigari poteſt. Primo effectiuè, & extrinſecè, & ſic diſtinguuntur per fundamenta pro quibus applicantur. Id etiam ſentit Franc. dicens. Relationes tantum diſtingui, vel penes fundamenta, vel terminos. Secundo, intrinſecè, & formaliter, & ſic diſtinguuntur per mutuam, & non mutuam dependentiam. Poteſt etiam reſpondere, Scotum in Methaphiſica communiter locutum fuiſſe: in ſententijs autem ſecundum mentem propriam. Expende. Veſtigium, vel capitur formaliter, & ſic eſt reſpectus; aut fundamentaliter, & ſic eſt creatura ipſa dependens, aut pro agregato, & ſic capitur communiter à Scoto. Dices. Quomodo igitur diffinitur? Pro fundamento, aut tantum deſcribitur.

4. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 3. Q. 5. ad D. dicit. Omnis reſpectus creaturæ ad Deum pertinet ad tertium modum relatiuorum. Oppoſitum huius habet Scotus vbique, ac patet ad ſenſum. Nam reſpectus effectus ad cauſam eſt ad Deum, eſtque tantum in ſecundo modo relatiuorum.

Lucas. Reſp. Non vult, quod omnis reſpectus creaturę ad Deum ſit menſurati ad menſuram, conſequenter de tertio modo relatiuorum: ſed quantum ad id, quia nulla relatio creaturæ ad Deum eſt mutua; & omnis reſpectus talis eſt in tertio modo relatiuorum.

5. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 3. Q. 5. ad D. (ponens veſtigium non in ſolis reſpectibus, ſed in aliquibus abſolutis) ait. Vnitas eſt perfectio abſoluta. Oppoſitum apparet ex Scoto, & Ariſt. Nam vnitas eſt paſſio entis, conſequenterque eſt relatio aptitudinalis.

Lucas. Reſp. Scotus non capit vnitatem pro paſſione entis, at pro materia ipſa que in ſe eſt vna, & eſt perfectio abſoluta, & non relatio actualis, ſicut ordo. At nota, quod veſtigium aut conſiſtit in vnitate, ſpecie, & ordine, & tunc duo includit abſolutam vnitatem, ſcilicet, & ſpeciem, & alteram reſpectiuam videlicet. Ordinem. Et ſi ſpecies importet accidentia realiter diſtincta à ſubſtantia, & ordo operationem ſubſtantiæ: hoc modo in omni creatura non eſt veſtigium Trinitatis. Nam in omni creatura non ſunt hæc tria realiter diſtincta, vt patet in accidentibus

ſeptem

ſeptem prædicamentorum vltimorum, ſed tantum in indiuiduis erit prædicamenti ſubſtantiæ. Si autem veſtigium includat vnitatem, veritatem, & bonitatem, ſolum abſoluta includit: & hęc cum formaliter ſint diſtincta inter ſe, & non realiter: hoc modo veſtigium eſt in omni indiuiduo cuiuslibet prædicamenti. Sed pro notitia huius veſtigij. Octo modi Trinitatis veſtigiorum à doctoribus aſſignantur. Prior eſt, in numero pondere, & menſura. Sap. 11. Alter eſt, quia creatura facta eſt in vnitate, veritate, & bonitate. Tertius eſt, modus, ſpecies, & ordo, & eſt creaturæ in eſſe perfecto. Quartus eſt, ſubſtantia, forma, & virtus: eſtque creaturæ, vt eſt in diſpoſitione ad operandum alias operationes, ab intellectione, & volitione. Quintus eſt, eſſe, virtus, & operatio, quem ponit. Dion. lib. de Angel. Hierar. & eſt creaturæ, vt eſt ſub actuali operatione, ab intellectione, & volitione. Sextus, in creatura, vt eſt ſub proxima diſpoſitione ad operationem ſpiritualem, eſſentia ſpecies, & ratio: per eſſentiam intelligit naturam, per ſpeciem, potentias animæ, per rationem intellectum: & illum modum poſuit Mercurius. Septimus eſt, quando conſideratur creatura ſub actuali operatione ſpirituali, & ponitur ab Aug. lib. 83. Q. Q. 18. quod conſtat, quod congruit, & quod diſcernit. Octauus, quando creatura ſimul eſt in cognitione, & affectione, & aſſignatur à Dion. lib. de d. Nom. Exemplaris, Pulcra, & Delectabilis. Exemplaris refert Patrem, Pulcra Filium, Delectabilis Spiritum ſanctum. Ponitur tandem nonus modus à Bonau. Materia, Forma, & Compoſitum. Materia Patrem, Forma Filium, Compoſitum ſanctum refert Spiritum. Materia eſt principium omnium generationum, & Pater eſt principium generationis diuinæ. Forma dat eſſe, & Filius eſt per quem omnia facta ſunt. Et ſicut Compoſitum eſt ex Materia, & Forma, ſic Spiritus ſanctus ex Patre, & Filio. Tandem conclude, quod (propriè loquendo) in nulla creatura eſt veſtigium Trinitatis, huius ratio eſt. Nam veſtigium propriè repreſentat partem, & per partem totum. In diuinis autem non eſt propriè, nec pars, nec totum.

6. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 3. Q. 5. ad K. dicit. In primo inſtanti naturæ eſt ens, quod eſt ipſum eſſe, ſcilicet Deus. In ſecundo eſt lapis ens ratū abſolutum. In tertio eſt ipſa participatio: at in d. 2. primi Q. 2. clarius id ait. Primo eſt abſolutum in cauſa. Secundo abſolutum in effectu. Tertio reſpectus abſoluti ad cauſam in effectu. Quarto eſt reſpectus cauſæ ad effectum. Oppoſitum huius habet. Ariſt. in prædicamen. cap. de ad Aliquid. vbi ait. Relatiua ſunt ſimul natura: ergo, & in tertio ſigno ſimul debent exurgere illi duo reſpectus, & non vnus in tertio, & alter in quarto ſignis.

Lucas. Reſp. Franc. à Lych. ſuper d. 2. lib. 1. Q. 2. ſic exponit. Vnus reſpectus non eſt poſterior altero origine, nec natura, nec duratione. At Scotus tantum vult, quod poſito aliquo abſoluto ab aliqua cauſa ſtatim de neceſſitate naturę conſurgit relatio, quę terminatur ad abſolutum in cauſa, itaquod quaſi prius intelligitur relatio effectus ad cauſam, quàm econuerſò. In eodem enim inſtanti, in quo eſt vnus reſpectus, in eodem eſt alius, ſi cauſa ſit apta nata referri relatione reali. At clarius dici poteſt. Si reſpectus ille exurgeret ex natura rei, certè ſunt ambo ſimul in eodem ſigno. Si autem vnus tantum ex natura rei, & alter ſit ſolum per intellectum; tunc reſpectus realis eſt in tertio ſigno, &

reſpectus

reſpectus per intellectum eſt in quarto ſigno: vt videre eſt apud Peritos.

7\. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 3. Q. 5. ad F. citans pro Henr. dictũ Simplicij ſuper Prædic. ait, Eſſe in, non conſtituit aliqua prædicamenta, ſicut eſſe ad. Videtur trahi habitudo relationis ad terminum, eſſe eſſentialis, non autem illa, quæ eſt à fundamento. Idque aperte ait Scotus lib. 2. d. 1. Q. 3. Reſp. ad 3. argumentum Henrici. Vbi comparat habitudinem relationis ad fundamentum, ad habitudinem quantitatis, ad ſuum fundamentum, quæ non eſt de eſſentia quantitatis, ergo nec illa eſt de eſſentia relationis. Oppoſitum huius habet Scotus lib. 4 d. 12. Q. 2. ſolu. 3, argum. vbi ait. Dependentia relationis ad fundamentum eſt eſſentialis, ita quod non poteſt eſſe ſine eo relatio rationis.

Lucas. Reſp. In via Scoti poteſt defendi vtramque habitudinem fore æquè primo eſſentialem. At nota, in fundamento relationis alia eſt ratio fundamenti, & alia eſt ratio ſubiecti. Habitudo relationis ad ſubiectum ſub ratione ſubiecti in quantum, ſcilicet relatio eſt accidens, eſt in ſecundo modo dicendi per ſe, & ſe accidens, & ita loquitur Scotus l. 2. loco citato, Et Iriar c. lib. 1 d, 26. Q. 5. & lib. 4. d. 12. Q. 7, Verũ habitudo eius ad fundamentum, ſub ratione fundamenti, eſt æquè ſibi eſſentialis, ſicut eius habitudo ad terminum. Et id dicit Scotus lib. 4. iam citato. Nam non minus implicat contradictionem, relationem eſſe ſine fundamento, quam eſſe ſine termino, ergo ſi vna ſit eſſentialis, & alia. Dices. Ariſt. 5. Meth. & in Prędicamentis diffiniuit relationem per eſſe ad, & non per eſſe in, ideſt ad terminum, & non ad fundamentum. Reſp. Ariſt. intellexit exemplificare id, quod declaratione non erat notum, ſcilicet, quod eſſet ad aliud, quod autem in àlio erat ſatis, erat notum. Nam id quoque conuenit accidentibus abſolutis, de quibus minus videtur, & eis conuenit in ſubiecto eſſe: ſed non in fundamento: vtrumque verò conuenit relationi. Pari modo dicas ad auctor. Simplicij ſupra adductã. Dices etiam. Si vtraque habitudo eſt de eſſentia, ergo relatio eſt ens per accidens; nam aliqua duo non poſſunt facere vnum per ſe, niſi vnum ſit potentia, & alterum actu, 8. Meth. vult. Hæ verò duæ habitudines non ſe habent vt actus, & potentia. Reſp. hęc argumentatio peccat ex falſa imaginatione, nam non ſunt duæ habitudines fundatę in relatione, at eſt vna fundata in fundamento, & terminata ad terminum, cui ęquè eſſentiale eſt fundari, ſicut terminari.

8\. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 3. Q. 5. ad G. dicit. In argumento ducente ad impoſſibile, & concluſio debet eſſe ęquè, vel magis impoſſibilis, quam præmiſſę. Idque elicitur ex Ariſt. 2. Priorum cap. 21. & 1. poſt. t. 42. Oppoſitum huius habet Ariſt. 4. Meth, 9. vbi ſic arguit contra negantes principium. Si primum principium non eſt verum, ergo contraria poſſunt eſſe ſimul vera; & tamen hæc concluſio non eſt magis, nec æquè impoſſibilis, quam ſit antecedens.

Lucas. Reſp. Dum Scotus ait. Concluſio debet eſſe æquè, vel magis impoſſibilis, debet id intelligi in ſe, & abſolutè, at non quantũ ad Aduerſariũ ſic acceptantem. Etiam verum eſt, quando fit argumentum oſtenſiuum (& ſi ſit ad impoſſibile) ſed non quando fit topica quædam perſuaſio, vt eo loci facit Ariſt. vel dic, & melius, ſicut reſpondet Scotus lib. 1. d. 3. Q. 4. ad M. vbi optimè huiuſmodi rem declarat.

Scotus

9. *Iacobus*. Scotus lib. 1. d. 3. Q. 5. ad G. dicit Methaphiſica, quę eſt de quidditatibus non eſt magis ſcientia, quam ſi eſſet de figmetis, non intelligibilibus propter contradictionem incluſam in eis. Idque inducitur à Scoto pro impertinente in Henr. Oppoſitum huius habet Ariſt. 4. Meth. vbi vult negationes, priuationes, fictitia, & huiuſmodi talia intelligi, in quantum habent aliquo modo, attributionem ad ens.

Lucas. Reſp. Figmenta, ſeu commentitia vllo pacto ſunt ſunt intelligibilia intellectione ſimplicis intelligentiæ, ſeu formaliter. Vt verò reducuntur ad ens, ſeu fundamentaliter poſſunt intelligi. Nam formaliter, hæc eſt falſa. Chimera eſt chimera. Dices. Ariſt. 1. Prior. inquit. Sillogiſmus ex præmiſſis oppoſitis eſt impoſſibilis: at ſic, nulla chimera eſt chimera, omnis chimera eſt chimera. Hęc conluſio ex oppoſitis eſt ergo ſua contradictoria erit neceſſaria, ſcilicet chimera eſt chimera. Reſp. Eſt verum de ſillogiſmo vbi termini non habent rationem in ſe falſam, veluti eſt in propoſita argumentatione. Dices adhuc. Contradictoria ergo erunt vera de eodem, ſcilicet nulla chimera eſt chimera. Dico, Primum principium verificari non valet, niſi in ente reali, quod eſt ſubiectum primi principij, quale non eſt chimera: bene tamen poſſunt in his commentitijs formari propoſitiones contradictorię, non ratione terminorum, ſed ratione modi enunciandi.

10. *Iacobus*. Scotus lib. 1. d, 3. Q. 5. ad G. dicit. Similiter, quod dicit de figmentis, quod figmenta habent genus, & differentiam. Falſum eſt, quia omne tale, habet in ſe rationem in ſe falſam, & includit contradictionem, Oppoſitum huius habet Scotus in Prędicamen. vbi vult, quod entia rationis, figmenta, negationes, & priuationes habeant inter ſe ſuperius, & inferius, ſimiliter genera differentias, & ſpecies.

Lucas. Reſp. Scotus in Logicis locutus eſt, vt plures. Ruſus in illa. Q. Prędicam. 11. id videtur inſinuare quod dictum eſt; non expreſſe poſuit omnia, quæ dicta ibi topicè ſunt enarrata. Etiam ſicut negatio habet diſtinctam formalitatem ab affirmatione, ideſt habet diſtinctam formalitatem, eo modo, quo eſt ibi formalitas, ita dicatur de huiuſmodi commentitijs; eo modo, quo habent genera, & differentias, at ex hoc non infertur, quod ſimpliciter habeant genera, & differentias.

11. *Iacobus*. Scotus lib. 1. d. 3. Q. 5. ad H. dicit. Omnis reſpectus habet aliquid in quo fundatur, quod ſecundum ſe non eſt ad aliud. Oppoſitum huius habet Scotus lib. 1. d. 19. & 3. Quol. vbi vult proportionalitatem fundari ſuper proportionem, ſicque relatio fundatur in relatione, ergo non omnis reſpectus habet fundamentum abſolutum.

Lucas. Reſp. Scotus 3. Q. Quol. & lib. 1. loquitur de fundamento, aut proximo, aut ſaltim remoto, ſeu de fundamento vltimato.

12. *Iacobus*. Scotus lib. 1. d. 3. Q. 5. ad H. dicit. Abſolutum prius naturaliter poteſt cauſare cauſationem, quam reſpectus, quia formalis ratio cuiuſlibet termini primi producti non eſt neceſſario reſpectus. Oppoſitum huius elicitur à Scoto pluribus in locis; talique ratione conſtat. Nam relatio tunc eſſet in aliquo priori, quo non eſſet terminus, quia cauſa quando cauſat eſt prior natura effectu. Et relatio cauſæ ad effectum eſt ſimul natura cum relatione effectus ad cauſam.

Lucas. Reſp. Generatio, cauſatio, actio, & ſi qua ſunt ſimilia, dupliciter poſſunt percipi, aut vt ſunt de genere relationis, ſeu vt ſunt de genere actionis. Primo modo ſūt relationes intrinſecus aduenientes, & ſeqūtur abſolu-

tum in effectu. In primo inſtanti eſt cauſa. In ſecundo inſtanti eſt effectus. In tertio ſequitur talis reſpectus. Secundo modo ſunt relationes extrinſecus aduenientes, & præcedunt abſolutum in effectu. Caue Franc. lib. 1. d. 32. Q. 3. art. 2. qui tenet contra Scotum, actionem de genere actionis ſequi effectum. At eius motiuis ſuperius fecimus ſat. Dices. Si prius ponitur effectus, quam reſpectus ad cauſam. Quęro in illo priori, vel tale abſolutum, eſt cauſatum, vel non, ſi primo modo. Ergo includit reſpectum cauſati; ſi ſecundo modo, ergo erit incauſatum, & independens. Reſp. In illo priori abſolutum illud eſt fundamentaliter cauſatum, & fundamentaliter dependens, ideſt in illo priori eſt fundamentum reſpectiuum reſpectus. Dices amplius. In Deo eſt vera generatio, & tamen prius non terminatur ad abſolutum, quam ad relatiuum. Reſp. Dictum Scoti intelligitur de cauſato ſeu genito, quod eſt ens ad ſe, modo perſona in diuinis eſt relatiua formaliter. ſi teneatur conſtitutio in eſſe formali per relationem. Vel dic. Scotus loquitur de eo quod terminat cauſationem, perſona vero diuina non poteſt terminare cauſationem, nam in diuinis ad intra nulla eſt cauſatio. Expende & ſi in diuinis, genitum ſit reſpectiuum, formalis tamen terminus illius generationis eſt abſolutum, nimirum eſſentia, vt docet Scotus lib. 1. d. 5. Q. 2. & 1. Q. Quol.

13. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 3. Q. 5. ad M. dicit. Per veſtigium diſtinctè inueſtigatur illud cuius eſt imago, ſcilicet pars totius. Oppoſitum huius habet Scotus loco citato, vbi ſubnectit, ſed totum non inueſtigatur, niſi indiſtinctè, & arguitiuè ſicut totum cognoſcitur ex parte. Si enim cognoſco diſtinctè partem, ſequitur ſtatim, vt cognoſcam ipſum totum diſtinctè.

Lucas. Reſp. Quando dicit Scotus. Diſtinctè cognoſcitur pars, non intelligit diſtinctè in ſe concipi partem, at ponit per veſtigium diſtinctè partem per ſe inueſtigari, ideſt veſtigium eſt naturalis ſimilitudo talis partis etiam confusè acceptæ, & non eſt ſimilitudo totius, cuius eſt talis pars. Admiſſo etiam, quod pars cognoſcatur diſtinctè, non valet inferri totum diſtinctè cognoſci. Nam ſi diſtinctè cognoſcam pedem, & diſtinctè ſciam pedem non eſſe totum; ob id non ſequitur, quod cognoſcam diſtinctè in ſe totum. Cognoſcere enim totum diſtinctè eſt cognoſcere illud ſecundum omnes partes. Deinde quando dicitur, per veſtigium diſtinctè, &c. Non capitur à Scoto diſtinctè, vt diſtinguitur contra confuſum, at accipitur diſtinctè, ideſt certè, vt accepit diſtinctè 1. Prol. Q. Omni agenti per cognitionem eſt neceſſaria diſtincta cognitio ſui finis; & ſic euaneſcit omnis difficultas. Hinc nota: cum veſtigium ſit, ſecundum Scotum, in qualibet eſſentia creata, dubium eſt quomodo ſit in relationibus. Poteſt dici. Nulla relatio eſt creata à Deo, cum ad aliquid non ſit motus, & conſurgat ad poſitionem extremorum. Præterea: quamuis relatio non ſit veſtigium Trinitatis quantum ad omnem aſſignationem. Nam ſecundum illam aſſignationem, quę eſt vnitas, ſpecies, & ordo, relatio non eſt veſtigium: tamen poteſt dici veſtigium nempè, vnum, verum, & bonum. Sicque intelligitur dictum Scoti. In qualibet entitate creata eſt veſtigium.

Tertia diſt. Quæſt. ſexta, lib. primi.

1. *Iacobus.* SCOTVS lib. 1. d. 3. Q. 6. in titulo Q. præſupponit memoriam eſſe in parte intellectiua propriè ſumpta. Oppoſitum huius habet Scotus in 4. d. 45. per totum, & in reſp. ad 1. princip. vbi vult memoriam eſſe in parte ſenſitiua.

Lucas. Reſp. Memoria dupliciter ſumitur; propriè, & ſic eſt in parte intellectiua: & impropriè, & ſic poteſt eſſe radicaliter, & originaliter in parte ſenſitiua. Nota. Memoria differt ab intelligentia ex Aug. 15. de Trin. cap. 2. Memoriæ tribuentes, quod ſcimus, ſi non inde cogitemus, Intelligentiæ propriȩ modo quodam tribuentes cogitationis informationem. Ex quo nihil intelligimus, niſi per intelligentiam. Amplius aduerte; quod memoria capitur tripliciter: quandoque pro intellectu, vt eſt conſeruatiuus ſpecierum præteritarum: & de ea ſic loquitur Ariſt. lib. de memoria, & remin. Et Scotus lib. 4. d. 45. Q. 3. Aliquando, pro intellectu conſeruatiuo ſpecierum obiecta repræſentantium in ſe, ſiue ſint realiter, ſiue non; ſic loquendo de memoria, oportet ponere ſpeciem in intellectu ſub ratione memoriȩ: tum propter vtilitatem: tum propter potentiæ dignitatem. Tandem capitur memoria pro intellectu habente aliquod principium eliciendi aliquam notitiam actualem.

2. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 3. Q. 6. ad M. dicit. Species ſenſibilis non recipitur in toto organo, ſed in illa parte corporis, quam perficit potentia organica. Oppoſitum habet Ariſt. 2. de anima 61. De ſenſu, & ſenſato, in principio. Et Scotus 9. Quol. ar. 2. Et lib. 4. d. 19. Q. 7. & d. 43. Q. 2. & d. 49. Q. 14. & lib. 2. d. 8. vbi vult ſenſationes non recipi in organo, nec in anima, ſed tantum in toto compoſito ex vtriſque.

Lucas. Reſp. Magnum diſcrimen eſt inter ſenſationem, & ſpeciem ſenſibilem; nam ſenſatio eſt actus potentiȩ, ſpecies verò ſenſibilis eſt entitas, quæ dependet à ſuis cauſis tantum in fieri, ſicuti actus dependet in fieri, & in facto eſſe. Hinc ſenſationes recipiuntur in organo, ideſt in toto cõpoſito ex organo, & anima; ſpecies verò ſenſibilis recipitur in organo, ideſt potentia, ſic, & ſic mixta: & ideo non eſt idem obiectum ſenſationis, & ſpeciei ſenſibilis, & ſi in parte intellectiua ſit idem ſubiectum intellectionis; ſpeciei intelligibilis. Idque intelligitur de ſenſu interiori & exteriori.

3. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 3. Q. 6. ad N. dicit. Species intelligibilis non videtur deleri ſicut ſpecies ſenſibilis. Idque habet lib. 4. d. 45. Q. 3. vbi vult, quod anima ſi parata omnium, quæ nouit in vita, recordatur, cum retineat eorum ſpecies. Oppoſitum huius habet Ariſt. lib. de mem. & rem. vbi dicit. Memoria, reminiſcentia, & obliuio ſic differunt. Memoria eſt quorum ſpecies in integrum ſunt reſeruatæ. Reminiſcentia eſt quorum ſpecies ſunt valde remiſſæ, quamuis non totaliter corruptæ. Obliuio verò eſt quorum ſpecies totaliter ſunt corruptæ, ergo ſpecies non ſunt indelebiles.

Lucas. Reſp. tenent Scotiſtȩ communiter ſpecies eſſe intelligibiles, quod etiam admittit Boet, ſcilicet, de Conſolatione pro. 5. & Them. 3. de anima.

Ad Ariſt. dico. Tota obliuio debet referri ad ſenſum, & non ad intellectum. Species enim in ſenſu poſſunt deleri, & ſic ſit obliuio, vt ait Scotus in 4. d. 45. Q. 3. & Franc. lib. 1. d. 3. Q. 10. Dices. Scotus lib. 4. d. 45. Q. 1. fol. 1. prin. ſic dicit. Ad primum dico, quod illa auct. 3. de anima, debet intelligi quo ad acquiſitionem intellectionis, & hoc primum, & primè, at quo ad vſum non eſt intelligendum. Et ratio eſt; quia intellectus poteſt vti forma prius acquiſita, licet illa non habeantur, quæ prius neceſſaria erant ad acquirendam illam formam; nec ſic ſenſus, loquendo de ſenſu exteriori, poteſt vti aliqua forma, prius acquiſita, quia non eſt conſeruatiuus ſpeciei prius receptæ ad poſterius operandum. Hęc Scotus qui lib. 1. d. 3. Q. 4. in corp. Q. ad D. ait etiam ſic. Reſp. quod intellectus non habet ſenſum pro cauſa, ſed pro occaſione, quia intellectus non poteſt habere notitiam ſimplicem, niſi acceptam à ſenſibus, illa tamen accepta, poteſt virtute propria componere ſimplicia, & ſi talis notitia ſit euidens, poteſt intellectus virtute propria, & non ſenſus virtute, aſſentire illi complexioni; & ſi ratio totius, & maioritatis, accipiantur à ſenſu, & intellectus cōponat iſtam, Omne totum eſt maius ſua parte, intellectus virtute ſui aſſentiet illi. Et parum poſt Scotus ſubdit. Dico, quod ſi omnes ſenſus eſſent falſi, à quibus accipiuntur tales termini, & quod plus eſt quod aliqui eſſent, veri, & aliqui falſi intellectus circa talia principia non deciperetur. Hæc Scotus. Idem ait 1. Methaph. Quæſt. 4. Et Antonius Andreas 1. Methaph. Quæſt. 5. idem tenet. Sicque vult Scotus à prima intellectione ſimplicium, ſine recurſu ad ſenſus, intellectum poſſe intelligere, componere, diſcurrere: ergo cauſa obliuionis, & reminiſcentiæ eſt aſſignanda aliunde; quam ex recurſu ad sēſus, & non iudico poſſe aliam aſſignari rationem, niſi quia ſpecies sūt delebiles, & amiſibiles, & in via Sco. ſic tenendum cenſeo: talique ratione oſtendo. Omne intenſibile, & remiſſibile eſt corruptibile, ſed omnes ſpecies sunt huiuſmodi, ergo ſunt corruptibiles. Min. eſt Franc. & à Scotiſtis conceditur, ſcilicet quod ſpecies intelligibiles sūt intenſibiles, & remisſibiles. Maior ſic patet. Nam non eſt maior ratio de vno gradu, quam de alio, ita eſt corruptibilis vltimus, ſicut primus. Id ſi teneatur quid ad Scotum lib. 4. d. 45. Q. 3. & lib. 1. d. 3. Q. 6? Dictum Sco. in 4. loco citato, ſoluitur illis Verbis ibi poſitis. Fortè, ſcilicet & videtur. Etiam; ſpecies ſenſibiles dupliciter corrumpuntur, ſcilicet ratione ſubiecti, & ſui: at ſpecies intelligibiles dicuntur indelebiles ratione ſubiecti, & non ratione ſui, ſicque indelebiles dicuntur ſermone reſpectiuo. Ad id, quod habet Scotus in 1. patet ex verbis Scoti benè ponderatis. Specieſ enim intelligibiles videntur indelebiles, & non delebiles, ſicut ſpecies ſenſibiles. Hec Scotus. Conſidera eius verba, & dic. Inſtabis. Scotus lib. 1. d. 3. Q. 6. & in Q. illo extra, dicit. Species intelligibiles ſunt indelebiles. Reſp. Scotus ibi comparat ſpecies ad actus, & vult, quod ceſſante actu, non propter hoc ceſſant ſpecies, at remanēt: & ſic vult ſpeciem eſſe indelebilem non ſimpliciter, ſed comparatiuè, ſcilicet ad actuum comparationem. Quæres. Actus intelligendi, cum habeat omnes conditiones, quas habet ſpecies intelligibilis, vnde eſt, quod ſpecies intelligibilis non eſt delebilis, & actus deletaur? Reſp. ſpecies eſt in facto eſſe, & actus ſemper eſt in fieri, & ſi non ſit eius ſucceſſiuum, ex hoc

actus

actus eſt delebilis, ſpecies non. Sed an ſpecies ſit inſenſibiles? Reſp. Sco. 1. Report. d. 3. Q. 4. Sic. Idem tenet lib. 1. d. 3. Q. 10.

4. *Iacobus*. Scotus lib. 1. d. 3. Q. 6. ad N. dicit. Species intelligibilis eſt virtualiter ſcientia, quia in obiecto, ſic præſente, concipitur virtualiter tota ſcientia cum tali ſubiecto, & addit. Species in qua reſoluitur quidditas, eſt ſcientia virtualiter. Oppoſitum habet Scotus eamet Q. parum infra, vbi ait. Species intelligilis eſt habitus, ſeu ſcientia formaliter.

Lucas. Reſp. Nulla eſt contradictio in dictis Scoti. Nam dum apellat ſpeciem intelligibilem ſcientiam virtualiter, eſt quia, cum repræſentat obiectum, & obiecti eſt continere virtualiter omnes veritates, &c. Et eſt habitus tunc præcedens actum, & dicitur ſcientia ab Aug. ſepe in lib. de Trin. & Ariſt. 3. de anima 37. Dum autem dicit, eam formaliter ſcientiam, eſt, quia eſt habitus cognitiuus, & qualitas manſiua in intellectu diſponens ad ipſum actum, & eſt formaliter ſubiectiuè in intellectu. Notandum; quod obiectum habet triplex eſſe, in ſe materialiter, in ſenſu interiori, & in intellectu. Scientia dicitur ab obiecto in tertio eſſe, & nullo modo á primo, nec à ſecundo eſſe, & à tertio eſſe menſuratur.

5. *Iacobus*. Scotus lib. 1. d. 3. Q. 6. ad O. dicit. Diſtinguendo de duplici primitate, perfectionis, ſcilicet, & generationis, quæ diſtinctio eſt Ariſt. 9. Meth. 15. Priora generatione ſunt poſteriora perfectione. Ad idque propoſitum aplicatur à Scoto ad rationem Gotfredi. Oppoſitum huius habet Scotus lib. 4. d. 49. Q. 14. ad C. & lib. 1. d. 28. Q. vlt. vbi ait. Cor prius alijs membris generatur in animali, & tamen non eſt imperfectius cæteris membris, quę poſterius generantur.

Lucas. Reſp. Vera eſt propoſitio Ariſt. aliquibus conditionibus ſeruatis. Debetq; limitari, vt ſuperius oſtendimus, & ad præſens dicimus. Primo, non habet veritatem comparando genus ad genus. Nam ſubſtantia præced. accid. generatione natura, & perfectione. Secundo, non habet veritatem in diuinis. Nam Eſſentia, & eſſentialia pręcedunt notionalia. Tertio, non eſt vera comparando ſubiectum ad paſſionem. Quarto, non valet comparando Deum ad alia entia. Quinto, non verificatur, quando priora, & poſteriora ſunt in eodem numero; at non quando ſunt in diuerſis numero. Sexto, non valet in proceſſu deperdituo, ſed tantum in acquiſitiuo: cuius duplicis proceſſus meminit Scotus lib. 2. d. 18. lib. 3. d. 21. Septimo, habet veritatem, quando illa priora ſe habent per modum potentiæ, & poſteriora per modum actus. Idque reſp. ad motiuum de corde, quod prius alijs membris generatur.

6. *Iacobus*. Scotus lib. 1. d. 3. Q. 6. ad O. dicit. Quando obiectum in ſe eſt præſens potentiæ, tunc non oportet ponere aliquid aliud, in quo obiectum ſit præſens. Ex quo infertur, in notitia intuitiua non requiri ſpeciem intelligibilem. Oppoſitum huius habet Scotus lib. 1. d. 3. Q. 9. & 10. ad D. vbi vult, quod in cognitione intuitiua ponatur ſpecies intelligibilis.

Lucas. Reſp. In notitia intuitiua non requiritur ſpecies intelligibilis, vt aliqua cauſa, at requiritur, vt effectus præuius ad effectum poſteriorem. Idque vult Scotus loco citato in ſecundo. Ponitur ſpecies intelligibilis, quia eſt naturalis effectus talis cauſę. Nam cauſa habens duos effectus ordinatos eſſentialiter, non cauſat poſteriorem, niſi prius cauſet priorem.

rem. Nota. Species intelligibilis non eſt ratio recipiendi actum intelligendi, ſicut ſuperficies reſpectu albedinis, cum non ſit ratio ſubiectiua. Quia tunc anima tantum intelligeret per accidens, & tantum per accidens beatificaretur.

7. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 3. Q. 6. ad P. dicit. Intellectus contingenter coniungitur potentijs inferioribus Oppoſitum huius habet Scotus eamet Q. ad M. vbi ait. Nihil intelligimus in vniuerſali, niſi cuius ſingulare phantaſiamur: ergo connexio intellectus cum potentijs inferioribus eſt neceſſaria, & non contingens.

Lucas. Reſp. Scotus quando ait. Non intelligitur vniuerſale, &c. Loquitur pro ſtatu iſto, & verificatur propter ordinem potentiarum. Cum autem dicit. Intellectus contingenter, &c. Loquitur de intellectu non pro ſtatu iſto, ſed in ratione potentiæ.

8. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 3. Q. 6. ad A. dicit. Vniuerſalitas eſt propria conditio obiecti, in quantum obiectum pręcedit actum intelligendi. Oppoſitum huius habet Scotus 1. Meth. Q. 6. & lib. 1. d. 3. Q. 4. vbi ait. Natura eſt ratio formalis agendi, & ſingularitas eſt conditio agentis.

Lucas. Reſp. Aliud eſt agere per modum potentiæ, & aliud eſt agere per modum obiecti. Primo modo requiritur ſemper ſingularitas, vt conditio agentis. At ſecundo modo, ſcilicet per modum obiecti, ſingularitas eſt conditio neceſſaria requiſita in actione materiali, ſed non in actione ſpirituali, ſeu intentionali, de qua loquitur Scotus hic in pręſenti Quęſt. Hęc gloſa admittitur etiam 1. Meth.

9. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 3. Q. 6. ad A. videtur dicere, quod ſpecies minus vniuerſalis non poteſt repręſentare magis vniuerſale. Eadem ſpecies manens non habet duas rationes repræſentatiuas. Idem dicit eamet Q. ad C. & ad E. ex quibus tribus auctoritatibus, colligunt multi Scotiſtę, magis vniuerſale non poſſe repręſentari per ſpeciem minus vniuerſalis. Oppoſitum huius habet Scotus lib. 1. d. 3. Q. 1. ad F. vbi ſic ait ſub dubio. Siuè vniuerſale, & minus vniuerſale cognoſcantur per eandem ſpeciem minus vniuerſalis: ſiuè vtrumque habeat ſpeciem intelligibilem ſibi propriam, &c. Vbi patet Scotum non ſe determinare.

Lucas. Reſp. Quid ſit circa hoc admittendum, probabilius in via Scoti ſuperius oſtendimus, vbi modum pręſtauimus vnam tãtum ſpeciem ſufficere. At vltra dicta addo & iſta. Scotus dum. Q. 6. d. 3. lib. 1. ait. Idem repræſentatiuum non poteſt plura repræſentare, loquitur de repræſentante ſingulare, & vniuerſale: ideo non eſt ad propoſitum de ſic repręſentare, & de ſpecie repræſentante magis vniuerſale, & minus vniuerſale. Nam primo modo intelliguntur repræſentabilia ſimpliciter diuerſarum rationum; ſecundo verò modo, minimè. Etiam. Scotus non negat præſenti Q. per ſpeciem minus vniuerſalis, non cognoſci magis vniuerſale, nec negat per ſpeciem intelligibilem ſingularis poſſe cognoſci vniuerſale: at ſolum negat per ſpeciem ſenſibilem exiſtentem in phantaſia ipſius ſingularis, non poſſe cognoſci vniuerſale. Dices. Quomodo magis vniuerſale poteſt eſſe pręſens intellectui, abſq; hoc, quod non ſit præſens minus vniuerſale, ſi non habet propriam ſpeciem diſtinctam à ſpecie minus vniuerſalis? Reſp. Quando ſunt duæ ſpecies ſimul in intellectu, quando vna mouet, alia non mouet, imo ſæpe debilior mouet, fortiori non mouente. Idque ex imperio voluntatis, aut ex fortius mouente ſenſum occurrente. Sic eſt in propoſito. Species

quæ

quæ eſt formale repræſentatiuum minus vniuerſalis,& virtuale repræſentatiuum magis vniuerſalis,poteſt repræſentare quandoque,id cuius eſt virtuale repræſentatiuum , non repræſentando aliud,hocque eſt ex imperio volũtatis, ſeu quia ſingulare eius fortius mouet,aut ex quouis alio ſic occurrẽte.Dices amplius . Species minus vniuerſalis repreſẽtabit minusvniuerſale diſtinctè,& magis vniuerſale incluſũ in eo indiſtinctè.At eadẽ ſpecies nõ poteſt repræſẽtare ſub his rationibus, ſ. diſtinctè,& indiſtinctè. Reſp. ſpecies nõ poteſt repræſẽtare ſub his rationibus primo & immediate,id quod repræſentat, at repræſentãdo aliquid primo poteſt illud diſtinctè repræſentare ; repræſentando verò incluſum in illo poteſt repræſentare id , quod ſecundariò repræſentat , in quo repræſentato illud primò repræſentabile aliquo modo continetur ſicut pars ſubiectiua in toto vniuerſali . Notandum . Duplex eſt repræſentatiuum obiecti intelligibilis , illimitatum , vt Eſſentia diuina, & id ob ſui illimitationem perfectiſſimè repræſentat quodcunque intelligibile , & ſi diuerſum , limitatum, & id eſt formale , vel virtuale ; formale,vt ſpecies intelligibilis reſpectu obiecti intelligibilis , virtuale, vt quodcunque continens aliam rem ſecundum ſuam eſſentiam : poteſt addi , repræſentatiuum eſſentiale , vt inferius , eſt repræſentatiuum eſſentialiter ſuperioris , cum id contineat .

10.*Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 3. Q. 6. ad C. dicit . Nihil recipitur in intellectu agente . Oppoſitum huius habet Sco. vbique , & accepit ab Ariſt. 9. Meth. 16. de actiuo, & factiuo. Actio remanet apud agentem, & factio tranſit. Si igitur actio intellectus agentis non recipitur , ergo erit in potentia factiua .

Lucas. Reſp.Intellectus agens diceretur virtus factiua,ſi produceret in alio ab eo realiter diſtincto , aliquid , at agens, & poſſibilis intellectus tantum diſtinguuntur ex natura rei . Rurſus. Virtus dicitur tunc factiua tantum quãdo agit extra ſuppoſitum,in quo eſt , ſic non eſt intellectus agens . Vel dic . Eſt virtus factiua ſecundum quid , non autem ſimpliciter .

11.*Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 3. Q. 6. ad C. ait . Terminus actionis intellectus agentis eſt vniuerſale in actu . Oppoſitum huius habet Scotus Eadem Q. parum infra dicens . Omnis actio realis habet aliquem terminum realẽ, & vnum , ſed vniuerſale in actu non eſt reale , ergo non poterit eſſe terminus intellectus agentis .

Lucas. Reſp. Vniuerſale eſt duplex , habituale , & actuale , habituale eſt ſpecies intelligibilis , actuale eſt vniuerſale relucens in ſpecie, ſpecies intelligibilis eſt quædam qualitas abſoluta cauſata ab intellectu agente , & phãtaſmate , & dicitur vniuerſale in actu , & eſt terminus realis actionis intellectus agentis , qui duplicem habet actionem , alteram ad terminum realem , quæ eſt ſpecies intelligibilis , & alteram ad obiectum relucens in tali ſpecie habens in ea tantum eſſe ſecundum quid , non quod ſit intentio ſecunda , ſed quia habet eſſe diminutum , & de hoc vniuerſali , habituali , & actuali,eſt verum dictum Auer. 3. de Anima 8. Intellectus agens eſt , qui facit vniuerſalitatem in rebus . Sed in via Scoti, a quo cauſatur vniuerſale in actu pro prima intentione ? Aliqui Scotiſtæ dicunt. Intellectus agens facit vniuerſalitatem in rebus. Hæc ſententia non videtur tuta . Nam ſic intellectus agens cauſaret intellectionem : cuius oppoſitum tenetur a Scotiſtis communiter . Eſt ergo alia Scotiſtarum opinio melior. Intellectus poſſibilis eſt qui cauſat vniuerſa-

uerſalitatem in rebus. Nam actio intellectus agentis terminatur ad ſpeciem intelligibilem, quam producit in intellectu poſſibili, & tunc intellectus poſſibilis primo eam intelligit, deinde eam à ſuis indiuiduis abſtrahit, & tunc fit vniuerſalis in actu, & potentia proxima de ſuis inferioribus poterit prędicari: idque fit ab intellectu poſſibili: & dum intelligitur, vt communicabile, & prædicabile, tunc eſt verè vniuerſale in actu, hancque vniuerſalitatem facit intellectus poſſibilis, & pro maiori intelligentia nota: quod vniuerſale, ſeu natura communis eſſe quadruplex habet, in re extra; in phantaſmate, in ſpecie intelligibili repręſentante naturam, & habet eſſe cognitum, in quantū intellectus poſſibilis virtute ſpeciei eam cognoſcit: nullumq; eorum quatuor eſſe natura eſt actu vniuerſalis, ſed poſtquam poſſibilis intellectus eam quidditatiue cognouit, abſtrahit eām ab inferioribus, qua facta abſtractione, ſtatim efficitur vniuerſalis in actu, & tunc potentia propinqua poteſt de ſuis inferioribus prædicari. Hæcque eſt Scoti vera opinio. Inſtabis Doctor ſubt. 7. Meth. Q. 16. declinat ad illam partem, ſcilicet intellectum agentem cauſare vniuerſalitatem in rebus. Eo loci inſecutus eſt opinione cōmunem, at lib. 2. d. 3. Q. 1. docuit ſuam opinionē etiam in Meth. eſt locutus ſecundum tenentes, quod intellectus agens ſit ille, qui cauſat intellectiones; idque communiter in ſcola ſua non defenditur. Dic etiam in Methaph. locutus eſt de vniuerſali habituali, quod eſt ſpecies intelligibilis, & in ſecundo de vniuerſali actuali.

12 *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 3. Q. 6. ad E. dicit. Phantaſma non eſt proprie niſi ſingularis, & hoc in quantum eſt ſingulare ſpeciei ſpecialiſſimę. Oppoſitum huius habet Scotus lib. 4. d. 5. Q. 2. concl. 9 vbi ſic ait. Nona concluſio eſt, quod in ſingularibus eſt ordo ſecundum ordinem vniuerſalium: ante enim quodcunque vniuerſale poteſt intelligi deſcendere in proprium ſingulare, quam contrahatur per differentiam aliquam ad aliquid inferius, tanquam ad ſpeciem; vt ſic habeamus ordinem iſtorum ſingularium: hoc ens, hæc ſubſtantia, hoc corpus, ſic deinceps vſque ad Sortem. Hęc Scotus. Ergo phantaſma erit repręſentatiuum ſingularis magis vniuerſalis.

Lucas. Reſp. Iſti difficultati lib. 1. ſatisfacit per hæc verba. Et hoc ſi phantaſma ſit debite ab aliquo approximato impreſſum, quomodo eſt tantum ſingulare ſpeciei ſpecialiſſimæ. Per id ſatisfit de viſo à remotis: nam prius videmus corpus, quàm animal, &c. Non ſunt enim in debita diſtantia: hinc eſt, quod non poſſent repræſentari à phantaſmate.

13 *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 3. Q. 6. ad E. In duabus rationibus contra Henr. & Gotfr. ſupponit animæ immortalitatem, quam aperte aſſerit. Oppoſitum huius habet Scotus lib. 4. d. 43. Q. 2. ad I. vbi ait. Ad animæ immortalitatem non ſunt rationes demonſtratiuæ, nec neceſſariæ. Et dubium eſt, circa id, quid Philoſophus ſenſerit: variè enim loquitur in diuerſis locis: & habuit diuerſa principia, ex quorum aliquibus videtur ſequi vnum oppoſitum, & ex alijs aliud. Vnde probabile eſt, quod in illa concluſione ſemper fuerit dubius, modo ad iſtam, modo ad illam partem declinando. Ex quo videtur Scotum in via Ariſt. non tenere animæ immortalitatem.

Lucas. Reſp. In via Scoti ſtabile ſemper fuit ex Ariſt. nunquam potuiſſe concludi animę immortalitatem. Sicque tenet Franc. lib. 1. d. 3. Q. 10. quando verò Scotus dicit lib. 1. Animam eſſe immortalem, rationes illæ ſunt

ad

ad Theologos, ſcilicet in Henr. & Gotfr. Et addit Franc. Conſequenterque rationes illę ſunt creditę. Si autem Henr. & Gotfr. tenuerunt, quod communiter tenent Theologi, ſcilicet in via Ariſt. Anima eſt immortalis, tunc rationes non ſunt tantum creditæ, ſed etiam phiſicæ; ſed non concluderent contra tenentes in via Ariſt. animam mortlem. Rurſus, Scotus locutus eſt communiter, cum non fuerit locus determinandi, An anima ſit mortalis, vel non, in via Ariſt. Idque determinauit lib. 4. poſtea loco citato. Et rationes in Henr. ſunt ad hominem, & etiam phiſicæ, vt dictum eſt. Et aduerte vnum, quod quãdo Ariſt. ait aliquid, quod ſit contra fidem, nega illum, vel ad bonũ, & chriſtianum ſenſum exponas.

14. *Iacobus.* Scotus l. 1. d. 3. Q. 6. ad G. ait. Non eſt ſimilitudo intelligibilis, circumſcripta omni alia ſpecie obiectum repræſentante. Ex quo patet Scotũ vellem ſpeciem tantum repræſentare obiectum. Oppoſitum huius habet Scotus lib. 1. d. 3. Q. 9. vbi ait. Eſt enim actus verè ſimilitudo obiecti & 14. Quol. Actus verius repræſentat obiectum, quam ſpecies. Nam actus repræſentat &c.

Lucas. Reſp. Actus verius repræſentat obiectum, ſub ratione cogniti, ſeu intellecti, & ſic verè repræſentat obiectum. Species verò repræſentat obiectum ſub ratione intelligibilis, & eſt pars memoriæ; & poteſt reducere potentiam de potentia eſſentiali ad potentiam actualem, vt exeat in actum, quod non poteſt facere actus ipſe.

15. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 3. Q. 6. ad G. ponit neceſſario ſpeciem intelligibilem, firmando id multis rationibus. Oppoſitum huius habet Ariſt. 3. de anima 14. vbi ait. Intellectus ante intelligere eſt ſicut tabula nuda, in qua nihil eſt depictum, ergo ante intelligere non datur ſpecies in anima.

Lucas. Reſp. Communiter Doctores, præter Occam. Henr. Gotfr. Baccon. quibus adheret Sueſs. admittunt vt neceſſariam ſpeciem intelligibilem. Fundamentis Henr. & Gotfr. & eorum motiuis ſatisfacit Scotus lib. 1. d. 3. 6. Q. Fundamentis Occam, & Sueſſ. ſatisfaciat Lych. ſuper Q. 6. 3. d. lib. 1. apud Scotum, quem conſulere poteris. Et ex dictis eius facile reſpondebis dictis Baccon. lib. 2. d. 6. Q. vn. Occam negat ſpeciem, & ponitur pro cognitione abſtractiua aliquod præuium, & eſt aliquando notitia intuitiua, & quandoque eſt habitus ab illa notitia intuitiua derelictus, ſicque loco ſpeciei ponit pro partiali cauſatiuo actus intelligendi notitiam intuitiuam, ſiue habitum ab ea derelictum. Henr. loco ſpeciei ponit phantaſma irradiatum lumine intellectus agentis. Sueſſanus dicit. Speciem intelligibilem, & actum intelligendi vnum & idem, & ideo non diſtinctam ab actu ſpeciem ponit. At Scotus, & alij ſunt in oppoſitum, & eius poſitio preter multa patere poterit. Multoties dormientes ſomniant ſe bibere, & manducare, & ruſticus dormiens diſputat de rebus diffcillimis; doctorque ordinat lectionem, ac ſi vigilaret. Hęc non darentur, niſi eſſent ſpecies in anima, & imagines. Aug. ſuper Gen. cap. 16. ait. Cum aliquid oculis cernitur, cõtinuo fit imago eius in ſpiritu: ſed non dignoſcitur facta, niſi cum ablatis oculis ab eo, quod videbamus per oculos, imaginem eius in anima inueniremus. Et paulo poſt. Vidit Balthaſar articulis manus ſcribentis in pariete, continuoque per corporis ſenſum imago rei ſpiritui eius eſt impreſſa. Et ſubdit: Corporaliter ſignum factum corporali-

ter viderat, & tranſactio eius imaginem in ſpiritu cogitando cernebat Etiam ſuper cap. 45. Gen. Hęc natura ſpiritualis, in qua non corpora, ſed corporum ſimilitudines imprimuntur. Et cap. 9. ſcilicet Memento, quod corpus, & quod corporis ſenſu tangitur. Fit etiam in anima tale quid, non quid ſit, ſed ſimile ſit, & lib. Confeſſ. c. 11. Neę quippe res non intromittuntur ad eam, ſed earum ſolę immagines mira celeritate capiuntur. Hæc Aug. His claret ſpeciem intelligibilem dari. Ad Ariſt. 3. de anima ſic reſpondeas. Intellectus ante intelligere eſt ſicut tabula nuda, ideſt non eſt de numero intelligibilium in potentia proxima ante intelligere aliorum propter intellectionem noſtram naturalem incipientem à phantaſmatibus.

16. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 3. Q. 6. ad G. vult, quod nec actus, nec habitus, circumſcripta ſpecie intelligibili poſſint repræſentare obiecta. Oppoſitum huius habet Scotus l. 3. d. 14. Q. 1. fol. 4. princ. vbi ſic ait. Et habitus eſt aliquo modo neceſſarius, ad perfectionem naturę noſtræ, quia in nobis nõ poſſet manere natura principij aliquo modo, ceſſante illo actu, niſi maneret ille actus principij, & ita poſt intellectionem principij eſſet aliquid adeo in potentia eſſentiali ad intelligendum, ſicut prius. Et in corp. illius quæſt. ſic ait. Actus eſt natus prius recepi, quam habitus; tamen habitus acquiſitus eſt immanens in anima, actu tranſeunte, vt ſaltem intellectus, qui non poteſt ſimul habere notitiã plurium obiectorum in actu, habeat ſaltem notitiam eorum permanentem, vt poteſt, & ita in habitu. Hæc Scotus. Ex quo patet, habitum ſpeciem repræſentare.

Lucas. Reſp. Scotus per habitum, ſeu ſcientiam lib, 3. intellexit ſpeciem intelligibilem, quæ eſt pars memorię, & memoria vocatur ſcientia, vt dicit Scotus d. 27. pr. vbi vult de mente Aug. Verbum gigni de memoria, vel de ſcientia; quæ eſt in memoria, vel de obiecto contento in memoria, ſeu ſcientia. Sicque ſcientia capitur pro memoria, quam nos appellamus ſpeciem intelligibilem. Dices. Scotus d. 9. lib. 2. ſolu. 4. arg. Henr. Fatetur clarè habitum eſſe repræſentatiuum, & eodem lib. d. 3. Q. 11. idem habet. Reſp. Scotus in ambabus auctoritatibus capit habitum pro ſpecie, & potiſſimum in auct. 3. d. 2. vbi Scotus docet quomodo ſpecies vocetur habitus. Et addit; per talem habitum res eſt actu intelligibilis, quod non poteſt competere, niſi ſoli ſpeciei. Ad auct. 9. d. 2. l. Poteſt dici Scotũ loqui non de mente ſua, vt ex illis verbis patet in principio reſponſionis. Poteſt tamen aliter dici. Quæ verba innuunt Scotũ haud loqui ſecundum propriã mentem. Dices adhuc. Scotus l. 3. d. 31. in initio ſic ait, quia habitus non ponitur in potentia, niſi ad facilitandum, & habilitandum potentiam ad eliciendum actum, vel ſaltẽ in intellectualibus, vt obiectum ſit præſens intellectui, vt intellectus poſſit prompte operari circa illud. Vbi apparet habitum fore repræſentatiuum obiecti. Reſp. Scotus dum dicit. Per habitum habetur pręſentia obiecti, non loquitur de pręſentia obiecti abſoluta, ſub illa, ſcilicet ratione, qua obiectum eſt actu intelligibile, at dicitur præſens quo ad facilitationem, & promptitudinem operandi, ideſt ſicut intellectus per ſpeciem intelligibilem habet obiectum pręſens in ratione actu intelligibilis, ſic per habitum habet obiectum præſens, quia per illum facilius operatur circa obiectum. Dices amplius. Scotus lib. 1. d. 17. Q. 2. ſic dicit.

Nam

Nam ſicut habitus intellectiuus habet aliquo modo obiectum in ſe præſens in ratione obiecti intelligibilis; ita habitus moralis habet in ſe quodammodo obiectum ſub ratione diligibilis. Reſp. Expende illud verbum. Quodammodo, aliquo modo, & tanquam, & erit interpretata auctoritas Scoti, quę debet intelligi prout aliquo modo inclinat potentiam ad operandum. Quod repræſentet ſpecies in via Scoti, & non habitus, patet pluribus auctoritabus Scoti. Prima, eſt lib. 1. d. 3. Q. 6. per totum. Secunda, habetur lib. 2. d. 11. Tertia, lib. 3. d. 23. modicum ante concluſionem Quęſt. Quarta, lib. 3. d. 25. vbi clare habet hanc ſententiam. Quinta, lib. 1. d. 17. Q. 2. Patet quoque his rationibus. Repręſentatiuum obiecti in cauſando, non ſe tenet à parte potentiæ, ſed ex parte obiecti. At habitus ſe tenet ex parte potentiæ. Secundo, non ex quolibet actu generatur habitus, ſed omni actu, quem habemus, poſſumus recordari, ergo cum habitus illius actus non ſit, oportebit eſſe aliquod repręſentatiuum, quod non poteſt eſſe niſi ſpecies. Tertio, Omnis actus intellectus poteſt eſſe obiectum recordationis, ergo oportebit ponere tot habitus, quod recordabilia, cum ſint correlatiua ſecundum Henr.

17. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 3. Q. 6. ad I. dicit. Obiectum eſt cauſa ſpeciei intelligibilis, licet non totalis, ſed partialis. Oppoſitum habet Scotus lib. 1. d. 3. Q. 6. ad E. & Q. 8. vbi vult ſpeciem intelligibilem cauſari à phantaſmate, vt à cauſa partiali.

Lucas. Reſp. Obiectum, ſeu natura eſt ratio formalis cauſandi ſpeciem remotè, phantaſma verò eſt ratio formalis cauſandi propinquè: tamen in intellectu ſeparato obiectum eſt cauſa immediata, vt docet Scotus lib. 2. d. 3. Q. 11. Per id poteris ſatisfacere contradictioni. Vel dic locutum eſſe Scotum indifferenter, cum in iſta Q. non ſit locus determinandi talem materiam. Notandum. Quando obiectum eſt cauſa, & imprimit ſpeciem ſui in intellectu. Phantaſma autem quando eſt cauſa, non imprimit in intellectu ſpeciem ſui, ſed ſpeciem obiecti. Idcirco ſpecies intelligibilis genita à phantaſmate non repræſentat phantaſma, ſed obiectum: & à quocunque cauſatur, ſemper eſt repræſentatiua obiecti, & ſi à Deo, ſine concurſu cauſarum ſecundarum. Quæres: cum ſpecies ab obiecto, & potentia cauſetur, deinde poteſt repræſentare obiectum ſub ratione vniuerſalis; ſpecies in ſenſu, num poſſit repræſentare vniuerſale? Minimè: nam ſpecies in ſenſu tantum cauſatur ab obiecto, & nō à potentia, ob id repręſentat tantū ſingulare, & non vniuerſale. Dices. Senſus interior cauſat ſpeciem ſenſibilem, & ſi non exterior, ergo ſenſus interior poterit repræſentare vniuerſale. Nego ſenſum interiorem eſſe agentem, negoque ſimilitudinem de ſenſu interiori, & de intellectu. At nec ſenſus interior, nec exterior in via Scoti eſt agens, vt patet lib. 1. d. 3. Q. 6. reſp. ad prim. princip. & 14. & 15. Quol. & lib. 2. d. 11. dicit. Phantaſma cauſatur ab obiecto. Pariſien. 2. de anima Q. vlt. dicunt. Nullus datur ſenſus agens, nec interior, nec exterior: & ſpecies ſenſibiles ſenſuum interiorum, & exteriorum cauſantur ab obiectis. Addunt. Omnis ſenſatio, tam interior, quam exterior cauſantur ab obiecto; & phantaſma ſimiliter, & ſpecies exterior nullam habent actiuitatem ſuper ſenſationem. Si quæras. Ad quid ergo ponuntur ſpecies ſenſibiles? Reſp. Ponuntur, vt effectus neceſſario præuij ad alium effectum, qui eſt ſenſatio: nam obiectum

nunquam cauſaret ſenſationem, niſi prius ſpeciem ſenſibilem cauſaret. Etiam. Negantes ſenſum interiorem agentem ſunt bipartiti. Nam aliqui volunt phantaſma cauſari à ſpecie exiſtente in ſenſu exteriori; alij volunt cauſari ab obiecto, & quod ſpecies in ſenſu exteriori tantum, vt effectus præuius, & non vt cauſa requirantur. Scotus dum dicit in Quol. loco citato. Senſus particularis eſt cauſa; intelligitur, aut quia producit aliquid neceſſario prærequiſitum, ceu eſt cauſa mediata in quantum cauſat ſpeciem exteriorem, & eam recipit, quæ poſt cauſat phantaſma, taltem, vt effectus præuius.

18. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 3. Q. 6. ad I. tenet ſpeciem intelligibilem eſſe formalem rationem intellectionis. Ex quo patet in cognitione abſtractiua ſpeciem fore cauſam intellectionis. Oppoſitum huius habet Scotus lib. 1. d. 3. Q. 7. reſp. ad Q. vbi habet hæc verba. Dico. Quod iſtius intellectionis, non eſt totalis cauſa actiua obiectum, nec in ſe, nec in ſua ſpecie, ergo obiectum eſt cauſa intellectionis in cognitione abſtractiua, & non ſpecies intelligibilis.

Lucas. Reſp. Circa præſens dubium, aliqui Scotiſtarum (inter quos eſt Paulus ſcriptor) volunt obiectum eſſe cauſam intellectionis, & non ſpeciem intelligibilem. Idque plurimis Scoti auctoritatibus firmatur. Quarum prima eſt relata in dubio. Secunda, habetur lib. 2. d. 3. Q. 8. in corpore Quæſt. igitur ſi in ſpecie intelligibili, vbi eſſentia Angeli habet eſſe diminutum; multo magis hoc poteſt, vbi habet eſſe ſimpliciter abſolutum. Et addit. Iſtæ ſpecies cauſant intellectionem virtute obiectorum. Tertia, habetur lib. 3. d. 15. vbi (recitando opinionem Henr.) dicit. Obiecta in phantaſmatibus cauſant ſenſationes. Quarta, eſt Aug. 9. de Trin. cap. vlt. A cognoſcente, & cognito paritur notitia; citata à Scoto vbique. Quinta, habetur lib. 1. d. 3. Q. 6. in ſol. 4. arg. princ. Dico, quod intellectus non tantum patitur ab obiecto reali imprimente ſpeciem realem, ſed ab illo obiecto patitur, vt in ſpecie intelligibili paſſione intentionali: & illa paſſio eſt receptio intellectionis, quæ eſt ab illo intelligibili in quantum ipſum intelligibile eſt relucens in ſpecie intelligibili. Sexta eſt in d. 17. primi reſp. ad 4. arg. 2. viæ, vbi ponit obiectum ſiue in ſe, ſiue in ſpecie, eſſe cauſam partialem cum intellectu ad cauſandam intellectionem. Hæ ſunt auctoritates quibus iſti Scotiſtæ ſuſtinent obiectum eſſe cauſam ſpeciei. Alij ex Scoto (inter quos eſt Lychetus) admittunt oppoſitum, ſcilicet ſpeciem intelligibilem, & non obiectum cauſare intellectionem, & id probat pluribus auctoritatibus Scoti. Quarum prima eſt in initio Q. 6. d. 3. lib. 1. Verum in parte intellectiua ſit propriè memoria, ſcilicet intellectus habens ſpeciem intelligibilem naturaliter priorem actu intelligendi. Secunda, habetur Q. 7. huius d. 3. vbi habet iſta verba. Bene concedo, quod ſpecies, quæ eſt ſimilitudo obiecti, & per quam intellectus aſſimilatur intellectioni productæ, eſt aliqua ratio agendi non totalis. Tertia, lib. 1. d. 2. parte ſecunda in materia de productione. Quarta, lib. 1. d. 17. Q. 2. vbi Scotus attribuit actiuitatem habitui. Quinta, lib. 2. d. 3. Q. 10. Sexta, lib. 4. d. 12. Q. 3. ſolu. vlt. Argumentum eſſet contra me, ſi poſuiſſem habitum totale principium intellectionis, ſed poſui partiale. Septima, lib. 4. d. 45. Q. 1. in initio. Octaua lib. 2. d. 3. Q. 8. ſolu. ſecundam obiectionem, & tertiam. Nona, lib. 3. d. 24. Ob iſta auctoritates ad vtranque partem multi Scotiſtæ tenuerunt in præſenti

materia Scotum dubium, & problematicum extitiſſe. At non puto id eſſe verum: ſed firmiter tenendum eſſe notitiam partialiter à ſpecie, & non ab obiecto, in eo relucente cauſari, huius rei ratio eſt. Nam, ſcientia cum ſit ens reale, & ſimpliciter, vult cauſam realem, & ſimpliciter ens: obiectum in ſpecie habet tantum eſſe diminutum, & ſecundum quid: ſpecies vero habet eſſe reale, & ſimpliciter. Ad omnes auctoritates in contrarium reſp. Scotus per obiectum intellexiſſe illud, in quo obiectum relucet: ſæpe enim capit vnum pro alio, nimirum ſpeciem pro obiecto, & è contra.

19. Iacobus. Scotus lib. 1. d. 3. Q. 6. ad L. dicit. Ex Ariſt. & Auer. 7. Methaph. 23. Rationes oppoſitorum non ſunt oppoſitæ in intellectu. Ex quo ſequitur in intellectu ſimul eſſe poſſe plures actus intelligendi diſtincte. Oppoſitum huius habet Scotus lib. 2. d. 5. Q. 2. ad D. vbi dicit. Duo actus intelligendi non poſſunt eſſe ſimul in eodem intellectu. Idem etiam habet lib. 3. d. 36.

Lucas. Reſp. Tenendum eſt in via Scoti plures eſſe actus intelligendi in eodem intellectu, idque patet. Primo, ex Scoto lib. 3. diſt. 14. Quæſt. 2. vbi vult. In anima Chriſti, & in alijs beatis ſimul eſſe actum beatificum, & actum obiectorum ſecundariorum. Secundo, reflectendo ſe ſuper actus ſuos, neceſſario habet actum rectum, & reflexum. Tertio, intellectus agnoſcit hominem, & Leonem diſtinctè; ergo ſimul habet horum intellectionem. Quarto, relatiua ſunt ſimul naturali intelligẽtia ex Ariſt. cap. de relatione. Quinto, 6. Ethic. Actus prudentię eſt dirigere ad finem ea quæ ſunt ad finem, ergo cognoſcit ſimul finem, & ea quæ ad finem. Sexto, ſilogizans habet plures actus intelligendi ſimul. Nam ex Ariſt. 1. Poſter. concluſio, & minor ſimul tempore ſunt nota. Septimo, diſcurrens cognoſcit ſimul extrema diſcurſus. Octauo, in ſenſu poſſunt dari ſimul albedo, & nigredo. Nono, ſimul video, & intelligo plura obiecta. Decimo, intellectus ponens differentiam inter aliqua duo, neceſſario cognoſcit illa. Ex Ariſt. 2. de anima 145. Eſt ergo concluſio certa apud Scotiſtas, quam etiam tenent. Baccon. & Greg. Omneſque firmant argumentum de beato vidente in Verbo, & obiecta ſecundaria in genere proprio. Ad Scotum autem. 5. d. 2. & 36. 3. dico, quod ponens plures actus ſimul in intellectu non loquitur ad mentem propriam, ſed ex dictis aliorum. Dices. Scotus d. 9. lib. 2. in corpore Q. vbi loquitur ſecundum mentem propriam, dicit. In intellectu poſſe eſſe plures actus ſimul. Reſp. Aliqui dixerunt. Scotum loqui de obiectis, ſeu actibus incompoſſibilibus. At id nihil eſt. Nam rationes oppoſitorum non ſunt oppoſitæ in intellectu. Dico igitur, quod Scotus ibi ponit quendam caſum, vt ſuam probet concluſionem. At exempli non requiritur verificatio, vt patet ex Ariſt. 1. Priorum 40. & pręcipue cum non ſit ibi locus talis materiæ. Dices adhuc. Ariſt. 2. Top. cap. 25. dicit. Contingit plura ſimul ſcire, ſed non ſimul intelligere. Petrus Tataretus dicit. Huius propoſitionis ſunt diuerſi ſenſus. Prior eſt, ſecundum quod illa negatio (non) cadit ſuper illud totum, contingit plura intelligere; itaquod ſit ſenſus. Contingit plura ſcire, & non contingit plura intelligere. Hic ſenſus eſt falſus, & implicat, quod nulla contingit ſcire, quin contingat ea intelligere. Alter ſenſus eſt, capiendo li (non) infinitanter; itaquod cadat ſuper li, plura, infinitando ipſum, & ſit ſenſus. Contingit plura ſcire, & con-

& contingit intelligere non plura, & hic ſenſus eſt verus. Nam contingit intelligere vnum, quod non eſt plura. At Landulph. ſic reſp. Ariſt. vult oſtendere, quod ſcire habituale eſt plurium, ſed intelligere neceſſariò non eſt plurium, quia poteſt eſſe vnius. Dices. Amplius. Algazael 4. Meth. dicit: ſicut non contingit vnum corpus figurari multis figuris, ita poſſibile eſt intellectum ſimul informari multis intellectionibus. Reſp. Quære. Dices tandem. Quælibet intellectio eſt verbum adæquatum ipſi memoriæ, ergo non poſſunt multę intellectiones eſſe ſimul. Firmatur per dictum commune. Pluribus intentus minor eſt ad ſingula ſenſus. Reſp. Nego aſſumptum. Ad dictum commune. Verum eſt de potentia organica, & de intellectiua, vt ab organica dependet. Franc. lib. 1. d. 3. Q. 11. Expreſſe tenet cum Scoto, quod poſſunt eſſe ſimul in intellectu duo actus intelligendi diſtincti. Eumq; conſulas, id pluribus probantem rationibus. At an eodem actu intelligendi numero poſſit intellectus multa obiecta intelligere? Reſp. Circa hoc Scotus lib. 3. d. 28. & lib. 4. d. 49. Q. 10. fuit dubius. Sed videamus quid ſit tenendum. Scotus lib. 4. d. 1. Q. 1. dicit. Intellectio vna finita non poteſt eſſe plurium obiectorum diſparatorū. Itaq; ſe determinat: Quæ determinatio habetur lib. 3. d. 14. Q. 1. E. 13. Quol. & lib. 1. d. 6. & lib. 2. d. 1. Q. 6. vbi docet obiecta eſſe diſtinctiua notitiarum, & identificatiua, at non eſſent diſtinctiua, ſi idem actus numero eſſet circa plura obiecta diſparata. Sicque eodem actu intellectus in via Scoti non poterit intelligere plura obiecta diſparata. Sed quid ſenſerit Scotus de obiectis ſubordinatis, vt de fine, & ad finem. De his dico, quod Scotus ſemper remanſit dubius, & quandoque vno modo, & quandoque alio locutus eſt. Et quando lib. 1. d. 2. Q. 1. dicit. Idem intelligere poteſt eſſe plurium obiectorum, loquitur de obiectis ſubordinatis, & tunc declinat intellectum, eodem actu poſſe plura cognoſcere, & alibi, dum dicit. Voluntatem vnico actu, nō poſſe multa obiecta diligere; tenet aliam partem; ſicque in iſto dubio ſemper fuit problematicus.

Tertia diſt. Quæſt. ſeptima, lib. primi.

1. Iacobus. SCOTVS lib. 1. d. 3. Q. 7. proponit in initio intellectum gignere, & ſi non totaliter, ſaltem partialiter verbum, ſeu notitiam. Oppoſitum huius habet Aug. 9. de Trin. vbi ait. Voluntas concurrit ad producendum verbum, quod ex amore procedit.

Lucas. Reſp. Franc. lib. 1. d. 3. Q. 8. inquit. Aliquando in notitiæ productione ſolum requiritur vna cauſa, ſcilicet quando intellectus ſe ipſum intelligit. Aliquando duæ, nempe, quando intellectus alia intelligit. Aliquando tres, cum intellectus habitibus eſt ornatus; habitus enim concurrit cum obiecto, & potentia. Aliquando, quatuor, ſcilicet quando potentia volitiua concurrit imperando, mouet enim tunc potentiam intellectiuam. Idque non poteſt fieri ſine alicuius impreſſione: iſtud autem impreſſum nil aliud videtur eſſe niſi actus intelligendi. Hoc modo, verificatur dictū Aug. Volūtas, ſcilicet Verbū producit.

Scotus

2. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 3. Q. 7. ad H. dicit. Imago, ſeu ſenſatio, quæ ab Aug. ponitur in ſpiritu, oportet quod intelligatur eſſe in anima, vel in aliquo alio, vt in ſubiecto, & non præciſe in corpore ſic mixto. Oppoſitum huius habet Scotus lib. 2. d. 8. & lib. 4. d. 10. Q. 7. & d. 43. Q. 2. & 44. Q. 2. & 49. Q. 14. Et 9. Quol. & lib. 1. d. vult. Q. 3. quibus in locis ait, ſcientia recipitur in anima immediatè, ſed ſenſationes recipiuntur in toto organo immediatè, & non in parte materiali, ſeu formali ipſius organi. Huiuſque rei hæc eſt ratio. Nam ſenſatio, cū ſit materialis, ſubiectū vult materiale, & ita non poteſt recipi immediate in anima. Rurſus. Si ſenſationes in anima reciperentur, ergo manerent in anima poſt eius ſeparationem à corpore, ſicut remanēt ſciētiæ, vt docet Scotus lib. 4. d. 45. Q. 3.

Lucas. Reſp. Petrus Tatar. 2. de Anima Q. 1. art. 1. not. 4. ſic ad mentem Scoti dicit. Senſatio in compoſito organo, ex organo ſic mixto, & potentia recipitur, & non in animā. Itaque tenendum in via Scoti. Et ad Scotum 7. Q. 3. d. lib. 1. Sic dicendum. Scotus eo loci non loquitur de anima per comparationem ad ſubiectum in quo eſt, ſeu comparationem ad totum cuius eſt pars; ſed per comparationem ad obiectum quod concurrit cum ea ad intellectionem cauſandam. idcircò loquitur indiſtinctè de anima, & de toto cuius eſt pars. Ob idque dixit. Sēſationem fore in anima.

3. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 3. Q. 7. concludit Verbum, ſiuè notitiam eſſe ab intellectu, & obiecto, Oppoſitum huius habet Aug. lib. 12. ſuper Gen. c. 28. vbi videtur dicerē, imaginem, ſeu notitiam eſſe ab anima.

Lucas. Reſp. Aug. loquitur de imagine, quæ eſt viſio, ſeu ſenſatio, & reponitur (vt paulo ante dictum eſt) in anima, & non loquitur de ſpecie ſenſibili, quæ ponitur in parte organi, quæ eſt corpus ſic miſtum. Quando dicit. Anima cauſat ſpeciem, non vult excludere obiectum, ſeu corpus, quin cauſet imaginem in ſpiritu, vt cauſa partialis. Anima verò cauſat mira celeritate, ſed vt altera cauſa partialis, ſicut exponit ipſe Aug. 11. de Trin. cap. 2. & 5. A uidente, & viſibili gignitur viſio. Dices, Agens eſt præſtantius paſſo, ergo corpus non poterit (cum ſit materiale) cauſare imaginem, ſeu notitiam ſpiritualem. Reſp. Agens eſt præſtantius patiente, non eſt propoſitio immediata, at ex tribus, alijs dependet: nimirum. Agens eſt præſtantius effectu, effectus agētis eſt actus, & forma patientis. Actus eſt nobilior potentia. Hæc vltima verificatur tantum de actu entitatiuo, coreſpondente ſuæ potentiæ obiectiuæ, ac de actu formali ſubſtantiali. Hi enim actus ſimpliciter nobiliores ſuis potētijs sūt. Vbi igitur hę propoſitiones ſunt verę, propoſitio illa. Agens eſt pręſtantius paſſo, eſt vera. Modo hæc. Agens eſt præſtantius effectu: non eſt vera, niſi de cauſa æquiuoca, totali, ſeu partiali principali, poteſt enim aliqua eſſe cauſa partialiter agens, ad aliquem effectum nobiliorem ſe, ſicut elementum in virtute corporum cæleſtium poteſt agere ad generationem mixti, quod eſt nobilius ipſo elemento; agente, vt partiali cauſa. Expende. Agens, & patiens dupliciter capiuntur; formaliter, & ſic agens ſemper, ac vniuerſaliter, eſt perfectius patiente: & fundamentaliter, & ſic non eſt sēper verū, quod agens ſit nobilius patiente. Dices. Aug. 10. de Trin. c. 5. Anima conuoluit, & rapit imagines corporum factas in ſemetipſa, & de ſemetipſa, ergo totaliter producit imaginem. Reſp. Quęre.

Scotus

4. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 3. Q. 7. ad P. dicit. Sol non viuus eſt cauſa partialis ad generandum filium viuum cum patre. Ex quo patet, quod cęli non ſunt animati. Oppoſitum huius habet Scotus lib. 2. d. 14. Q. 1. in fine, vbi ſi cęli ſint animati, vel ne (& eſt locus proprius) remanet problematicus.

Lucas. Reſp. Circa animationem cęli loco citato lib. 2. Vtique eſt problematicus Scotus, at non ſibi contrarius lib. 1. dum dicit. Solem non viuum. Nam cum ibi non ſit locus tractandi materiam illam, communiter loquitur: & non ita determinat, quin altera pars problematis ſuſtineri valeat.

5. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 3. Q. 7. ad P. dicit. Hominem eſſe cauſam particularem in generatione hominis. Idque repetit eam et Q. Oppoſitum huius habet Ant. Andr. omneſque Methaph. 5. Methaph. Q. 1. vbi volunt, Sol, & pater, licet ſint eiúſdem generis, quia ſunt alterius ordinis, ideo quęlibet earum cauſarum appellatur cauſa totalis. Idem ſentiunt Paril. 2. Phiſ. Q. 2. art. 2. dub. 1.

Lucas. Reſp. Scotus quando Q. 7. d. 3. lib. 1. bis vocat hominem particularem cauſam, loquitur de cauſa totali, vt complectitur totum genus cauſæ: & ſic eſt verum, quod ſol, & pater ſunt cauſæ partiales, id eſt determinatæ ad illum effectum. Non ſic autem Sol, qui concurrit cum multis cauſis ſecundis, ad multos effectus producendos. Sicque ex ęquiuocatione huius nominis, cauſa totalis, euaneſcit omnis difficultas.

6. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 3. Q. 7. tenet per totum, obiectum, & intellectum poſſibilem eſſe cauſam verbi, ſeu intellectionis. Oppoſitum huius habet Aug. lib. 6. Muſicæ ſuæ circa principium. Vbi ſic ait. Videtur mihi, quod anima cum ſentit in corpore non ab illo aliquid patitur, ſed in eius paſſione attentius agere. Et ſubdit. Cum anima ab operationibus ſuis aliquid patitur á ſe ipſa patitur, non á corpore, ex quibus verbis, videtur ſequi, intellectionem totaliter eſſe ab intellectu agente.

Lucas. Reſp. Aug. dictum intelligitur. Intellectionem eſſe ab anima, vt á cauſa non totali, ſed á partiali magis principali, ab obiecto veró, vt á cauſa minus principali. Etiam loquitur Aug. cum illo verbo. Videtur. Ex quo non poteſt rectè capi auctoritas. Vel dic. Verum eſt dictum Aug. de actione reali, & non de intentionali.

7. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 3. Q. 7. ad A. dicit. Quando duæ cauſæ priores ipſa re, ſcilicet efficiens, & materia ſunt in ſe perfectæ approximatæ, & non impeditæ ſequitur effectus. Oppoſitum huius ſequitur ex dictis eius, & poſtiſſimum 1. Prol. Q. vbi non vult animam ſe cognoſcere, & tamen eſt ſibi præſens, & non videtur impedimentum: ergo ex dicto ſuo, iam iam poterit ſe cognoſcere.

Lucas. Reſp. Propoſitio illa. Actiuo, & paſſiuo debite approximatis, &c. Sic debet intelligi, id eſt, quando actiuum eſt debite præſens præſentia requiſita ad actionem; nam color eſt actiuus viſionis, tamen maior præſentia poteſt impedire viſionem: ſi enim actu aplicaretur oculo, viſio non cauſaretur; requiritur igitur pręſentia cum debita proportione, ita ad propoſitum. Quamuis anima ſit ſibi perfectè pręſens præſentia entitatiua, cum ſit ſimpliciter eadem res, ex tali pręſentia tamen non ſequitur actio, cum non ſit ſibi præſens in ratione obiecti intelligibilis: quæ præſentia pro ſtatu iſto non poteſt haberi nec mediate, nec immediate, vt patet ex Scoto lib. 1. d. 1. Q. 3. vbi oſtendit. Nullam ſubſtantiam pro ſtatu iſto immutare intellectum noſtrum ad ſui cognitionem,

nem,

nem, & ſi anima ſit preſens proprio intellectui, aliquando in ratione obiecti intelligibilis, id non erit reſpectu conceptus proprij, ſed tantum reſpectu communis ſibi, & ſenſibilibus. Anima verò ſeparata erit cauſa totalis ſuæ cognitionis.

8. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 3. Q. 7. ad A. videtur negare cauſam ſine qua nõ, arguendo contra Henr. Oppoſitum huius habet Scotus lib. 2. d. 25. ad M. vbi vult, ſecundum vnum modum dicendi, intelligere eſſe cauſam ſine qua non reſpectu eius velle; idque habet lib. 1. d. 41. & 1. Metaph. Q. 6. & in via Scoti, vt Baſol. docet 1. Prol. Q. Notitia intuitiua fit ab obiecto concomitante preſentiam, vt cauſa ſine qua non.

Lucas. Reſp. Lychetus ſuper primo Scoti tenet rationem doctoris contra Henr. eſſe euidentem, vbi negat cauſam ſine qua non. Ad illud lib. 2. de voluntate, dicit. Non eſt ſimile: quia voluntas eſt potentia eſſentialiter poſterior intellectu in operando, & neceſſario præſupponit operationem intellectus: & licet ſit cauſa totalis ſui actus, non poteſt tamen actum immediatè producere niſi prius intellectus cognouerit. Intellectus verò circa obiectum non præſupponit actum alterius potentiæ, hinc non requirit cauſam ſine qua non. Et addit Lychetus, ſi voluntas poſſet habere actum ſuum circa obiectum, nullo actu alterius potentię præſuppoſito, ita poſſet cauſare volitionem illius obiecti, ſi eſſet abſens, ſicut quando eſt præſens, quia ipſa voluntas eſſet totale actiuum reſpectu volitionis, & receptiuum eiuſdem. Quidam alij dicunt, quod Scotus non negat lib. 1. loco citato cauſam ſine qua non, ſed tantum negat, quod non ſit aliud genus diſtinctum à quatuor generibus cauſarũ. Bargius ſuper primum. Dicit. Ratio Scoti contra Henr. de negatione cauſæ ſine qua non, eſt tantum topica. Nam ſtatim in litera, quę ſignatur pro extra, ſoluitur à Scoto, ſicque non eſt mala reſponſio, quod obiectum ſit cauſa ſine qua non. Additque quod ſit bona reſponſio, vt obiectum requiratur in ratione termini, & non in ratione efficientis. Nam ſecundum Scotum d. 15. ſolu. princ. dependentia notitiæ ad obiectum eſt eſſentialis in ratione termini, alia eſt accidentalis. Et lib. 4. d. 10. Q. 9. At clarius Franc. 18. Q. Prol. & in 4. d. 11. Q. 6. dicit dependentia ad obiectum in ratione termini non poteſt ſuppleri.

9. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 3. Q. in quodam extra ad B. dicit. Volitio non eſt cauſa actiua delectationis, ſed obiectum. Oppoſitum huius habet Scotus lib. 3. d. 15. ad D. & lib. 4. d. 14. Q. 1. Quibus in locis aſſignat cum obiecto diſconuenienti ipſum nolle pro cauſis triſtitiæ, & cum obiecto conuenienti ipſum velle pro cauſis delectationis.

Lucas. Reſp. Scotus lib. 1. in illo extra loquitur ſecundum tenentes quod velle, & delectatio ſint idem realiter. Idque trahitur ex litera Scoti paulo ante poſita. Rurſus. Litera illa Scoti non eſt legitima eiuſdem, ſed tantum eſt vnum extra, & nihil habet firmitatis. Rurſus. Scotus lib. 3. loquitur reſpectu doloris in carne, & delectationis ſibi correſpondentis, & dicit. Obiectum conueniens, & diſconueniens ſunt cauſæ totales ſine aliquo actu ex parte potentiæ. At reſpectu triſtitiæ, quæ eſt in anima dicit, quod ad triſtitiam requiritur obiectum diſconueniens cum nolle, & ad gaudium oppoſitum requiritur obiectum conueniens cum velle; huncque modum inſequitur Sco. eo loci. Recitat tamen alterum modum, quem non confutat, ſcilicet, Diſconuenientia obiecti ſufficit ad triſtitiam ſine nolle, & conuenientia obie-

cti ſufficit ad gaudium ſine velle. Hoc animaduerte. Dico. Sco. loqui in 1. ſecundum illum modum, quem ponit d. 15. lib. 3. & non cõfutat, & maximè cum in primo non ſit locus talis materiei.

10.*Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 3. Q. 7. ad R. dicit. Nihil agit in ſe ipſum, loquendo de agente vniuoco. Oppoſitum habet eamet Q. ad S. vbi dicit. Subiectum cauſat effectiuè in ſe ipſum ſuam paſſionem. Idque habet etiã l. 1. d. 13. in tertia ratione contra Henr. Et lib. 2. d. 1. Q. 1. & d. 25. 26 & 34. Et lib. 4. d. 12. Q. 3. & d. 13. Q. 1. & 9. Quol. 14. Ergo aliquid agit vniuocè in ſe.

Lucas. Pro tollenda iſta difficultate; Notandæ veniunt hæ Scoticæ propoſitiones 9. Meth. Q. 14. Prior eſt. Nihil agit in ſe ipſum cauſando in ſe ipſum formam ſubſtantialem. At Forma ſubſtantialis poteſt augere, & manutenere, vt patet in nutriente, & pueris creſcentibus, ſed totam formam de nouo producere eſt impoſſibile. Altera. Nihil poteſt agere in se ipſum actione vniuoca. Dices. Calidum vt 4. facit calidũ vt 6. & agit ita vniuocè in ſe ipſum. Dico, nulla forma ibi de nouo generatur, ſed tantum fiunt gradus de nouo; eſſet enim inconueniens, ſi fieret aliqua forma de nouo. Vel dicas, non fiunt illi gradus de nouo, virtute graduum caliditatis pręexiſtentis, ſed tantum virtute formæ ſubſtantialis, cuius virtute fuerunt introducti illi primi gradus. Tertia propoſitio; Grauia, & leuia mouent ſe effectiuè ad loca ſua naturalia, vt docet Scotus lib. 2. d. 2. Q. 10. Quarta, Animalia mouent ſe ad vbi, motu progreſſiuo: idque habet lib. 2. d. 2. Q. 10. Sed in hac concluſione differunt Scotus & Thom. Nam vult Thom. quod talia diuidantur in partem per ſe mouentem, & in partem per ſe motam, & ita vna pars mouet aliam, vt anima mouet corpus. Idque dicit Thom. 3. p. S. Q. 32. art. 4. & 8. Phiſ. lect. 9. & 20. Primo ſent. d. 8. Q. 8. & Quæſt. de malo Q. 2. art. 11. Scotus autem vult, quod totum moueat effectiuè, & non quod pars moueat partem. Idque expreſſe diſputat Scotus contra Thom. 9. Methaph. Q. 14. Et id non ſolum tenet Scotus de partibus eſſentialibus, ſed etiam de integralibus, vt patet de motu ſaltandi, vbi vna pars integralis non mouet aliam, ſed totum mouet totum. Quinta. Animatum mouet ſe effectiuè ad quantitatem, vt docet Ariſt. 7. Meth. 32. & Scotus lib. 1. d. 3. Q. 7. & lib. 2. d. 2. Q. 10. Sexta, Aqua calefacta ſe ipſam frigefacit. Id innuit Sco. 9. Meth. Q. 14. Dices, aqua frigefit ab aere circunſtante, ergo non à ſe ipſa. Dico, falſum eſt. Nam reducit ſe ad maiorem frigiditatem, quam ſit frigiditas aeris ambientis. Replicabis. Si aqua calida ſe ipſã poteſt frigefacere, frigefaceret etiam quidquid eſt ſibi proximũ: vt experientia docet. Reſp. Aqua calida non poteſt aliqua frigefacere, niſi prius in ſe frigiditatem inducat. Ob illam regulam Scoti de duobus effectibus eſſentialiter ſubordinatis; Nam tunc tale agens non poteſt in poſterius niſi prius agat in priorẽ effectum. Aut dicas, alio aqua calefacta frigefacit ſe, & alio celefacit ſibi proximum paſſum, nam ſua forma ſubſtantiali continet virtualiter frigiditatem, qua ſe infrigidat, & accidente iſto communi calefacit paſſum ſibi proximum. Septima prop. Potentia cognitiua, & appetitiua mouet ſe ad actus ſuos proprios. Octaua, Subiectum effectiuè cauſat in ſe ipſum ſuam paſſionẽ: ex his ergo propoſitionibus patet quomodo veritas illa ſit intelligẽda. Nihil agit in ſe ipſum, cauſando in ſe formam ſubſtantialem. Etiam

patet

patet quid ſit dicendum ad propoſitam contradictionem.

11. *Iacobus.* Scotus lib. d. 3. Q. 7. ad R. dicit. In quantitate nullum eſt agens vniuocum, quia in genere quantitatis nulla eſt forma, quæ ſit principium inducendi ſimilem formam; imo, vt generaliter dicatur. Quicunq; motus eſt ad formam non actiuam. Idque docet Scotus lib. 2. d. 3. Q. 4. Quantitatem non eſſe de genere actiuorum. Oppoſitum huius patet ex doctrina Scoti & ex experientia. Nam quantitas immutat ſenſum, ſimul & intellectum; ergo eſt de genere actiuorum.

Lucas. Reſp. Actio duobus modis poteſt quantitati competere, vel realiter, aut intentionaliter; quando Scotus in primo negat quantitatem eſſe actiuam, loquitur de actione reali, ideſt quantitas non poteſt agere ad terminum materialem realem, at intentionaliter poteſt mouere ſenſum, & intellectum; ex quo ſequitur excedi hac qualitate in perfectione, vt Sco. probat lib. 4. d. 12. Q. 2. Primo ſic. Nam qualitas eſt principium agendi aliquam actionem realem, nulla autem actio realis conuenit quantitati. Secundo Nobiliores ſubſtantiæ habent nobiliores qualitates, & ſic ordo qualitatum eſt ſecundum ordinem ſubſtantiarum, non ſic autem correſpondet ordo quantitatum. Non enim nobilior ſubſtantia eſt in quantitate maior. Tertio. Per qualitates ſubſtantiæ perfectæ conſequuntur fines ſuos. Nam intellectione, & volitione attingimus finem, non autem aliqua quantitate. Quarto. Quantitas ſequitur compoſitum ratione materiæ; Qualitas verò ratione formæ. At forma eſt nobilior materia 7. Meth. 7. Quinto, Qualitas magis conuenit cum perfectione, quam faciat quantitas, vt patet de ſapientia, intelligere, & velle, ergo eſt perfectior quantitate. Expende. Nullum prædicamentum poteſt vniuoce produci, exceptis ſubſtantia, & qualitate. Hæc tantum duo ſunt de genere actiuorum, & nullum aliud. Nam ſi quantitas non eſt de genere actiuorum, quod magis videtur, ergo nec alia ſeptem prædicamenta erunt de genere actiuorum.

12. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 3. Q. 7. ad F. dicit Aliquæ relationes non ſunt incompoſsibiles, nec in eadem natura, nec in eodem ſuppoſito, vt mouens, & motum. Oppoſitum huius habet Ariſt. 5. Meth. vbi vult, quod inter mouens, & motum ſit diſtinctio realis; ergo idem non poteſt ſe ipsũ mouere.

Lucas. Reſp. Scotus lib. 2. d. 25. dicit. Sufficit, quod ſit diſtinctio realis inter mouens, & rem acquiſitam per motum, & non requiritur, quod ſit inter mouens, & motum. Nam ſufficit, quod ſit diſtinctio realis inter voluntatem mouentem, & volitionem acquiſitam, non quod ſit inter voluntatem mouentem, & ipſam motam. Dices. Oppoſita relatiua includunt contradictoria, ergo ſi in eodem poſſunt eſſe relationes oppoſitæ, erunt contradictoriæ. Reſp. Scotus lib. 2. vt ſupra. Talia relatiua in eodem non ſunt oppoſita. Nam non ſunt in eodem ſecundum eandem rationem formalem, at ſecundum diuerſas rationes. Vnde, ſi hæc propoſitio, eſt vera ratione connotati. Actiuum eſt paſſiuum. Hæc verò nunquam eſt vera. Actio eſt paſſio. Nam iſta duo non poſſunt verificari ratione connotati. Dices amplius. Eiuſdem ad ſe non eſt relatio realis. At mouens, & motum 5. Meth. 20. referuntur realiter ergo non poterunt eſſe in eodem. Hinc ergo. Reſp. Scotus lib. 2. Report. d. 25., & dicit, Idem omnino non refertur re-

 latione

latione reali ad ſe ipſum, & concedit, quod mouens, & motum ſunt relationes reales. Et ſubdit, ſi voluntas cauſet in ſe volitionem, ipſa cōſiderata abſolutè, ſine quocunque alio, cauſat relationem mouentis, & ipſa conſiderata, vt habens in ſe volitionem, ſic fundat relationem moti, prius enim volitio eſt cauſata in voluntate, & in ea recepta, quā denominetur mouens, vel mota. Nam priora ſunt abſoluta in cauſa, & in effectu, quam relationes in aliquo eorum, ſicque idem patet nō referri relationibus oppoſitis.

13. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 3. Q. 7. ad S. dicit. Cauſa, & cauſatum in eadem natura, & ſuppoſito repugnant. Oppoſitum huius habet Ariſt. 2. Phil. 29. & 5. Metaph. 2. Vbi appellat virum cauſam pueri: quod etiam ſepe in ſua doctrina facit Scotus.

Lucas. Reſp. Aliqui exponunt. Natura, i. eſt ſpecie. Sicque dicunt. In creaturis pater non poteſt dici cauſa filij. Aiunt alij. Scotus intellexit. Non poſſunt eſſe in eadem natura numero, vt patet in diuinis. Iſtoque ſenſu locutus eſt. Ariſt. Nam hoc modo pater in creaturis poteſt eſſe cauſa filij; quia cōmuniter tenetur eſſe diſtinctionē realē inter cauſā, & cauſatum. Nam cauſa ſic diffinitur à Boetio. Cauſa eſt ad cuius eſſe ſequitur aliud, & hi aliud, ex loquens, notat alietatem naturę. Auicen. Cauſa eſt principium, à quo aliquid in eſſe dependet. Dependentia dicit alteritatem naturę. Algazael; quicquid habet eſſe per aliud, cauſatum eſt; illud verò per quod habet eſſe cauſa eſt illius: qua in diffinitione, hi, aliud, notat diuerſitatem naturæ. Ex hiſque patet primam expoſitionem ad literam Scoti eſſe meliorem. Et ſi altera interpretatio valeat ſuſtineri.

14. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 3. Q. 7. ad D. Arguens in Gotfr. ponentem agens, & patiens diſtincta fore ſubiecto, ducit eum ad inconueniens. Angelus tunc, in quo non poteſt poni talis diſtinctio in ſubiecto, nullam poſſet habere intellectionem nouam, quantumcunque habeat obiecta multa pręſentia habitualiter. Oppoſitum huius apparet expreſſe ex Scoto, lib. 2. d. 9. Q. de locutione Agelorum. vbi ponit vnum Angelum poſſe mouere intellectum alterius Angeli, qua motione intelligit, & ſunt diſtincta ſubiecto.

Lucas. Reſp. Notitia alia eſt abſtractiua, & alia intuitiua. Scotus lib. 1. concludit inconueniens ex dictis à Gotfredo in cognitione abſtractiua: lib. verò 2. Sco. dictum includit de cognitione intuitiua, quod concedo. Et quod Angelus poſſit de nouo habere nouas intellectiones de obiectis ſibi præſentatis, docet Scotus lib. 2. d. 3. Q. vlt. Et de anima ſeparata lib. 4. d. 45. Q. 2.

15. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 3. Q. 7. ad E dicit. Phantaſma cum ſit agens naturale, ſi producit intellectionem (vt ſentit Gotfr. in quem arguit Scotus) ſēper cauſabit eam eiuſdem rationis, ſicque de ea non poterit haberi aliquando conceptus falſus, quod, contra experientiam eſt. Oppoſitū Scoti ſententiæque ex dicto quoque iſto apparet. Nam ſecundū Scotum vbique. Intellectus cauſat intellectionem, & eſt agens naturale, ergo non poterit nunc complexionem apprendere, vt veram, nunc, vt falſam, vt ſemper vniformiter intelligat.

Lucas. Reſp. Non eſt ſimile de phantaſmate, & intellectu. Nam phantaſma nullo pacto eſt liberū; intellectus verò, licet non ſit liber per eſſentiam, habet tamen libertatem ex participatione, ſeruit enim voluntati, ex

Scoto

Scoto lib. 4. d. 49. Q. 5. Idcircò voluntas poteſt imperare intellectui, vt intelligat, prout eſt in re, quia intellectus non intelligit adheſiuè, ante actum voluntatis, niſi prima operatione, ſcilicet ſimplicia apprehendendo, at quid eſt illud, quod dat obiecto, vt cauſet actum, qui eſt falſus? Reſp. Franc. lib. 1. d. 3. Q. 7. Dico quod illud eſt potentia volitiua, quia vel mouet obiectum, vel ſaltem cauſat in intellectu poſſibili diſpoſitionem ad hoc.

16. Iacobus. Scotus lib. 1. d. 3. Q. 7. ad F dicit (arguens in Gotfr. ponentem omnem cauſalitatem intellectionis ex parte obiecti) Intellectus tunc nullo actu ſuo poterit conferre obiectum ſuum ad aliud, quæ collatio cauſat relationem rationis, vel ſecundam intentionem in obiecto. Idque expreſſius ait lib. 4. d. 1. Q. 2. vbi vult intentionem ſecundam eſſe comparationem paſſiuam ipſius intellectus. Oppoſitum huius patet. Nam ſecunda intentio verè non poteſt cauſari ab intellectu, nec ab obiecto, cum ſint cauſæ reales, & omnis cauſa realis producit effectum realẽ, ſecunda vero intentio non eſt quid reale, vt omnibus patet.

Lucas. Reſp. Secunda intentio non cauſatur propriè ab intellectu, nec ab aliquo eius actu. Si autem reperias in via Scoti ſecundam intentionem cauſari, exponas, cauſari, idest derelinqui. Nam quando intellectus comparat vnum obiectum cognitum ad aliud cognitum, ſtatim reſultat quædam relatio rationis, ſicut poſitis duobus albis ſtatim oritur ſimilitudo ex natura rei, ſic poſitis, actu collatiuo intellectus, & comparatione alterius obiecti cogniti ad aliud, ſtatim reſultat relatio rationis. Et cum ad relationem non ſit per ſe primo motus, ideò cauſari non valet. Mauritius ſuper 3. Q. Vniuerſalium ponit multa ſigna pro cauſanda intentione, & ſubdit. In decimo ſigno. Intellectus habet actum comparatiuum comparantem duas comparationes ad inuicem. In vndecimo ſigno ponit productionem ſecundæ intentionis conſurgentem ex comparatione prædicta. In duodecimo ſigno ponit intentionem ſecundam cauſatam, cum ſua cauſalitate, & productione paſſiua. In tertiodecimo, recipitur intentio in obiecto prius cognito. Tandem, ipſa intentio alio actu cognoſcitur. Sicque illa productio exurgit, non cauſatur: nec eſt vere comparatio paſſiua, derelinquitur enim ex illa comparatione paſſiua, & ita intelligendus eſt Scotus lib. 4.

17. Iacobus. Scotus lib. 1. d. 3. Q. 7. ad G. dicit. Non videtur rationabile, quod aliqua cauſa ſit actiua reſpectu perfectionis, & nullo modo poſſit eſſe actiua reſpectu imperfectionis. Oppoſitum huius apparet non ſolum in via Scoti, at ſecundum veritatem communiter. Nam agens naturale eſt cauſa formæ ſubſtantialis, quæ eſt perfectior materia, & tamẽ non poteſt eſſe cauſa materiæ.

Lucas. Reſp. Scoti dictum lib. 1. quando ait, quod aliqua cauſa ſi eſt cauſa perfectionis ſic & imperfectionis, habet veritatem non abſolutè, ſed in eadem ſpecie. Nam vt, dictum eſt, & ſi agens naturale producat compoſitum ex ſe, & formam concomitanter non tamen poteſt eſſe cauſa materiæ, cum non ſit eiuſdem ſpeciei. Ex quo Scotus loco citato addit in aliqua ſpecie, & eiuſdem rationis.

18. Iacobus. Scotus lib. 1. d. 3. Q. 7. ad G. dicit. Intellectio autem confuſa, & diſtincta albi videntur eſſe intellectiones eiuſdem rationis, quia eiuſdem obiecti. Oppoſitum huius habet Scotus lib. 2. d. 26. ad A. & lib. 4. d. 49. Q. & 2. Meth. Q. 3. vbi ait. Intuitio in patria, & in via ſunt alte-

rius ſpeciei, & tamen ſunt de eodem obiecto, & vult quod obiectum diuerſimode approximatum variet ſpeciem notitiæ & lib. 3. d. 31. habet hæc verba. Quando enim perfectio actus eſt à duobus, ſcilicet à potentia, & ab obiecto quando variatur propria ratio illorum, vel alterius eorum in ſe, vel coniunctione cum aliqua cauſa, vel ſecundum approximationem ad reliquam cauſam, quia minus perfectè agunt cauſæ partiales reſpectu effectus, quando non ſunt ſufficienter approximatæ, & coniunctæ, variabitur tamen perfectio huius actus. Hæc Scotus.

Lucas. Reſp. Aliquid eſſe eiuſdem rationis dupliciter intelligitur, ſimpliciter, vel obiectiuè, ſimpliciter, notitia diſtincta, & confuſa non ſunt eiuſdem rationis, obiectiuè autem ſunt eiuſdem rationis. Fruitio enim viæ, & patriæ ſpecie differunt, vt elicitur à Scoto locis ſuperius citatis; & lib. 2. d. 1. Q. 6. & lib. 3. d. 14. & 13. Quol. ad dictum autem Scoti lib. 1. reſp. Quod arguitiuè ſe habet, & patet, ex illo verbo rectè intellecto, ſcilicet. Videntur eſſe intellectiones eiuſdem rationis. Nam ſi abſolutè id intelligeret, videlicet. Notitia confuſa, & diſtincta ſunt eiuſdem rationis, quia ſunt eiuſdem obiecti. Statim ſibi contradiceret. quia lib. 2. d. 25. ait. Cognitio intuitiua, & abſtractiua differunt ſpecie, etiam reſpectu eiuſdem obiecti. Poſſunt autem bene eſſe duæ notitiæ abſtractiuę eiuſdem ſpeciei, quando ſunt eiuſdem obiecti, non in ſe præſentis, ſed in aliquo repręſentatiuo.

19. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 3. Q. 7. ad Y. dicit. De intellectu in quantum eſt quo formaliter intelligimus. Formaliter autem intelligimus intellectu, in quantum recipit intellectionem; quia ſi cauſet eam actiuè, non tamē dicor intelligere intellectu in quantum cauſat. Oppoſitum huius habet Scotus. Nam Deus, vt patet ex 3. Prol. Q. intelligit, & intellectione dicitur intelligens, & tamen non recipit eam intellectionem.

Lucas. Reſp. Scoti dictum lib. 1. d. 3. Q. 7. intelligitur de intellectu creato, non de diuino. Vel intelligit de intellectu diſtincto realiter à ſua intellectione. Dices. Si Deus imprimeret notitiam in dormiente, vel in freneтico, ille intellectionem reciperet. Dico. Dictum Scoti intelligi debet remoto omni impedimento, & quod ſenſus ſint ſoluti, & organa non ſint læſa. Etiam Scotus non dicit, quod omne id, quod recipit intellectioné intelligat, ſed intelligit ſic. Ideo intelligimus, quia recipimus intellectioné, cū intelligere ſit pati. Dices adhuc. Si Deus cauſaret intellectioné in lapide, lapis reciperet intellectioné, & tamé nō intelligeret. Reſp. Ex impoſſibili ſequitur quodlibet. Implicat enim contradictioné lapidem recipere intellectionem, viſionem, etſi quæ ſint id generis.

20. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 3. Q. 7. ad Y. dicit. Species intelligibilis recipitur in anima, & non immediatè in toto compoſito ex organo, & anima. Idem habet Q. vlt. d. 3. lib. 1. & lib. 2. d. 8. & lib. 4. d. 10. Q. 7. & d. 23. Q. 2. & d. 44. Q. 2. & d. 49. Q. 14. & 9. Quol. Oppoſitum huius habet Scotus lib. 4. d. 49. Q. 1. & 2. vbi vult ſpeciem intelligibilem eſſe in potentijs animæ.

Lucas. Reſp. Duobus modis poteſt intelligi, quod ſpecies intelligibilis ſit in anima, aut reſpectu totius compoſiti, vel abſolutè; in anima quidem eſt immediatè primo modo: nā abſolutè eſt immediatè in intellectu. Notandum. Nullū accidens fundatur immediadè in materia prima; vt docet Scotus lib. 4. d. 11. Q. 3. & d. 13. Q. 1. Secus eſt in via Auer. vt patet

lib.

lib. de Subſt. orbis: vbi vult, quod quantitates interminatæ immediatè recipiantur in materia prima. At id non negat Thom. & Scotus.

21 *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 3. Q. 7. ad Aa. tenet. Quod cauſa quanto proximior, tanto magis aſſimilat ſibi effectum, & quo cauſa eſt remotior, eo magis agit, & eo minus aſſimilat ſibi effectum. Id clarius habetur Q. 8. d. 3. lib. 1. Oppoſitum huius pluribus in locis ait Scotus, ſed pręcipuè lib. 1. d. 1. Q. 1. Nam cauſa ſuperior magis dat eſſe, ergo magis aſſimilat.

Lucas. Reſp. Clarum eſt apud nos, cauſam ſuperiorem plus dare eſſe, quam inferiorem, & etiam magis aſſimilare. At id poteſt eſſe dupliciter, aut ſibi, aut alij; ſibi cauſa ſuperior non aſſimilat effectum, at magis aſſimilat effectum alij, ideſt proximiori cauſę agenti. Rurſus. Aſſimilare magis, dupliciter, virtualiter, & formaliter: virtualiter cauſa ſuperior magis aſſimilat: nam eo magis aſſimilat, quo magis eſt cauſa. Formaliter autem non aſſimilat ſibi effectum. Dices. Quod magis aſſimilat, intellectus, an obiectum? Dico. Hæc comparatio eſt in æquiuoco, cum vnum formaliter, virtualiter alterum aſſimilet, reſpectiuè.

22. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 3. Q. 7. ad Aa. dicit. Species autem quaſi cauſa propinquior, quaſi vniuocè, & formaliter aſſimilatur intellectioni. Oppoſitum habet eademet d. & Q. vbi dicit. Quod intellectio eſſet effectus æquiuocus, ſi ſpecies eſſet cauſa totalis, contra D.Thom. ergo ſimiliter quando eſt partialis, & ſic ſpecies non aſſimilatur intellectioni formaliter, ideſt vniuocè.

Lucas. Reſp. Tam intellectus, quam ſpecies dicuntur cauſæ æquiuocæ ſimpliciter reſpectu intellectionis: tamen ſpecies aſſimilatur intellectioni, ex eo, quod eſt cauſa magis proxima, & magis ſpecificatiua intellectionis. Nam vna intellectio dicitur propriè diſtingui ſpecie ab alia intellectione, quia eſt ab obiecto tali diſtincto ſpecie ab alio obiecto. Intellectus verò dicitur magis aſſimilari virtualiter, tum quia cauſa eſt magis remota, tum quia non propriè ſpecificat intellectionem, nec propriè dicitur talis intellectio, quia ſit talis intellectus, at quia eſt talis obiecti.

23. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 3. Q. 7. ad K. dicit. Intellectio actualis eſt aliquid in nobis non perpetuum, ſed habens eſſe poſt non eſſe. Oppoſitum huius habet lib. 1. d. 3. Q. 6. ad N. vbi vult intellectionem non poſſe deleri, ſed eſſe quid perpetui.

Lucas. Reſp. Intellectio in via Scoti eſt tantum in fieri, & non quid perpetuum. Species verò intelligibilis, ac notitia habitualis, ſeù virtualis perpetuò inſunt intellectui, (vt ſuperius oſtendimus) & de ſpecie intelligibili, ac notitia habituali, & virtuali loquitur Scotus d. 3. lib. 1.

24. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 3. Q. 7. ad K. dicit. Opportet ponere aliquam cauſam actiuam, & aliquomodo in nobis reſpectu intellectionis, alioquin non eſſet in nobis intelligere cum volumus, quod eſt contra Ariſt. 2. de Anima 35. & 66. Oppoſitum huius patet ratione à Scoto ſępius pertractata. Nam quomodo intelligere eſt in poteſtate noſtra, cum cauſæ eius ſint naturales?

Lucas. Reſp. Intelligere eſt in poteſtate noſtra mediatè, at non immediatè, ideſt quatenus illæ cauſæ naturales ſubſunt imperio voluntatis; id verum eſt; ſed an ſit intentio Ariſt.? Salum trahitur id loco citato. Nam eius intentio ibidem eſt hæc. Quis in potentia ad ſcientiam eſt dupliciter, primo, vt idiota, ſecundo, vt ſapiens, quia actu non conſiderat. Ariſt. loquens

loquens de eo, qui eſt in potentia, ſecundo modo, ad differentiam illius, qui eſt in potentia primo modo, ſapiens poteſt intelligere cum vult, & non idiota.

25. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 3. Q. 7. ad K. Tenet quod obiectum non eſt intelligibile, niſi in ſpecie intelligibili. Oppoſitum apparet de notitia intuitiua ex Scoto Q. eadem infra; vbi dicit obiectum in ſe, vel in ſpecie eſt cauſa intellectionis.

Lucas. Reſp. Scotus quando dicit. Obiectum non eſt intelligibile, niſi in ſpecie, loquitur de notitia abſtractiua. Etiam in notitia quoque intuitiua non poteſt eſſe intelligibile, niſi in ſpecie, ideſt requiritur ſpecies, & ſi non vt cauſa, ſaltem vt quidam præuius effectus prequiritur.

26. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 3. Q. 7. ad K. dicit. Eſſentialis diſtinctio non eſt ab eo, quod non eſt cauſa, ex quo concedit Scotus cauſalitatem ipſius obiecti, & loquitur de diſtinctione eſſentiali extrinſeca. Oppoſitum huius videtur deduci ex Scoto lib. 3. d. 15. ſolu. princ. vbi vult, quod dependentia in ratione termini ad obiectum, ſit eſſentialis; & in ratione efficientis, ſit accidentalis, ergo non diſtinguitur ab obiecto actus in quantum eſt cauſa, ſed in quantum terminat. Etiam ſi Deus ſuppleret cauſalitatem obiecti, non minus actus diſtingueretur eſſentialiter ab obiecto. Etiam Logica per ſuum obiectum diſtinguitur ab alia ſcientia, & tamen non efficitur à ſuo obiecto.

Lucas. Reſp. Diſtinctio eſſentialis tribus modis eſt. Formalis, quę fit per vltimas differentias. Effectiua, quæ fit per cauſas effectiuas maximè proximas. Et ea, quæ fit à termino. Tunc dico. Quod Scotus lib. 3. loquitur de diſtinctione eſſentiali, tertio modo, & non primo, nec ſecundo modis. Dices, adhuc ſtat inſtantia. Nam dicit Scotus. Diſtinctio eſſentialis non eſt ab eo, qui non eſt cauſa. Contra. Obiectum, tam in ratione termini eſſentialis diſtinguit, quam in ratione efficientis, & tamen tunc non eſt cauſa, ergo dictum Scoti videtur falſum. Dico. Diſtinctio per obiectum in ratione terminantis eſt à poſteriori, & Scotus lib. 1. loquitur de diſtinctione à priori. Contra. Si diſtinctio per obiectum in ratione terminantis eſt à poſteriori, quomodo eſt eſſentialior alia, quę eſt à priori? Dico. Eo dicitur eſſentialior, quia non poteſt ſuppleri, alia verò poteſt ſuppleri.

27. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 3. Q. 7. ad K. dicit. Si obiectum non concurreret ad intellectionem, non eſſet ſimpliciter intellectio perfectior perfectioris intelligibilis, poſito, ęquali conatu hinc inde, ex parte intellectus. Sicq; intellectio Dei non eſſet perfectior intellectione muſcæ, quod ridiculum eſt. Oppoſitum videtur nempè, quod ratio hæc non concludat, vt patet ex lib. 4. d. 1. Q. 1. apud Scotum; nam notitia ſpecificatur ab obiecto in ratione menſurantis, & non in ratione efficientis; & alia eſt ratio efficientiæ, & alio ratio menſuræ.

Lucas. Reſp. Scoti ratio lib. 1. valet, & probat tantum de perfectione graduali, ſeu intenſiua; at non de perfectione quidditatiua, & eſſentiali, ſeu naturę. Et loquendo de perfectione graduali non eſt inconueniens concedere, quod intellectio hominis, ſeu lapidis ſit perfectior intellectione Dei. Quidditatiuè verò notitia perficitur ex perfectione obiecti. Vnde Ariſt. 11. de Animalibus dicit. Nobilius eſt parum attingere de nobilioribus obiectis, quam multum de alijs. Hæcque eſt doctrina Scoti lib. 1. d. 3. Q. 2. vbi dicit. Viſio dupliciter dicitur perfectior, vel ſimpliciter, vel ſecundũ proportionẽ, &c.

Scotus

28. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 3. Q. 7. ad K. volens probare obiectum concurrere ad intellectionem, & non animã tantũ; inducit ad hoc inconueniens, ſcilicet quod nõ ſit cognitio perfectior de nobiliori obiecto, quod eſt cõtra Ariſto. 1. Ethic. cap. 10. ponentẽ fælicitatem in ſpeculatione obiecti perfectiſſimi. Oppoſitum huius videtur inferri, quod dictum Philoſophi non probet cognitionem eſſe nobiliorem, quia cauſatam à nobiliori obiecto: nam Scotus lib. 1. d. 3. Q. 3. ad I. dicit. Subſtantia ſeparata non mouet intellectum noſtrum pro ſtatu iſto, de alio autem ſtatu dubitauit Ariſt. Rurſus, Tantum cognoſcimus de ſubſtantijs abſtractis communia nobis, & illis, vt docet Scotus 1. Prol. Q. & 1. Q. 3. d. lib. 1. Cognitioque illorum communium tantũ cauſatur à ſenſibilibus; ſicq; non ſequitur nobilitas propter cauſalitatem obiecti, cum illud ſit tantum ſenſibile. Si verò ſiat ſermo pro alio ſtatu, adhuc non ſequitur: Nam fælicitas maximè nobiliſſima erit in ſpeculatione primæ ſubſtantiæ, & illa non mouet aliquem intellectum præter diuinum, vt docet Scotus Q. 14. Quol.

Lucas. Reſp. Phantaſma entis in actu, entis abſoluti, & albedinis, cauſat ſimul cum intellectu agente ſpeciem intelligibilem albedinis, & coloris, & qualitatis, & actus, & abſoluti, & entis, vt docet Scotus 1. & 2. Q. 3. d. lib. 1. ſimiliter phantaſma alicuius primi in alio genere cauſat ſimilitudinem alicuius primitatis, & ſuperiorum. Similiter phantaſma alicuius boni cauſat ſpeciem intelligibilem boni talis naturæ ſpecificæ, & vltimo omnium ſuperiorum. Et nota: cum ſpecies intelligibiles entis in ſe, & primitatis, & bonitatis non includat neceſſario imperfectionem, cum poſſit ſtare cum infinitate, eſt nobilior ſpecie intelligibili albedinis, quæ neceſſario includit imperfectionem. Species ergo intelligibilis entis (admiſſo quod habeat propriam intelligibilitatem) cauſat ſic partialiter cognitionem abſtractiuam entis, quod non poſſet alia ſpecies intelligibilis cauſare: & ſimiliter ſpecies boni, actus, & abſoluti, &c. coniungendo ergo iſta ſimul, nempe ſpeciem intelligibilem entis primi & c. dantur plures cauſæ partiales; ſi ergo tota cognitio eſſet ab anima, ex iſta deductione patet quod vna notitia non eſſet nobilior alia, quod eſſet abſurdum; & patet quomodo intelligatur, ſubſtantiã ſeparatam non mouere intellectum pro ſtatu iſto. Etiam ſi fælicitas conſiſtit ſecũdum Ariſt. in cognitione ſubſtantiarum ſeparatarum, idq; quo ad propria ipſarum; certe ſi illæ nõ concurrerent ad cognitionem, earum cognitio non eſſet nobilior lapidis cognitione, imo cognitio lapidis poſſet eſſe maior ſi anima maiori conatu ipſam producat. Pro alio ſtatu poterunt mouere loquendo de ſubſtantijs ſeparatis à prima, & Eſſentia diuina licet non moueat naturaliter, niſi intellectum diuinum; tamen diuina voluntas ſupplet vicem illius obiecti, cauſando partialiter, vel totaliter, viſionem diuinæ Eſſentiæ in intellectu creato.

29. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 3. Q. 7. ad M. concludit intellectionem fore ab anima, ſpecie, vel obiecto relucente in ſpecie; alterque non poteſt fieri, cum ſint cauſæ eſſentialiter ordinatæ. Oppoſitum patet de anima intelligente ſeipſam, & tunc eſt cauſa totalis, quod poſſit ſe intelligere pro ſtatu iſto in conceptu communi, & pro alio ſtatu diſtinctè docet Scotus vbique.

Lucas. Reſp. Vigerius dicit, quod dictum Sco. debet intelligi de alijs, ab anima,

& contingit intelligere non plura, & hic ſenſus eſt verus. Nam contingit intelligere vnum, quod non eſt plura. At Landulph. ſic reſp. Ariſt. vult oſtendere, quod ſcire habituale eſt plurium, ſed intelligere neceſſariò non eſt plurium, quia poteſt eſſe vnius. Dices. Amplius. Algazael 4. Meth. dicit: ſicut non contingit vnum corpus figurari multis figuris, ita poſſibile eſt intellectum ſimul informari multis intellectionibus. Reſp. Quære. Dices tandem. Quælibet intellectio eſt verbum adæquatum ipſi memoriæ, ergo non poſſunt multę intellectiones eſſe ſimul. Firmatur per dictum commune. Pluribus intentus minor eſt ad ſingula ſenſus. Reſp. Nego aſſumptum. Ad dictum commune. Verum eſt de potentia organica, & de intellectiua, vt ab organica dependet. Franc. lib. 1. d. 3. Q. 11. Expreſſe tenet cum Scoto, quod poſſunt eſſe ſimul in intellectu duo actus intelligendi diſtincti. Eumq; conſulas, id pluribus probantem rationibus. At an eodem actu intelligendi numero poſſit intellectus multa obiecta intelligere? Reſp. Circa hoc Scotus lib. 3. d. 28. & lib. 4. d. 49. Q. 10. fuit dubius. Sed videamus quid ſit tenendum. Scotus lib. 4. d. 1. Q. 1. dicit. Intellectio vna finita non poteſt eſſe plurium obiectorum diſparatorũ. Itaq; ſe determinat: Quæ determinatio habetur lib. 3. d. 14. Q. 1. F. 13. Quol. & lib. 1. d. 6. & lib. 2. d. 1. Q. 6. vbi docet obiecta eſſe diſtinctiua notitiarum, & identificatiua, at non eſſent diſtinctiua, ſi idem actus numero eſſet circa plura obiecta diſparata. Sicque eodem actu intellectus in via Scoti non poterit intelligere plura obiecta diſparata. Sed quid ſenſerit Scotus de obiectis ſubordinatis, vt de fine, & ad finem. De his dico, quod Scotus ſemper remanſit dubius, & quandoque vno modo, & quandoque alio locutus eſt. Et quando lib. 1. d. 2. Q. 1. dicit. Idem intelligere poteſt eſſe plurium obiectorum, loquitur de obiectis ſubordinatis, & tunc declinat intellectum, eodem actu poſſe plura cognoſcere, & alibi, dum dicit. Voluntatem vnico actu, nõ poſſe multa obiecta diligere; tenet aliam partem; ſicque in iſto dubio ſemper fuit problematicus.

Tertia diſt. Quæſt. ſeptima, lib. primi.

1\. *Iacobus.* SCOTVS lib. 1. d. 3. Q. 7. proponit in initio intellectum gignere, & ſi non totaliter, ſaltem partialiter verbum, ſeu notitiam. Oppoſitum huius habet Aug. 9. de Trin. vbi ait. Voluntas concurrit ad producendum verbum, quod ex amore procedit.

Lucas. Reſp. Franc. lib. 1. d. 3. Q. 8. inquit. Aliquando in notitiæ productione ſolum requiritur vna cauſa, ſcilicet quando intellectus ſe ipſum intelligit. Aliquando duæ, nempe, quando intellectus alia intelligit. Aliquando tres, cum intellectus habitibus eſt ornatus; habitus enim concurrit cum obiecto, & potentia. Aliquando, quatuor, ſcilicet quando potentia volitiua concurrit imperando, mouet enim tunc potentiam intellectiuam. Idque non poteſt fieri ſine alicuius impreſſione: illud autem impreſſum nil aliud videtur eſſe niſi actus intelligendi. Hoc modo, verificatur dictũ Aug. Volũtas, ſcilicet Verbũ producit.

Scotus

2. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 3. Q. 7. ad H. dicit. Imago, ſeu ſenſatio, quæ ab Aug. ponitur in ſpiritu, oportet quod intelligatur eſſe in anima, vel in aliquo alio, vt in ſubiecto, & non præcise in corpore ſic mixto. Oppoſitum huius habet Scotus lib. 2. d. 8. & lib. 4. d. 10. Q. 7. & d. 43. Q. 2. & 44. Q. 2. & 49. Q. 14. Et 9. Quol. & lib. 1. d. vult. Q. 3. quibus in locis ait, ſcientia recipitur in anima immediatè, ſed ſenſationes recipiuntur in toto organo immediatè, & non in parte materiali, ſeu formali ipſius organi. Huiuſque rei hæc eſt ratio. Nam ſenſatio, cū ſit materialis, ſubiectū vult materiale, & ita non poteſt recipi immediatè in anima. Rurſus. Si ſenſationes in anima reciperentur, ergo manerent in anima poſt eius ſeparationem à corpore, ſicut remanēt ſciētiæ, vt docet Scotus lib. 4. d. 45. Q. 3.

Lucas. Reſp. Petrus Tatar. 2. de Anima Q. 1. art. 1. not. 4. ſic ad mentem Scoti dicit. Senſatio in compoſito organo, ex organo ſic mixto, & potentia recipitur, & non in anima. Itaque tenendum in via Scoti. Et ad Scotum 7. Q. 3. d. lib. 1. Sic dicendum. Scotus eo loci non loquitur de anima per comparationem ad ſubiectum in quo eſt, ſeu comparationem ad totum cuius eſt pars; ſed per comparationem ad obiectum quod concurrit cum ea ad intellectionem cauſandam. idcircò loquitur indiſtinctè de anima, & de toto cuius eſt pars. Ob idque dixit. Sēſationem fore in anima.

3. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 3. Q. 7. concludit Verbum, ſiuè notitiam eſſe ab intellectu, & obiecto, Oppoſitum huius habet Aug. lib. 12. ſuper Gen. c. 28. vbi videtur dicere, imaginem, ſeu notitiam eſſe ab anima.

Lucas. Reſp. Aug. loquitur de imagine, quæ eſt viſio, ſeu ſenſatio, & reponitur (vt paulo ante dictum eſt) in anima, & non loquitur de ſpecie ſenſibili, quæ ponitur in parte organi, quæ eſt corpus ſic miſtum. Quando dicit. Anima cauſat ſpeciem, non vult excludere obiectum, ſeu corpus, quin cauſet imaginem in ſpiritu, vt cauſa partialis. Anima verò cauſat mira celeritate, ſed vt altera cauſa partialis, ſicut exponit ipſe Aug. 11. de Trin. cap. 2. & 5. A uidente, & viſibili gignitur viſio. Dices, Agens eſt præſtantius paſſo, ergo corpus non poterit (cum ſit materiale) cauſare imaginem, ſeu notitiam ſpiritualem. Reſp. Agens eſt præſtantius patiente, non eſt propoſitio immediata, at ex tribus, alijs dependet: nimirum. Agens eſt præſtantius effectu, effectus agētis eſt actus, & forma patientis. Actus eſt nobilior potentia. Hæc vltima verificatur tantum de actu entitatiuo, coreſpondente ſuæ potentiæ obiectiuæ, ac de actu formali ſubſtantiali. Hi enim actus ſimpliciter nobiliores ſuis potētijs sūt. Vbi igitur hę propoſitiones ſunt veræ, propoſitio illa. Agens eſt præſtantius paſſo, eſt vera. Modo hæc. Agens eſt præſtantius effectu: non eſt vera, niſi de cauſa æquiuoca, totali, ſeu partiali principali, poteſt enim aliqua eſſe cauſa partialiter agens, ad aliquem effectum nobiliorem ſe, ſicut elementum in virtute corporum cæleſtium poteſt agere ad generationem mixti, quod eſt nobilius ipſo elemento; agente, vt partiali cauſa. Expende. Agens, & patiens dupliciter capiuntur; formaliter, & ſic agens ſemper, ac vniuerſaliter, eſt perfectius patiente: & fundamentaliter, & ſic non eſt sēper verū, quod agens ſit nobilius patiente. Dices. Aug. 10. de Trin. c. 5. Anima conuoluit, & rapit imagines corporum factas in ſemetipſa, & de ſemetipſa, ergo totaliter producit imaginem. Reſp. Quęre.

Scotus

4. *Iacobus*. Scotus lib. 1. d. 3. Q. 7. ad P. dicit. Sol non viuus eſt cauſa partialis ad generandum filium viuum cum patre. Ex quo patet, quod cęli non ſunt animati. Oppoſitum huius habet Scotus lib. 2. d. 14. Q. 1. in fine, vbi ſi cęli ſint animati, vel ne (& eſt locus proprius) remanet problematicus.

Lucas. Reſp. Circa animationem cęli loco citato lib. 2. Vtique eſt problematicus Scotus, at non ſibi contrarius lib. 1. dum dicit. Solem non viuum. Nam cum ibi non ſit locus tractandi materiam illam, communiter loquitur: & non ita determinat, quin altera pars problematis ſuſtineri valeat.

5. *Iacobus*. Scotus lib. 1. d. 3. Q. 7. ad P. dicit. Hominem eſſe cauſam particularem in generatione hominis. Idque repetit eadem Q. Oppoſitum huius habet Ant. Andr. omneſque Methaph. 5. Methaph. Q. 1. vbi volunt, Sol, & pater, licet ſint eiuſdem generis, quia ſunt alterius ordinis, ideo quęlibet earum cauſarum appellatur cauſa totalis. Idem ſentiunt Paris. 2. Phiſ. Q. 2. art. 2. dub. 1.

Lucas. Reſp. Scotus quando Q. 7. d. 3. lib. 1. bis vocat hominem particularem cauſam, loquitur de cauſa totali, vt complectitur totum genus cauſæ: & ſic eſt verum, quod ſol, & pater ſunt cauſæ partiales, id eſt determinatæ ad illum effectum. Non ſic autem Sol, qui concurrit cum multis cauſis ſecundis, ad multos effectus producendos. Sicque ex ęquiuocatione huius nominis, cauſa totalis, euaneſcit omnis difficultas.

6. *Iacobus*. Scotus lib. 1. d. 3. Q. 7. tenet per totum, obiectum, & intellectum poſſibilem eſſe cauſam verbi, ſeu intellectionis. Oppoſitum huius habet Aug. lib. 6. Muſicæ ſuæ circa principium. Vbi ſic ait. Videtur mihi, quod anima cum ſentit in corpore non ab illo aliquid patitur, ſed in eius paſſione attentius agere. Et ſubdit. Cum anima ab operationibus ſuis aliquid patitur à ſe ipſa patitur, non à corpore, ex quibus verbis, videtur ſequi, intellectionem totaliter eſſe ab intellectu agente.

Lucas. Reſp. Aug. dictum intelligitur. Intellectionem eſſe ab anima, vt à cauſa non totali, ſed à partiali magis principali, ab obiecto verò, vt à cauſa minus principali. Etiam loquitur Aug. cum illo verbo. Videtur. Ex quo non poteſt rectè capi auctoritas. Vel dic. Verum eſt dictum Aug. de actione reali, & non de intentionali.

7. *Iacobus*. Scotus lib. 1. d. 3. Q. 7. ad A. dicit. Quando duæ cauſæ priores ipſa re, ſcilicet efficiens, & materia ſunt in ſe perfectæ approximatæ, & non impeditæ ſequitur effectus. Oppoſitum huius ſequitur ex dictis eius, & potiſſimum 1. Prol. Q. vbi non vult animam ſe cognoſcere, & tamen eſt ſibi præſens, & non videtur impedimentum: ergo ex dicto ſuo, iam iam poterit ſe cognoſcere.

Lucas. Reſp. Propoſitio illa. Actiuo, & paſſiuo debite approximatis, &c. Sic debet intelligi, id eſt, quando actiuum eſt debite præſens præſentia requiſita ad actionem; nam color eſt actiuus viſionis, tamen maior præſentia poteſt impedire viſionem: ſi enim actu aplicaretur oculo, viſio non cauſaretur; requiritur igitur preſentia cum debita proportione, ita ad propoſitum. Quamuis anima ſit ſibi perfectè præſens præſentia entitatiua, cum ſit ſimpliciter eadem res, ex tali preſentia tamen non ſequitur actio, cum non ſit ſibi præſens in ratione obiecti intelligibilis: quæ præſentia pro ſtatu iſto non poteſt haberi nec mediate, nec immediate, vt patet ex Scoto lib. 1. d. 1. Q. 3. vbi oſtendit. Nullam ſubſtantiam pro ſtatu iſto immutare intellectum noſtrum ad ſui cognitio-

nem,

nem, & ſi anima ſit preſens proprio intellectui, aliquando in ratione obiecti intelligibilis, id non erit reſpectu conceptus proprij, ſed tantum reſpectu communis ſibi, & ſenſibilibus. Anima veró ſeparata erit cauſa totalis ſuæ cognitionis.

8. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 3. Q. 7. ad A. videtur negare cauſam ſine qua nō, arguendo contra Heur. Oppoſitum huius habet Scotus lib. 2. d. 25. ad M. vbi vult, ſecundum vnum modum dicendi, intelligere eſſe cauſam ſine qua non reſpectu eius velle; idque habet lib. 1. d. 41. & 1. Methaph. Q. 6. & in via Scoti, vt Baſol. docet 1. Prol. Q. Notitia intuitiua fit ab obiecto concomitante prę́ſentiam, vt cauſa ſine qua non.

Lucas. Reſp. Lychetus ſuper primo Scoti tenet rationem doctoris contra Henr. eſſe euidentem, vbi negat cauſam ſine qua non. Ad illud lib. 2. de voluntate, dicit. Non eſt ſimile: quia voluntas eſt potentia eſſentialiter poſterior intellectu in operando, & neceſſario præſupponit operationem intellectus: & licet ſit cauſa totalis ſui actus, non poteſt tamen actum immediatè producere niſi prius intellectus cognouerit. Intellectus veró circa obiectum non præſupponit actum alterius potentiæ, hinc non requirit cauſam ſine qua non. Et addit Lychetus, ſi voluntas poſſet habere actum ſuum circa obiectum, nullo actu alterius potentię præſuppoſito, ita poſſet cauſare volitionem illius obiecti, ſi eſſet abſens, ſicut quando eſt præſens, quia ipſa voluntas eſſet totale actiuum reſpectu volitionis, & receptiuum eiuſdem. Quidam alij dicunt, quod Scotus non negat lib. 1. loco citato cauſam ſine qua non, ſed tantum negat, quod non ſit aliud genus diſtinctum à quatuor generibus cauſarū. Bargius ſuper primum. Dicit. Ratio Scoti contra Henr. de negatione cauſæ ſine qua non, eſt tantum topica. Nam ſtatim in litera, quę ſignatur pro extra, ſoluitur à Scoto, ſicque non eſt mala reſponſio, quod obiectum ſit cauſa ſine qua non. Additque quod ſit bona reſponſio, vt obiectum requiratur in ratione termini, & non in ratione efficientis. Nam ſecundum Scotum d. 15. ſolu. princ. dependentia notitiæ ad obiectum eſt eſſentialis in ratione termini, alia eſt accidentalis. Et lib. 4. d. 10. Q. 9. At clarius Franc. 18. Q. Prol. & in 4. d. 11. Q. 6. dicit dependentia ad obiectum in ratione termini non poteſt ſupleri.

9. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 3. Q. in quodam extra ad B. dicit. Volitio non eſt cauſa actiua delectationis, ſed obiectum. Oppoſitum huius habet Scotus lib. 3. d. 15. ad D. & lib. 4. d. 14. Q. 1. Quibus in locis aſſignat cum obiecto diſconuenienti ipſum nolle pro cauſis triſtitiæ, & cum obiecto conuenienti ipſum velle pro cauſis delectationis.

Lucas. Reſp. Scotus lib. 1. in illo extra loquitur ſecundum tenentes quod velle, & delectatio ſint idem realiter. Idque trahitur ex litera Scoti paulo ante poſita. Rurſus. Litera illa Scoti non eſt legitima eiuſdem, ſed tantum eſt vnum extra, & nihil habet firmitatis. Rurſus. Scotus lib. 3. loquitur reſpectu doloris in carne, & delectationis ſibi correſpondentis, & dicit. Obiectum conueniens, & diſconueniens ſunt cauſæ totales ſine aliquo actu ex parte potentiæ. At reſpectu triſtitiæ, quæ eſt in anima dicit, quod ad triſtitiam requiritur obiectum diſconueniens cum nolle, & ad gaudium oppoſitum requiritur obiectum conueniens cum velle; huncque modum inſequitur Sco. eo loci. Recitat tamen alterum modum, quem non confutat, ſcilicet, Diſconuenientia obiecti ſufficit ad triſtitiam ſine nolle, & conuenientia obie-

cti ſufficit ad gaudium ſine velle. Hoc animaduerte. Dico. Sco. loqui in 1. ſecundum illum modum, quem ponit d. 15. lib. 3. & non cõfutat, & maximè cum in primo non ſit locus talis materiei.

10. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 3. Q. 7. ad R. dicit. Nihil agit in ſe ipſum, loquendo de agente vniuoco. Oppoſitum habet eamet Q. ad S. vbi dicit. Subiectum cauſat effectiuè in ſe ipſum ſuam paſſionem. Idque habet etiã l. 1. d. 13. in tertia ratione contra Henr. Et lib. 2. d. 1. Q. 1. & d. 25. 26 & 34. Et lib. 4. d. 12. Q. 3. & d. 13. Q. 1. & 9. Quol. 14. Ergo aliquid agit vniuocè in ſe.

Lucas. Pro tollenda iſta difficultate; Notandæ veniunt hæ Scoticæ propoſitiones 9. Meth. Q. 14. Prior eſt. Nihil agit in ſe ipſum cauſando in ſe ipſum formam ſubſtantialem. At Forma ſubſtantialis poteſt augere, & manutenere, vt patet in nutriente, & pueris creſcentibus, ſed totam formam de nouo producere eſt impoſſibile. Altera. Nihil poteſt agere in se ipſum actione vniuoca. Dices. Calidum vt 4. facit calidũ vt 6. & agit ita vniuocè in ſe ipſum. Dico, nulla forma ibi de nouo generatur, ſed tantum fiunt gradus de nouo; eſſet enim inconueniens, ſi fieret aliqua forma de nouo. Vel dicas, non fiunt illi gradus de nouo, virtute graduum caliditatis prępexiſtentis, ſed tantum virtute formæ ſubſtantialis, cuius virtute fuerunt introducti illi primi gradus. Tertia propoſitio; Grauia, & leuia mouent ſe effectiuè ad loca ſua naturalia, vt docet Scotus lib. 2. d. 2. Q. 10. Quarta, Animalia mouent ſe ad vbi, motu progreſſiuo: idque habet lib. 2. d. 2. Q. 10. Sed in hac concluſione differunt Scotus & Thom. Nam vult Thom. quod talia diuidantur in partem per ſe mouentem, & in partem per ſe motam, & ita vna pars mouet aliam, vt anima mouet corpus. Idque dicit Thom. 3. p. S. Q. 32. art. 4. & 8. Phiſ. lect. 9. & 20. Primo ſent. d. 8. Q. 8. & Quæſt. de malo Q. 2. art. 11. Scotus autem vult, quod totum moueat effectiuè, & non quod pars moueat partem. Idque expreſſe diſputat Scotus contra Thom. 9. Methaph. Q. 14. Et id non ſolum tenet Scotus de partibus eſſentialibus, ſed etiam de integralibus, vt patet de motu ſaltandi, vbi vna pars integralis non mouet aliam, ſed totum mouet totum. Quinta. Animatum mouet ſe effectiuè ad quantitatem, vt docet Ariſt. 7. Meth. 32. & Scotus lib. 1. d. 3. Q. 7. & lib. 2. d. 2. Q. 10. Sexta, Aqua calefacta ſe ipſam frigefacit. Id innuit Sco. 9. Meth. Q. 14. Dices, aqua frigefit ab aere circunſtante, ergo non à ſe ipſa. Dico, falſum eſt. Nam reducit ſe ad maiorem frigiditatem, quam ſit frigiditas aeris ambientis. Replicabis. Si aqua calida ſe ipſã poteſt frigefacere, frigefaceret etiam quidquid eſt ſibi proximũ: vt experientia docet. Reſp. Aqua calida non poteſt aliqua frigefacere, niſi prius in ſe frigiditatem inducat. Ob illam regulam Scoti de duobus effectibus eſſentialiter ſubordinatis; Nam tunc tale agens non poteſt in poſterius niſi prius agat in prioré effectum. Aut dicas, alio aqua calefacta frigefacit ſe, & alio celefacit ſibi proximum paſſum, nam ſua forma ſubſtantiali continet virtualiter frigiditatem, qua ſe infrigidat, & accidente illo communi calefacit paſſum ſibi proximum. Septima prop. Potentia cognitiua, & appetitiua mouet ſe ad actus ſuos proprios. Octaua, Subiectum effectiuè cauſat in ſe ipſum ſuam paſſioné: ex his ergo propoſitionibus patet quomodo veritas illa ſit intelligéda. Nihil agit in ſe ipſum, cauſando in ſe formam ſubſtantialem. Etiam

pates

patet quid ſit dicendum ad propoſitam contradictionem.

11. *Iacobus.* Scotus lib. d. 3. Q. 7. ad R. dicit. In quantitate nullum eſt agens vniuocum, quia in genere quantitatis nulla eſt forma, quæ ſit principium inducendi ſimilem formam; imo, vt generaliter dicatur. Quecunq; motus eſt ad formam non actiuam. Idque docet Scotus lib. 2. d. 3. Q. 4. Quantitatem non eſſe de genere actiuorum. Oppoſitum huius patet ex doctrina Scoti & ex experientia. Nam quantitas immutat ſenſum, ſimul & intellectum; ergo eſt de genere actiuorum.

Lucas. Reſp. Actio duobus modis poteſt quantitati competere, vel realiter, aut intentionaliter; quando Scotus in primo negat quantitatem eſſe actiuam, loquitur de actione reali, ideſt quantitas non poteſt agere ad terminum materialem realem, at intentionaliter poteſt mouere ſenſum, & intellectum; ex quo ſequitur excedi hac qualitate in perfectione, vt Sco. probat lib. 4. d. 12. Q. 2. Primo ſic. Nam qualitas eſt principium agendi aliquam actionem realem, nulla autem actio realis conuenit quantitati. Secundo Nobiliores ſubſtantiæ habent nobiliores qualitates, & ſic ordo qualitatum eſt ſecundum ordinem ſubſtantiarum, non ſic autem correſpondet ordo quantitatum. Non enim nobilior ſubſtantia eſt in quantitate maior. Tertio. Per qualitates ſubſtantiæ perfectæ conſequuntur fines ſuos. Nam intellectione, & volitione attingimus finem, non autem aliqua quantitate. Quarto. Quantitas ſequitur compoſitum ratione materiæ; Qualitas verò ratione formæ. At forma eſt nobilior materia 7. Meth. 7. Quinto, Qualitas magis conuenit cum perfectione, quam faciat quantitas, vt patet de ſapientia, intelligere, & velle, ergo eſt perfectior quantitate. Expende. Nullum prædicamentum poteſt vniuoce produci, exceptis ſubſtantia, & qualitate. Hæc tantum duo ſunt de genere actiuorum, & nullum aliud. Nam ſi quantitas non eſt de genere actiuorum, quod magis videtur, ergo nec alia ſeptem prædicamenta erunt de genere actiuorum.

12. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 3. Q. 7. ad F. dicit Aliquæ relationes non ſunt incompoſſibiles, nec in eadem natura, nec in eodem ſuppoſito, vt mouens, & motum. Oppoſitum huius habet Ariſt. 5. Meth. vbi vult, quod inter mouens, & motum ſit diſtinctio realis; ergo idem non poteſt ſe ipſũ mouere.

Lucas. Reſp. Scotus lib. 2. d. 25. dicit. Sufficit, quod ſit diſtinctio realis inter mouens, & rem acquiſitam per motum, & non requiritur, quod ſit inter mouens, & motum. Nam ſufficit, quod ſit diſtinctio realis inter voluntatem mouentem, & volitionem acquiſitam, non quod ſit inter voluntatem mouentem, & ipſam motam. Dices. Oppoſita relatiua includunt contradictoria, ergo ſi in eodem poſſunt eſſe relationes oppoſitæ, erunt contradictoriæ. Reſp. Scotus lib. 2. vt ſupra. Talia relatiua in eodem non ſunt oppoſita. Nam non ſunt in eodem ſecundum eandem rationem formalem, at ſecundum diuerſas rationes. Vnde, ſi hæc propoſitio, eſt vera ratione connotati. Actiuum eſt paſſiuum. Hæc verò nunquam eſt vera. Actio eſt paſſio. Nam iſta duo non poſſunt verificari ratione connotati. Dices amplius. Eiuſdem ad ſe non eſt relatio realis. At mouens, & motum 5. Meth. 20. referuntur realiter ergo non poterunt eſſe in eodem. Huic ergo. Reſp. Scotus lib. 2. Report. d. 25., & dicit, Idem omnino non refertur re-

latione reali ad ſe ipſum, & concedit, quod mouens, & motum ſunt relationes reales. Et ſubdit, ſi voluntas cauſet in ſe volitionem, ipſa cōſiderata abſolutè, ſine quocunque alio, cauſat relationem mouentis, & ipſa conſiderata, vt habens in ſe volitionem, ſic fundat relationem moti, prius enim volitio eſt cauſata in voluntate, & in ea recepta, quā denominetur mouens, vel mota. Nam priora ſunt abſoluta in cauſa, & in effectu, quam relationes in aliquo eorum, ſicque idem patet nō referri relationibus oppoſitis.

13. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 3. Q. 7. ad S. dicit. Cauſa, & cauſatum in eadem natura, & ſuppoſito repugnant. Oppoſitum huius habet Ariſt. 2. Phiſ. 29. & 5. Metaph. 2. Vbi appellat virum cauſam pueri: quod etiam ſæpe in ſua doctrina facit Scotus.

Lucas. Reſp. Aliqui exponunt. Natura, i. de eſt ſpecie. Sicque dicunt. In creaturis pater non poteſt dici cauſa filij. Aiunt alij. Scotus intellexit. Non poſſunt eſſe in eadem natura numero, vt patet in diuinis. Iſtoque ſenſu locutus eſt. Ariſt. Nam hoc modo pater in creaturis poteſt eſſe cauſa filij; quia cōmuniter tenetur eſſe diſtinctionē realē inter cauſā, & cauſatum. Nam cauſa ſic diffinitur à Boetio. Cauſa eſt ad cuius eſſe ſequitur aliud, & hi aliud, ex lo icis, notat alietatem naturę. Auicen. Cauſa eſt principium, à quo aliquid in eſſe dependet. Dependentia dicit alteritatem naturę. Algazael; quicquid habet eſſe per aliud, cauſatum eſt; illud verò per quod habet eſſe cauſa eſt illius: qua in diffinitione li, aliud, notat diuerſitatem naturæ. Ex hiſque patet primam expoſitionem ad literam Scoti eſſe meliorem. Et ſi altera interpretatio valeat ſuſtineri.

14. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 3. Q. 7. ad D. Arguens in Gotfr. ponentem agens, & patiens diſtincta fore ſubiecto, ducit eum ad inconueniens. Angelus tunc, in quo non poteſt poni talis diſtinctio in ſubiecto, nullam poſſet habere intellectionem nouam, quantumcunque habeat obiecta multa præſentia habitualiter. Oppoſitum huius apparet expreſſe ex Scoto, lib. 2. d. 9. Q. de locutione Agelorum. vbi ponit vnum Angelum poſſe mouere intellectum alterius Angeli, qua motione intelligit, & ſunt diſtincta ſubiecto.

Lucas. Reſp. Notitia alia eſt abſtractiua, & alia intuitiua. Scotus lib. 1. concludit inconueniens ex dictis à Gotfredo in cognitione abſtractiua: lib. verò 2. Sco. dictum includit de cognitione intuitiua, quod concedo. Et quod Angelus poſſit de nouo habere nouas intellectiones de obiectis ſibi præſentatis, docet Scotus lib. 2. d. 3. Q. vlt. Et de anima ſeparata lib. 4. d. 45. Q. 2.

15. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 3. Q. 7. ad E dicit. Phantaſma cum ſit agens naturale, ſi produceit intellectionem (vt ſentit Gotfr. in quem arguit Scotus) ſēper cauſabit eam eiuſdem rationis, ſicque de ea non poterit haberi aliquando conceptus falſus, quod, contra experientiam eſt. Oppoſitū Scoti ſententiæque ex dicto quoque iſto apparet. Nam ſecundū Scotum vbique. Intellectus cauſat intellectionem, & eſt agens naturale, ergo non poterit nunc complexionem apprendere, vt veram, nunc, vt falſam, vt ſemper vniformiter intelligat.

Lucas. Reſp. Non eſt ſimile de phantaſmate, & intellectu. Nam phantaſma nullo pacto eſt liberū; intellectus verò, licet non ſit liber per eſſentiam, habet tamen libertatem ex participatione, ſeruit enim voluntati, ex

Scoto

Scoto lib. 4. d. 49. Q. 5. Idcircò voluntas poteſt imperare intellectui, vt intelligat, prout eſt in re, quia intellectus non intelligit adheſiuè, ante actum voluntatis, niſi prima operatione, ſcilicet ſimplicia apprehendendo, at quid eſt illud, quod dat obiecto, vt cauſet actum, qui eſt falſus? Reſp. Franc. lib. 1. d. 3. Q. 7. Dico quod illud eſt potentia volitiua, quia vel mouet obiectum, vel ſaltem cauſat in intellectu poſſibili diſpoſitionem ad hoc.

16. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 3. Q. 7. ad F dicit (arguens in Gotfr. ponentem omnem cauſalitatem intellectionis ex parte obiecti) Intellectus tunc nullo actu ſuo poterit conferre obiectum ſuum ad aliud, quæ collatio cauſat relationem rationis, vel ſecundam intentionem in obiecto. Idque expreſſius ait lib. 4. d. 1. Q. 2. vbi vult intentionem ſecundam eſſe comparationem paſſiuam ipſius intellectus. Oppoſitum huius patet. Nam ſecunda intentio verè non poteſt cauſari ab intellectu, nec ab obiecto, cum ſint cauſæ reales, & omnis cauſa realis producit effectum realẽ, ſecunda vero intentio non eſt quid reale, vt omnibus patet.

Lucas. Reſp. Secunda intentio non cauſatur propriè ab intellectu, nec ab aliquo eius actu. Si autem reperias in via Scoti ſecundam intentionem cauſari, exponas, cauſari, id eſt derelinqui. Nam quando intellectus comparat vnum obiectum cognitum ad aliud cognitum, ſtatim reſultat quædam relatio rationis, ſicut poſitis duobus albis ſtatim oritur ſimilitudo ex natura rei, ſic poſitis, actu collatiuo intellectus, & comparatione alterius obiecti cogniti ad aliud, ſtatim reſultat relatio rationis. Et cum ad relationem non ſit per ſe primo motus, ideò cauſari non valet. Mauritius ſuper 3. Q. Vniuerſalium ponit multa ſigna pro cauſanda intentione, & ſubdit. In decimo ſigno. Intellectus habet actum comparatiuum comparantem duas comparationes ad inuicem. In vndecimo ſigno ponit productionem ſecundæ intentionis conſurgentem ex comparatione prædicta. In duodecimo ſigno ponit intentionem ſecundam cauſatam, cum ſua cauſalitate, & productione paſſiua. In tertiodecimo, recipitur intentio in obiecto prius cognito. Tandem, ipſa intentio alio actu cognoſcitur. Sicque illa productio exurgit, non cauſatur: nec eſt vere comparatio paſſiua, derelinquitur enim ex illa comparatione paſſiua, & ita intelligendus eſt Scotus lib. 4.

17. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 3. Q. 7. ad G. dicit. Non videtur rationabile, quod aliqua cauſa ſit actiua reſpectu perfectionis, & nullo modo poſſit eſſe actiua reſpectu imperfectionis. Oppoſitum huius apparet non ſolum in via Scoti, at ſecundum veritatem communiter. Nam agens naturale eſt cauſa formæ ſubſtantialis, quæ eſt perfectior materia, & tamen non poteſt eſſe cauſa materiæ.

Lucas. Reſp. Scoti dictum lib. 1. quando ait, quod aliqua cauſa ſi eſt cauſa perfectioris ſic & imperfectioris, habet veritatem non abſolutè, ſed in eadem ſpecie. Nam vt, dictum eſt, & ſi agens naturale producat compoſitum ex ſe, & formam concomitanter non tamen poteſt eſſe cauſa materiæ, cum non ſit eiuſdem ſpeciei. Ex quo Scotus loco citato addit in aliqua ſpecie, & eiuſdem rationis.

18. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 3. Q. 7. ad G. dicit. Intellectio autem confuſa, & diſtincta albi videntur eſſe intellectiones eiuſdem ſpeciei, quia eiuſdem obiecti. Oppoſitum huius habet Scotus lib. 2. d. 26. ad A. & lib. 4. d. 49. Q. & 2. Meth. Q. 3. vbi ait. Intuitio in patria, & in via ſunt alte-

rius

rius ſpeciei, & tamen ſunt de eodem obiecto, & vult quod obiectum diuerſimode approximatum variet ſpeciem notitiæ & lib. 3. d. 31. habet hæc verba. Quando enim perfectio actus eſt à duobus, ſcilicet à potentia, & ab obiecto quando variatur propria ratio illorum, vel alterius eorum in ſe, vel coniunctione cum aliqua cauſa, vel ſecundum approximationem ad reliquam cauſam, quia minus perfecte agunt cauſæ partiales reſpectu effectus, quando non ſunt ſufficienter approximatæ, & coniunctæ, variabitur tamen perfectio huius actus. Hæc Scotus.

Lucas. Reſp. Aliquid eſſe eiuſdem rationis dupliciter intelligitur, ſimpliciter, vel obiectiuè, ſimpliciter, notitia diſtincta, & confuſa non ſunt eiuſdem rationis, obiectiuè autem ſunt eiuſdem rationis. Fruitio enim viæ, & patriæ ſpecie differunt, vt elicitur à Scoto locis ſuperius citatis; & lib. 2. d. 1. Q. 6. & lib. 3. d. 14. & 13. Quol. ad dictum autem Scoti lib. 1. reſp. Quod arguitiue ſe habet, & patet, ex illo verbo rectè intellecto, ſcilicet. Videntur eſſe intellectiones eiuſdem rationis. Nam ſi abſolutè id intelligeret, videlicet. Notitia confuſa, & diſtincta ſunt eiuſdem rationis, quia ſunt eiuſdem obiecti. Statim ſibi contradiceret. quia lib. 2. d. 25. ait. Cognitio intuitiua, & abſtractiua differunt ſpecie, etiam reſpectu eiuſdem obiecti. Poſſunt autem bene eſſe duæ notitiæ abſtractiuę eiuſdem ſpeciei, quando ſunt eiuſdem obiecti, non in ſe præſentis, ſed in aliquo repręſentatiuo.

19. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 3. Q. 7. ad Y. dicit. De intellectu in quantum eſt quo formaliter intelligimus. Formaliter autem intelligimus intellectu, in quantum recipit intellectionem; quia ſi cauſet eam actiuè, non tamẽ dicor intelligere intellectu in quantum cauſat. Oppoſitum huius habet Scotus. Nam Deus, vt patet ex 3. Prol. Q. intelligit, & intellectione dicitur intelligens, & tamen non recipit eam intellectionem.

Lucas. Reſp. Scoti dictum lib. 1. d. 3. Q. 7. intelligitur de intellectu creato, non de diuino. Vel intelligit de intellectu diſtincto realiter à ſua intellectione. Dices. Si Deus imprimeret notitiam in dormiente, vel in freneтico, ille intellectionem reciperet. Dico. Dictum Scoti intelligi debet remoto omni impedimento, & quod ſenſus ſint ſoluti, & organa non ſint læſa. Etiam Scotus non dicit, quod omne id, quod recipit intellectionẽ intelligat, ſed intelligit ſic. Ideo intelligimus, quia recipimus intellectionẽ, cũ intelligere ſit pati. Dices adhuc. Si Deus cauſaret intellectionẽ in lapide, lapis reciperet intellectionẽ, & tamẽ nõ intelligeret. Reſp. Ex impoſſibili ſequitur quodlibet. Implicat enim contradictionẽ lapidem recipere intellectionem, viſionem, etſi quæ ſint id generis.

20. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 3. Q. 7. ad Y. dicit. Species intelligibilis recipitur in anima, & non immediatè in toto compoſito ex organo, & anima. Idem habet Q. vlt. d. 3. lib. 1. & lib. 2. d. 8. & lib. 4. d. 10. Q. 7. & d. 23. Q. 2. & d. 44. Q. 2. & d. 49. Q. 14. & 9. Quol. Oppoſitum huius habet Scotus lib. 4. d. 49. Q. 1. & 2. vbi vult ſpeciem intelligibilem eſſe in potentijs animæ.

Lucas. Reſp. Duobus modis poteſt intelligi, quod ſpecies intelligibilis ſit in anima, aut reſpectu totius compoſiti, vel abſolutè; in anima quidem eſt immediatè primo modo: nã abſolutè eſt immediatè in intellectu. Notandum. Nullũ accidens fundatur immediadè in materia prima; vt docet Scotus lib. 4. d. 11. Q. 3. & d. 13. Q. 1. Secus eſt in via Auer. vt patet

lib.

lib. de Subſt. orbis: vbi vult, quod quantitates interminatæ immediatè recipiantur in materia prima. At id non negat Thom. & Scotus.

21 *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 3. Q. 7. ad Aa. tenet. Quod cauſa quanto proximior, tanto magis aſſimilat ſibi effectum, & quo cauſa eſt remotior, eo magis agit, & eo minus aſſimilat ſibi effectum. Id clarius habetur Q. 8. d. 3. lib. 1. Oppoſitum huius pluribus in locis ait Scotus, ſed pręcipuè lib. 1. d. 1. Q. 1. Nam cauſa ſuperior magis dat eſſe, ergo magis aſſimilat.

Lucas. Reſp. Clarum eſt apud nos, cauſam ſuperiorem plus dare eſſe, quam inferiorem, & etiam magis aſſimilare. At id poteſt eſſe dupliciter, aut ſibi, aut alij; ſibi cauſa ſuperior non aſſimilat effectum, at magis aſſimilat effectum alij, ideſt proximiori cauſę agenti. Rurſus. Aſſimilare magis, dupliciter, virtualiter, & formaliter: virtualiter cauſa ſuperior magis aſſimilat: nam eo magis aſſimilat, quo magis eſt cauſa. Formaliter autem non aſſimilat ſibi effectum. Dices. Quod magis aſſimilat, intellectus, an obiectum? Dico. Hæc comparatio eſt in æquiuoco, cum vnum formaliter, virtualiter alterum aſſimilet, reſpectiuè.

22.*Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 3. Q. 7. ad Aa. dicit. Species autem quaſi cauſa propinquior, quaſi vniuocè, & formaliter aſſimilatur intellectioni. Oppoſitum habet eademet d. & Q. vbi dicit. Quod intellectio eſſet effectus æquiuocus, ſi ſpecies eſſet cauſa totalis, contra D.Thom. ergo ſimiliter quando eſt partialis, & ſic ſpecies non aſſimilatur intellectioni formaliter, ideſt vniuocè.

Lucas. Reſp. Tam intellectus, quam ſpecies dicuntur cauſæ æquiuocæ ſimpliciter reſpectu intellectionis: tamen ſpecies aſſimilatur intellectioni, ex eo, quod eſt cauſa magis proxima,& magis ſpecificatiua intellectionis. Nam vna intellectio dicitur propriè diſtingui ſpecie ab alia intellectione, quia eſt ab obiecto tali diſtincto ſpecie ab alio obiecto. Intellectus verò dicitur magis aſſimilari virtualiter, tum quia cauſa eſt magis remota, tum quia non propriè ſpecificat intellectionem, nec propriè dicitur talis intellectio, quia ſit talis intellectus, at quia eſt talis obiecti.

23.*Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 3. Q. 7. ad K. dicit. Intellectio actualis eſt aliquid in nobis non perpetuum, ſed habens eſſe poſt non eſſe. Oppoſitum huius habet lib. 1. d. 3. Q. 6. ad N. vbi vult intellectionem non poſſe deleri, ſed eſſe quid perpetui.

Lucas. Reſp. Intellectio in via Scoti eſt tantum in fieri, & non quid perpetuum. Species verò intelligibilis, ac notitia habitualis, ſeù virtualis perpetuò inſunt intellectui, (vt ſuperius oſtendimus) & de ſpecie intelligibili, ac notitia habituali, & virtuali loquitur Scotus d. 3. lib. 1.

24.*Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 3. Q. 7. ad K. dicit. Opportet ponere aliquam cauſam actiuam, & aliquomodo in nobis reſpectu intellectionis, alioquin non eſſet in nobis intelligere cum volumus, quod eſt contra Ariſt. 2. de Anima 35. & 66. Oppoſitum huius patet ratione à Scoto ſępius pertractata. Nam quomodo intelligere eſt in poteſtate noſtra, cum cauſæ eius ſint naturales?

Lucas. Reſp. Intelligere eſt in poteſtate noſtra mediatè, at non immediatè, ideſt quatenus illæ cauſæ naturales ſubſunt imperio voluntatis; id verum eſt; ſed an ſit intentio Ariſt.? Salum trahitur id loco citato. Nam eius intentio ibidem eſt hæc. Quis in potentia ad ſcientiam eſt dupliciter, primo, vt idiota, ſecundo, vt ſapiens, quia actu non conſiderat. Ariſt. loquens

28. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d.3. Q. 7. ad K. volens probare obiectum concurrere ad intellectionem,& non animā tantū; inducit ad hoc inconueniens, ſcilicet quod nō ſit cognitio perfectior de nobiliori obiecto,quod eſt cōtra Ariſto. 1. Ethic. cap. 10. ponenté fœlicitatem in ſpeculatione obiecti perfectiſſimi. Oppoſitum huius videtur inferri, quod dictum Philoſophi non probet cognitionem eſſe nobiliorem, quia cauſatam à nobiliori obiecto: nam Scotus lib. 1. d. 3. Q. 3. ad I. dicit. Subſtantia ſeparata non mouet intellectum noſtrum pro ſtatu iſto, de alio autem ſtatu dubitauit Ariſt. Rurſus, Tantum cognoſcimus de ſubſtantijs abſtractis communia nobis, & illis,vt docet Scotus 1. Prol.Q. & 1. Q. 3. d. lib. 1. Cognitioque illorum communium tantū cauſatur à ſenſibilibus; ſicq; non ſequitur nobilitas propter cauſalitatem obiecti, cum illud ſit tantum ſenſibile. Si vero fiat ſermo pro alio ſtatu, adhuc non ſequitur: Nam fœlicitas maxime nobiliſſima erit in ſpeculatione primę ſubſtantiæ, & illa non mouet aliquem intellectum pręter diuinum, vt docet Scotus Q. 14. Quol.

Lucas. Reſp. Phantaſma entis in actu, entis abſoluti, & albedinis, cauſat ſimul cum intellectu agente ſpeciem intelligibilem albedinis, & coloris, & qualitatis, & actus, & abſoluti, & entis, vt docet Scotus 1.& 2. Q. 3. d. lib. 1. ſimiliter phantaſma alicuius primi in alio genere cauſat ſimilitudinem alicuius primitatis, & ſuperiorum. Similiter phantaſma alicuius boni cauſat ſpeciem intelligibilem boni talis naturę ſpecificæ, & vltimo omnium ſuperiorum. Et nota: cum ſpecies intelligibiles entis in ſe, & primitatis, & bonitatis non includat neceſſario imperfectionem, cum poſſit ſtare cum infinitate, eſt nobilior ſpecie intelligibili albedinis, quę neceſſario includit imperfectionem. Species ergo intelligibilis entis (admiſſo quod habeat propriam intelligibilitatem) cauſat ſic partialiter cognitionem abſtractiuam entis,quod non poſſet alia ſpecies intelligibilis cauſare: & ſimiliter ſpecies boni, actus, & abſoluti, &c. coniungendo ergo iſta ſimul,nempe ſpeciem intelligibilem entis primi &c. dantur plures cauſæ partiales;ſi ergo tota cognitio eſſet ab anima, ex iſta deductione patet quod vna notitia non eſſet nobilior alia, quod eſſet abſurdum; & patet quomodo intelligatur, ſubſtantiā ſeparatam non mouere intellectum pro ſtatu iſto. Quam ſi fęlicitas conſiſtit ſecūdum Ariſt. in cognitione ſubſtantiarum ſeparatarum,idq; quo ad propria ipſarum;certe ſi illę nō concurrerent ad cognitionem, earum cognitio non eſſet nobilior lapidis cognitione, imo cognitio lapidis poſſet eſſe maior ſi anima maiori conatu ipſam producat. Pro alio ſtatu poterunt mouere loquendo de ſubſtantijs ſeparatis à prima, & Eſſentia diuina licet non moueat naturaliter, niſi intellectum diuinum; tamen diuina voluntas ſupplet vicem illius obiecti, cauſando partialiter, vel totaliter, viſionem diuinæ Eſſentiæ in intellectu creato.

29. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 3. Q. 7. ad M. concludit intellectionem fore ab anima, ſpecie, vel obiecto relucente in ſpecie; aliterque non poteſt fieri, cum ſint cauſæ eſſentialiter ordinatę. Oppoſitum patet de anima intelligente ſeipſam, & tunc eſt cauſa totalis, quod poſſit ſe intelligere pro ſtatu iſto in conceptu communi, & pro alio ſtatu diſtincte docet Scotus vbique.

Lucas. Reſp. Vigerius dicit, quod dictum Sco. debet intelligi de alijs, ab anima,

ſcilicet in alijs non poteſt concurrere, niſi vt cauſa partialis; ad ſe verò intelligendũ concurrit, vt cauſa totalis. At hæc eſt pura fuga; ex quo dicas. Dum anima intelligit ſe, in tali caſu gerit vicem duorum, ſcilicet potentię, & obiecti. Dices. Voluntas diuina non ne poteſt cauſare cognitionem Deitatis, vt totalis? Reſp. Aut in ratione obiecti, & ſic non poteſt: nam obiectum de ratione ſui mouet naturaliter; aut in ratione potentiæ liberè repræſentatus ipſum obiectum, & ſic poteſt.

30. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 3. Q. 7. ad M vult quod obiectum, & potentia in cauſatione notitiæ ſint cauſæ eſſentialiter ſubordinatæ, ſicut pater, & mater in generatione prolis. Oppoſitum huius patet ratione, & ex dictis Sco. in 6. & 7. Q. 3. d. l. 1. vbi vult, quod ſpecies intelligibilis dependeat ab ipſo intellectu effectiuè, mater verò non dependet effectiuè à patre.

Lucas. Reſp. Quicquid ſentiat Scotus, à quo cauſetur notitia, modo nõ determinatur. Tamen, admiſſo, intellectum agentem cauſare intellectionem, ſpecies tunc ab eo tantum dependeret in eſſe, at non in operari, ſicut dependet inſtrumentum à cauſa principali. Idcircò, aliqualiter differenter ſe habent pater, & mater, intellectus, & obiectum. Nam in primis, inferior non dependet à ſuperiori in eſſe; nec in cauſalitate, & in vltimis inferior dependet à ſuperiori in eſſe; ſed non in cauſalitate & id ſolum in notitia abſtractiua. Nam in notitia intuitiua obiectum non dependet ab intellectu; nec in eſſe, nec in cauſalitate. Id egregiè docet Scotus lib. 2. d. 3. Q. 8. ſol. 3. obiect. in corp. quæſiti quem omnino conſulas.

31. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 3. Q. 7. ad Cc. dicit. Senſum eſſe actiuum reſpectu ſenſationis, non totaliter, ſed partialiter. Oppoſitum huius habet lib. 4. d. 12. Q. 3. vbi dicit. Qualitas eſt principium totale ſenſationis, ergo ſenſus non eſt actiuus.

Lucas. Reſp. Pro tollenda hac difficultate, nota, quod in via Scoti non datur ſenſus agens. Nam (vt superius oſtendimus) ſpecies totaliter ab obiecto cauſatur. Senſus actiuus autem in via Scoti probatur his rationibus. Et primo ſic. Intellectus ſicut concurrit actiuè partialiter ad intellectionem, ita ſenſus ad ſenſationem. Id eſt Scoti preſ. Q. ad primum princ. Reſp. Secundo. Ariſt. 2. de anima 37. probat animam ſore principium viuentis ſecundum triplex genus cauſæ, ſcilicet efficientis, formalis, & finalis. De efficiente ſic. Nam anima eſt principium mouendi, motu augumentationis, diminutionis, localis, & eſt cauſa intellectionis, & ſenſationis. Tertio. Ariſt. 9. Methaph. 16. Viſio eſt operatio immanens, quod non eſſet, ſi totaliter cauſaretur ab obiecto. Tunc enim eſſet tranſiens. Quarto. Materię eſt pati, formæ verò eſt agere, ſed ſenſus habet in ſe materiam; & formam, ergo eſt actiuus. Quinto. Sequeretur vegetatiuam virtutem eſſe nobiliorem ſenſitiua. Nam virtus vegetatiua eſt actiua, & 2. de anima 35. 36. & 37. & inde. Sexto. Tunc potentia ſenſitiua non eſſet virtus animæ, & ſenſus non iudicaret de ſuis obiectis. Septimo. Tunc ſenſibile eſſet perfectius ſenſu, quia eſſet actiuum, & non ſenſus. Vltimo. Baſiliscus (vt dicitur) viſu hominem interficit, & mulier menſtruata inficit ſpeculum, ergo viſus eſt actiuus. At id parum valet, quia non faciunt, ratione potentiæ viſiuæ, ſed virtute veneni exiſtentis in oculis. Nam oculus, vt potentia, non agit extra ſe mittendo

endo, ſed benè, vt obiectum, vt puta, ſi ab alio oculo videatur. His datis. Sic reſoluo dubium, his concluſionibus. Prima. Omnis ſenſus, tam interior, quam exterior eſt virtus paſſiua; nam ſenſationes recipit. Secunda. Omnis virtus ſenſitiua, tam interior, quam exterior eſt virtus actiua, vt iam deductum eſt. Tertia. Senſus actiuus, & paſſiuus tantum diſtinguuntur ex natura rei, ſed non realiter. Ad Scotum autem lib. 4. loco citato reſp. Per ſenſationem intellexit immutationé, quam facit obiectum in ſenſu per ſpeciem ſenſibilem, & non intellexit propriè ſenſationem. Idque patet ex Tatar. exponente locum illum 4. vbi habet hæc verba. Albedo, & alia ſimilia ſunt totalia principia reſpectu talium ſpecierum, ſed non reſpectu ſenſationum. Sunt etiam agentia totalia reſpectu actiuorum tranſeuntium. Dices. Ariſt. 2. de anima 53. dicit. Senſus eſt tantum paſſiuus; & idem habet Auer. ibi in com. Reſp. Ariſt. ibi tantum habet. Senſum eſſe tantum paſſiuum, & totale paſſiuum, ideſt tantum patitur, recipiendo, & nihil aliud ab eo in iſta receptione patitur; & Auer. hæc verba habet in com. Dicimus igitur, quod ſenſus non eſt ex virtutibus actiuis, quæ ex ſe agunt abſque motore intrinſeco in actionem, que prouenit ex eis, ſed ſunt de virtutibus paſſiuis, quæ indigent motore extrinſeco: & ideo non ſentiunt ex ſe. Hæc Auer. Quę verba (vt vides) ſunt pro nobis, & non in nos. Dices adhuc. Ariſt. 2. de anima 59. dicit. Obiectum eſt cauſa actiua, non ſenſus. Dico. Ariſt. nunquam dixit, quód ſit cauſa totalis, & ibi affirmat actionem de obiecto, ſed non negat de ſenſu. Dices amplius. Viſio recipitur in viſu, ergo ſenſus eſt paſſiuus, ergo non actiuus; nam reſpectu eiuſdem idem non poteſt eſſe actiuum, & paſſiuum. Reſp. Quere.

32. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 3. Q. 7. ad D d. dicit. Indiuidua eiuſdem ſpeciei non requirunt aliquid in totali cauſa diuerſum ſpecie ab eo, quod eſt in totali cauſa alterius indiuidui; ex quo colligitur, quod duæ differentiæ numerales non differunt ſpecie. Oppoſitum huius habet Scotus ibidem. Nam plus differunt inter ſe, duæ differentiæ indiuiduales, quam duo indiuidua. ergo videntur differre ſpecie.

Lucas. Reſp. Huic difficultati Scotus lib. 2. d. 3. Q. 6. ſic obuiat. Aliqua æqualiter diſtingui ſtat dupliciter, vel quod ęqualiter ſint incompoſſibilia, vel quod æqualiter in nullo quidditatiuè conueniant. Primo modo verum, at ſecundo non, quia diſtinctum non ſolum diſtinguentia includit, ſed etiam aliquid potentiale reſpectu diſtinguentium, & tamen diſtinguentia in ea non conueniunt. Hæc Scotus. Ex quo dicto ſoluitur argumentum tale. Duæ differentiæ indiuiduales, vel differunt æqualiter cum indiuiduis, vel magis, non æqualiter, ergo magis, ergo ſpecie. Dico. Non ſequitur, ergo ſpecie: ſed tantum differunt magis, eo quod in nullo quidditatiuè conueniunt.

33. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 3. Q. 7. ad D d. dicit. Habitus ſunt diſtincti ſpecie, qui habentur virtute propria ſuorum obiectorum. Oppoſitum huius apparet ex Scoto lib. 3. d. 15. reſp. ad princ. vbi vult, reſpectum habitus ad obiectum in ratione terminantis eſſe eſſentiale notitię, & reſpectum in ratione efficientis eſſe accidentale, ergo ratione terminantis diſtinguitur, & non in ratione efficientis.

Lucas. Reſp. Scotus dixit. Quando illi habitus habentur virtute obiectorum, quód tunc ſunt diſtincti ſpecie, ſi obiecta ſint diſtincta ſpecie: & non

dixit, quod ſolum diſtinguantur per obiecta, quando habentur ab obiectis: ſicque eſt vera propoſitio Doctoris lib. 1. Habitus ſunt diſtincti ſpecie, &c. Nec obuiat alij propoſitioni Queres Cur diſtinguuntur per obiectum, vt efficit, & non per intellectum? Reſp. Quoniam obiectum eſt cauſa proximior: vbi tamen concurrunt ratio efficientiæ, & ratio terminatiua, ratio terminatiua poteſt diſtinguere: tamen id verum eſt, quando cum ea concurrit ratio effectiua, vt intendebat Scotus loco citato. Vel ibi loquitur Scotus de diſtinctione ſumpta à priori extrinſece, quæ eſt per obiecta efficientia. Ea autem, quæ eſt per obiecta in ratione terminantis eſt à poſteriori. Dices. Scotus lib. 3. d. 15. Appellat hanc eſſentialem, & illam accidentalem, ergo magis diſtinguit illa, quam hæc. Reſp. Quære. Nota iſtas propoſitiones. Diuerſæ cauſæ, & diſtinctæ producunt effectus diſtinctos, & effectus diſtincti ſpecie, requirunt cauſas diſtinctas ſpecie; ſunt veræ, & ſunt falſæ. Sunt veræ intelligendo de cauſa proxima; ſunt falſæ intelligendo de cauſis non proximis. Pro his conſule Lychetum ſuper Q. 7. d. 3. lib. 1. in fine illius Queſtionis.

Tertia diſt. Quæſt. octaua, lib. primi.

1. *Iacobus.* SCOTVS lib. 1. d. 3. Q. 8. ad A. volens probare intellectum principalius concurrere ad notitiam, quam obiectum, dicit. Quanto aliquid eſt actualius, formalius, & perfectius, eſt tanto actiuius, ergo anima cum ſit actualior obiecto, principalius concurrit. Oppoſitum habet Scotus lib. 1. d. 3. Q. 7. ad P. vbi ſoluit hanc rationem adductam ab Heur. ad probandam intellectionem eſſe ab obiecto: ergo rectè non poteſt probare intellectum principalius concurrere, quam obiectum ad intellectionem.

Lucas. Reſp. Non inducit Scotus rationem hanc ad oſtendendum intellectum principalius concurrere ad intellectionem, quam obiectum; ſed tanquam ſignum aliquod perſuadens propoſitum, inducit eam. Nam Angelus eſt actualior homine, & Sole, & tamen non poteſt producere, quæ Sol producit: nec etiam poteſt ſibi ſimile generare ſicut homo facit: lapis etiam eſt perfectior igne, tamen nō poteſt generare lapidem, ſicut ignis generat ignem. Dices. Ita eſt actuata albedo per ſuam differentiam vltimam, ſicut homo per ſuam: ergo vna ſpecies non erit actualior alia. Reſp. Loquēdo Geometricè, idest proportionaliter, omnes ſpecies ſunt æquè actuales, & vna nō eſt actualior alia. At Arithmeticè, ideſt ſimpliciter, vna eſt actualior alia, ideſt illa, cuius vltima differentia eſt perfectior vltima differentia alterius, dicitur actualior.

2. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 3. Q. 8. ad A. dicit. Obiectum, vt habet eſſe ſecundum quid, producit ipſam notitiam cum intellectu; ſicque concurrit minus principaliter quam intellectus. Oppoſitum huius habet Scotus lib. 1. d. 3. Q. 6. & 7. vbi vult ſpeciem intelligibilem producere intellectionem cum intellectu.

Lucas. Reſp. Vbicunque Scotus dicit. Obiectum concurrere in eſſe ſecundum quid, capitur tunc obiectum pro ſpecie repræſentante obiectum. Nam, in cognitione abſtractiua concurrit ſpecies cum intellectu, cum ſit cau-

ſa rea-

ſa realis, & non obiectum relucens in ſpecie, cum habeat eſſe tantum diminutè, ſecus autem eſt in cognitione intuitiua. Nam obiectum, cum concurrat, de ſe vere concurrit ad gignitionem notitiæ talis.

3. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 3. Q. 8. ad B. dicit. Quando cauſarum ordinatarum, eſt altera indeterminata ad multos effectus, & quaſi illimitata, altera autem ſecundum vltimum virtutis ſuę determinata ad certum effectum, illa quę eſt illimitatior, & vniuerſalior videtur eſſe principalior, & perfectior: exemplum eſt de Sole, & de particularibus generantibus. Oppoſitum apparet vbique in doctrina Scoti, & ex Aug. 11. de Ciu. Dei, cap. 16. vbi vult, viuum non viuente eſſe perfectius: & tamen, ex datis, ſequitur in generatione hominis, cum Sol ſit cauſa vniuerſalior, erit nobilior homine.

Lucas. Reſp. Sol in generatione hominis eſt homine nobilior, quo ad cauſalitatem, non autem eſt nobilior homine quantum ad eſſe. Si tamen quis teneret. Cęli ſunt animati, quod eſt problema apud Theologos, vt patet lib. 2. d. 14. Q. 1. ſimpliciter debet concedere, Solem eſſe perfectionem homini. At Phyſice Scotus ibidem tenet. Cęli non ſunt animati. Franc. lib. 1. d. 3. Q. 7. ſic reſp. Si homo per animam rationalem generaret, curreret argumentum: ſed dico, quod Sol eſt principalior, & perfectior cauſa omni principio, quo homo producit hominem, & omne illud eſt corruptibile, & fortè Solis ſpiritus tranſfuſi in ſemine eſt cauſa. Hæc Franc. Scotus addit lib. 3. d. 4. Homo generat hominem per animam vegetatiuam, quæ virtualiter continetur in intellectiua. Dices. Si Sol plus agit ad generationem, quam homo, quare non dicitur Pater ſicut homo? Reſp. Scotus lib. 3. d. 8. Paternitas eſt habitudo producentis realiter ſibi ſimile in ſpecie in natura intellectuali: ex quibus verbis patet, quod homo eſt Pater, & non Sol. Inſtabis. Scriptum eſt. Non coques hedum in lacte matris ſuæ, ergo maternitas datur extra naturam intellectualem. Reſp. Quęre. Dices amplius. Deus eſt Pater. Et tamen non habet particulas diffinitionis paternitatis. Reſp. Quære.

4. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 3. Q. 8. ad B. dicit. Intellectu vti poſſumus, cum volumus, non autem ſpecie intelligibili. Nam admiſſo, quod ſpecies agat, intellectus tamen non coagit: quoniam intelligimus, cum volumus ex 2. de anima 55. & 60. Oppoſitum huius habet Aug. & Sco. vbique. Nam intellectus eſt potentia naturalis, & non eſt in poteſtate noſtra, quin viſis tangamur.

Lucas. Reſp. Intellectus cum ſit realiter liber, eo vti poſſumus ad libitum; at non ſic ſpecies, cum ſit accidens realiter diſtinctum à ſubſtantia animæ. Ideo non eſſet ſimile de ſpecie intelligibili, & de intellectu. Dices. Potentia vegetatiua eſt idem realiter, in via Scoti, cum anima, cum in ea ſit tantum virtualiter, & tamen non ſequitur, quod ſit libera. Reſp. Potentiæ, à voluntate, dicuntur liberæ per participationem & quæ potiſſimum ſubiacent imperio voluntatis, vt intellectiua, & ſenſitiua, quo ad aliquos actus. Vegetatiua autem nullo pacto eſt libera, obiecto admiſſo, at tantum eſt libera in apprehendendo, vel nō apprehendendo obiectum. Amplius dices. Scotus lib. 1. d. 1. Q. 3. & 4. dicit. Intellectus neceſſario aſſentit principijs, ergo videtur, quod poſita præſentia obiecti, intellectus neceſſario intelligat. Dico neceſſario intelligit, id eſt non poteſt in actum oppoſitum: poteſt tam non

 intelli-

intelligere in iſto ſenſu, quia voluntas poteſt ſuo imperio eum diuertere, vt non intelligat, ſiue nihil intelligendo abſolutè, ſiue diuertendo eum ſuper aliud obiectum.

5. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 3. Q. 8. ad C. videtur dicere. Obiectum beatificum, vt clarè viſum, poteſt poni habere totam cauſalitatem reſpectu viſionis. Oppoſitum huius habet Scotus lib. 4. d. 49 Q. 11. & lib. 11 d. 1. Q. 4. vbi vult, animam noſtram ſe habere actiuè ad ſuam beatitudinem.

Lucas. Reſp. Firmiter tenendum in via Sco. (quicquid alij ſentiant) animam noſtram concurrere actiuè ad viſionem, ad fruitionem, & ad ſupplicium; claretque id ex Scoto locis citatis, & lib. 3. d. 3. & 14. & 15. Quol. Ad Sco. autem 3. d. 1. inquam, quod ibi ſe non determinat, imo loquitur conditionaliter; ait enim ſic. Tamen aliquod obiectum excedens multum facultatem partis intellectiuæ, puta obiectum beatificum, vt clare viſum, poteſt poni habere totam cauſalitatem reſpectu viſionis, aut principaliorem, quam pars intellectiua, & hoc propter excellentiam talis obiecti, & propter defectum partis intellectiuæ. Ex quo apparet, quod Sco. non determinat ſe, quod obiectum beatificum concurrat totaliter; ſed tantum quod concurrat cum intellectu creato magis principaliter. Dices. Si homo ſe habet actiue ad suã beatitudinem, ergo homo præmiat ſe, quod videtur falſum. Reſp. Homo non præmiat ſe, ſed capit præmium a Deo, & maioris dicitur perfectionis, cum actiuè ſe habeat circa obiectum beatificum.

6. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 3. Q. 8. ad r. dicit. Intellectus virtualiter continet actum, ſeu habitum. Oppoſitum habet Sco. 3. prol. Q. in initio, vbi ait. Obiectum eſt id, quod continet virtualiter veritates habitus cuius eſt, ergo non intellectus.

Lucas. Reſp. Scientiam virtualiter continere non ſoli obiecto conuenit, at etiam intellectui, illi minus principaliter, huic magis principaliter. Id clarè ait Sco. 3. d. 1. Q. 8. in calce. Rurſus. Continere virtualiter effectiuè conuenit intellectui, & obiecto, & veriori modo intellectui. At continere virtualiter menſuratiuè, ſeu denominatiuè conuenit ſoli obiecto. Quæres; quare ſcientia diſtinguitur ab obiecto, & non ab intellectu? Reſp. Viget. quia obiectum eſt cauſa vniuoca, licet diminuta. Alij, quia intellectus reſpectu illius eſt cauſa illimitata, obiectũ verò eſt cauſa determinata. Alij, & melius quia obiectũ eſt totalis mẽſura, & licet intellectus ſit eius cauſa effectiua, nihil tamen reſpectu eius habet ratione menſuræ; at tota ratio menſuræ adſcribitur obiecto, illique ſoli conuenit menſurare diſtinguere, & denominare. Nota, quod quædam ſunt ſcientiæ imperfectiores ſuis obiectis, & poſſunt à ſuis obiectis menſurari, & etiam; aliæ verò ſunt perfectiores obiecto, & ſolum denominantur ab obiecto, ſed non menſurantur. Et ſcientia, vt effecta, refertur ad obiectum, & intellectum, in ſecundo modo relatiuorum, & eſt relatio mutua, at vt menſurata refertur ad ſolum obiectum, in tertio modo relatiuorum, vbi non eſt relatio mutua. Quod autem ratio menſuræ, & efficientiæ ſit alia, & alia, conſule Sco. lib. 4. d. 1. Q. 1. Id etiam patet. Nam vna conuenit intellectui, ſcilicet effectiua, & alia ſolum obiecto.

Tertia diſt. Quæſt. nona lib. primi.

1. *Iacobus.* SCOTVS lib. 1. d. 3. Q. 9. ad A dicit. Cum conceptus vnius perſonæ in intellectu noſtro ſit partialis conceptus, reſpectu conceptus Trinitatis; illa creatura, quæ ducet nos in cognitionem Trinitatis per modum imaginis, repræſentabit Trinitatem, quantum ad illum conceptum, quem intellectus noſter poteſt habere de ea. Oppoſitum huius apparet ex Sco. lib. 2. d. 3. Q. 9. vbi vult ſpeciem intelligibilem impreſſam in intellectu Angelico, repræſentantem Deum ſub ratione obiecti intelligibilis, ducere intellectum Angeli in cognitionem Trinitatis, & tamen non eſt imago Trinitatis. Sic etiam viſio beatorum ducit in cognitionem Trinitatis, & tamen non eſt imago.

Lucas. Reſp. Verbum illud poſitum a Sco. per modum imaginis repræſentabit, Trinitatem, ſoluit difficultatem. Nam non ſequitur: Aliquid ducit nos in cognitionem Trinitatis (vt oſtenditur exemplo de Angelo, & de beato) ergo eſt imago Trinitatis. Nam ad id, quod, aliquid dicatur imago, oportet quod ducat nos in cognitionem Trinitatis per modum imaginis; ita quod illud ſit repræſentatiuum vnitatis Eſſentiæ, Trinitatis perſonarum, & originationis vnius perſonę ab alia, idque ſemper cum imitatione eſſentiali ad ipſam Trinitatem, quam repræſentat.

2. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 3. Q. 9. ad B. dicit. Quantum ad primum. Experimur in nobis eſſe actum volitionis, & intellectionis; & iſtos actus aliquo modo eſſe in poteſtate noſtra. Oppoſitum huius patet experientia. Nam actus intellectus præſente obiecto non eſt ſimpliciter in poteſtate noſtra.

Lucas. Reſp. Hæc difficultas tollitur ex illo verbo Sco. Aliquo modo. Nam actus voluntatis eſt ſimpliciter in poteſtate noſtra, iuxta illud Aug. Nihil eſt tam in poteſtate voluntatis, quam ipſa voluntas. At actus intellectus non eſt ſimpliciter in poteſtate noſtra, quia voluntas poteſt eum diuertere, vt vtatur alio obiecto, & ſic tantum eſt in poteſtate noſtra ratione voluntatis. Hinc dixit Sco. quod erant in poteſtate noſtra aliquo modo.

3. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 3. Q. 9. ad B. ait. Potentias animæ eſſe formaliter inter ſe diſtinctas; his verbis. Non poteſt autem idem ſub eadem ratione formali eſſe principium iſtorum duorum actuum ſecundorum, quia iſti actus ſecundi requirunt oppoſitam rationem principiandi in iſtis principijs: ergo oportet habere aliquam diſtinctionem actuum primorum. Idque habet Sco. lib. 2. d. 16. Oppoſitum huius habet Sco. lib. 1. d. 8. Q. 3. & d. 13. Q. vni. vbi ex diſtinctione actuum probat diſtinctionem in principijs formalibus, ſcilicet intellectu, & voluntate. At actus, ſcilicet intelligere, & velle diſtinguuntur realiter, ergo & potentiæ realiter diſtinguuntur.

Lucas. Reſp. Scotus in illa Q. 9. d. 3. 1. exponit ſe illis verbis. Et hoc proportionabiliter reſpondet diſtinctioni actuum ſecundorum. Nam non debet eſſe tanta diſtinctio in principijs formalibus, quanta eſt in actibus,

quoniam

quoniam in actibus eſt diſtinctio realis: in principijs, tantum formalis, ſicquè inter principia, & actus ſuos debet eſſe proportionata diſtinctio, ſed non ſimilis.

4. *Iacobus.* Scotus l. 1. d. 3. Q. 9. ad D. videtur dicere dari duplicem potentiam animæ, his verbis. Anima in ſe habet aliquam perfectionem, ſecundum quam eſt actus primus reſpectu notitiæ genitæ, & habet aliam perfectionem ſecundum quam formaliter recipit volitionem: hęcque ſunt duo. Oppoſitum huius habet Scotus eamet Q. d. 3. lib. 1. vbi ſic ait. Iſtæ tres perfectiones dicuntur memoria, intelligentia, & voluntas, & lib. 2. d. 16. tres animæ potentias eſſe firmat.

Lucas. Reſp. Tantum ſunt duæ potentiæ animę, tres verò dicuntur, in quantum ſunt partes imaginis: quoniam intellectus ſecundum diuerſas conſiderationes vocatur memoria, & intellectus, quamuis eadem potentia ſit: ita dicatur de voluntate. Quæres. An imago ſit perpetua in anima noſtra? Reſp. In beatis eſt ſimpliciter perpetua: in nobis autem tantum eſt perpetua, quantum ad potentias, non autem quantum ad potentias ſub actibus. Per id ſoluitur illud Aug. Deus creauit in homine imaginem, quam non ſeruauit. Quęres amplius. Quæ pars imaginis eſt perfectior? Secundum Scotum, tertia pars. Secundum Diuum Thom. ſecunda pars.

5. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 3. Q. 9. ad D. dicit. Anima eſt actus primus reſpectu notitiæ genitæ, & recipit ipſam notitiam genitam: & actiuitas communiter attribuitur in via Scoti intellectui poſſibili; ad quam partem magis videtur declinare 15. Quol. Oppoſitum huius apparet. Nam in via Scoti tunc non eſſet in anima verè imago Trinitatis, cum intellectus poſsibilis non poſsit eſſe actiuus, & paſsiuus, quæ duæ partes conſtituunt ipſam imaginem.

Lucas. Reſp. Reſpectu eiuſdem, certè intellectus poſſibilis nõ poteſt eſſe actiuus, & paſsiuus; alioquin contradictoria veri fincarentur de eodem; at dum conſideratur in ratione principij actiui, ſic dicitur actus primus reſpectu notitiæ genitæ, & eſt prima pars imaginis. Quando verò conſideratur in ratione receptiui, ſic eſt, ſecundum quod anima intellectiua recipit notitiam genitam, & eſt ſecunda pars imaginis.

6. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 3. Q. 9. ad F. dicit. Nullam enim realitatem Pater, ſiuè relatiuam, ſiuè abſolutam habet aliquo modo per productionem, quam ante non habuit. Oppoſitum habet lib. 1. d. 19. primi, & 2. Quol. vbi agit de æqualitate, & circuminceſſione, quæ habentur per productionem.

Lucas. Reſp. Scoti dictum. Q. 9. d. 3. lib. 1. habet veritatem de realitatibus abſolutis, & reſpectiuis, quæ perſonaliter ſunt reſpectiua, eaque Pater vllo pacto habet per productionem. At non negat, Patrem habere per productionem quaſdam communes relationes, vt eſt æqualitas, ſimilitudo, circuminceſsio, &c.

7. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 3. Q. 9. ad Bb. & ad E. dicit. Ad hoc, vt imago ſit in anima noſtra, exponitur, vt repræſentet diſtinctionem trium perſonarum, vnitatem eſſentię, & ordinem originis. Oppoſitum habet Scotus quantum ad ordinis originem, eamet Q. ad L. vbi negat ordinem originis eſſe in anima noſtra, vt repræſentat, vt imago, Sanctiſsimam Trinitatem.

Lucas. Reſp. Non poteſt eſſe in anima noſtra ſimilitudo omnis imaginis ad

pro-

prothotypum; nam ſi eſſe omnimodè ſimilis, non eſt imago, ſed natura, licet igitur pars imaginis in nobis non ſit à prima, nec à ſecunda, veluti Spiritus ſanctus eſt à Patre, & Filio, & in hoc eſt diſsimilitudo; tamen præſuppoſitiuè eſt ſimilitudo, ideſt ordo inter ſecundam,& tertiam partem imaginis, quia tertia præſupponit ſecundam naturaliter, licet non ſit ab ea, ſicque eſt ſimilitudo, & diſsimilitudo. At diſsimilitudo excedit ipſam ſimilitudinem. Prior, diſsimilitudo in imaginem, & imagatum ſit hæc. Nam Pater eſt intelligentia, memoria, & voluntas; ſimiliter Filius, & Spiritus Sanctus. Nos autem non ſumus illa, licet ea habeamus. Altera eſt. Illa tertia, ſcilicet memoria, intelligentia, & voluntas, in diuinis, mutuò de ſe prædicantur; in nobis autem non. Tertia, Pater, & Filius producunt Spiritum ſanctum; at in nobis prima, & ſecunda pars imaginis non producunt tertiam. Quarta, in diuinis ſecunda perſona accipit fæcunditatem ſpirandi; in nobis intelligere cum ſit accidens, non poteſt capere fæcunditatem ad ſpirandum amorem. Quinta, in diuinis ſecunda, & tertia perſona, non ſe excedunt in nobilitate: in nobis intelligere, & velle ſe excedunt in nobilitate: in nobis intelligere, & velle ſe excedunt. Sexta, in diuinis ſecunda, & tertia perſona non ſunt accidentia: in nobis intelligere, & velle, ſunt accidentia. Septima, in diuinis non poſſunt deficere, nec ſecunda perſona, nec tertia ſeparari à prima: in nobis poſſunt deficere, intelligere, & velle, conſequenterque ſeparari à potentijs. Octaua, in diuinis, ſecunda, & tertia perſona non differunt realiter à memoria fæcunda, ſed ſunt vna natura: in nobis intelligere, & velle differunt à memoria fæcunda.. Nona, in diuinis, ſecunda, & tertia perſona ſunt formaliter intelligentes, & voluntas: in nobis intelligere, & velle, non ſunt formaliter intelligentia, nec volentia. Decima, & vltima diſsimilitudo, in diuinis, ſecunda perſona producit tertiam libere: in nobis ſecunda pars imaginis, ſi quid producat erit tantum naturaliter, & non libere. Huiuſmodi decem diſsimilitudines patent ex Scoto lib. 1. d. 2. Q. 4. ſecundæ partis ad P. & Q. & d. 3. Q. 9. ad I. Prima verò ſimilitudo inter imaginem, & imaginatum ſit hæc. In nobis intelligere, & velle ſunt ſecundum illum ordinem, quem habent inter ſe prima, & ſecunda perſona in diuinis. Altera eſt. Intelligere in nobis, & velle habent illos ſimiles modos producendi paſsiue, quos habent ſecunda,& tertia perſona in diuinis; vt vides. Plures ſunt diſsimilitudines, quam ſimilitudines. Ideirco verificatur dictum Occam. Anima nempe non eſt perfecta imago Dei: tamen dicitur Dei imago, quia inter alias creaturas (excepto Angelo) habet maiorẽ, & perfectiorem ſimilitudinem.

18. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 3. Q. 9. ad K dicit, citans dictum Aug. 12. de Trin. cap. 4. In eo ſolo, quod ad contemplationem pertinet æternorum, non ſolum eſt Trinitas, ſed etiam eſt imago Dei. Oppoſitum huius habet Sco. eamet queſt. & loco, vbi ſubnectit. In hoc autem, quod deriuatum eſt in actione temporalium, etiam ſi Trinitas poſſit inueniri, non tamen imago Dei inueniri poteſt.

Lucas. Reſp. Imago multis modis capitur: vno modo, vt habet perfectiſſimã rationem, & eſt, quando anima intelligit, & vult Deum; alio modo, vt minus perfecta eſt, & tunc anima intelligit ſe, ſeu aliam creaturam rationalem, vt puta Angelum, & ſcilicet de huiuſmodi imaginibus.

de priori nempe loquitur Aug. 12. de Trin. cap. 4. & 5. cap. 30. De poſteriori loquitur Aug. 12. de Trin. cap. 8. & 16. Tertio modo capitur imago valdè imperfectè, & eſt, quando anima intelligit alia à Deo & à ſe, & de iſta imagine Aug. non eſt locutus, & re vera non eſt imago, in quantum actus eius ſit ſimilitudo ipſius obiecti, ſed tantum reſpectu principiorum, & modi producendi actus, & ordinis ſuorum actuum inter ſe, dicitur imago.

9. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 3. Q. 9. ad K dicit, loquendo de imagine repreſentante Deum ipſum, & de actibus eius. Ideo quando iſti actus ſunt in mente, quod non tantum habent conſubſtantialitatem, & ſimilitudinem, diſtinctionem, & originem, ſed etiam habent vlteriorem &c. Oppoſitum huius apparet ratione, & ex Sco. vbique. Nam cum actus differant realiter à potentijs, & ſint accidentia, & potentiæ ſint ſubſtantiæ, quomodo poteſt eſſe in actibus conſubſtantialitas?

Lucas. Reſp. Duplex eſt conſubſtantialitas, realis.v. & ſubiectiua; actus, & potentia ſunt conſubſtantiales ſecundo modo, ſed non primo modo. Nam ſunt vnum ſubiecto, & non ſunt idem realiter. Sunt etiam conſubſtantiales imitatiuè, ſeu repræſentatiuè, quia illa, quæ imitantur, & quę repræſentant, ſunt conſubſtantialia. Rurſus, poteſt dici. Sunt conſubſtantiales cauſaliter, ideſt ſunt à cauſis conſubſtantialibus, vt potè ſunt potentiæ, quæ ſunt principia formalia ipſorum actuum.

10. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 3. Q. 9 ad L. dicit. Potentiæ animæ non ſunt eędem animę: ait enim ſic. Iſta autem duo, quorum ſunt iſtæ operationes, non ſunt conſubſtantialia animæ. Oppoſitum huius habet Scotus lib. 2. d. 16. vbi vult, animæ potentias eſſe eidem eaſdem. Idque tenetur vbique à Scoto.

Lucas. Reſp. Potentiæ animę ſunt in duplici differentia, quædam ſunt ſenſitiuæ, & hæ diſtingũtur realiter ab anima, & inter ſe. Et hoc capiendo animã pro toto compoſito ex anima, & corporis parte ex mixta. Aliæ ſunt potentiæ ſpirituales, & inſenſibiles, vt intellectus, & voluntas, & iſtæ potentiæ ſunt eædem realiter animæ, vt rectè probat Scotus lib. 2. d. 16.

11. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 3. Q. 9. ad M. Dicit, quælibet Eſſentia creata repræſentat Deum, & eſt à Deo, ſub ratione vnius, & non ſub ratione trini. Oppoſitum habet Scotus lib. 2. d. 1. Q. 1. & Q. 8. Quol. vbi vult. In creatione rerum neceſſario requiri Trin perſonarum.

Lucas. Reſp. Abſolutè omnia creata ſunt à Deo in ratione vnius. Huiuſque ratio eſt, quia principium formale operandi extra eſt vnum in tribus, ſcilicet voluntas. Idcircò omnia fiunt à Deo ſub ratione vnius, & non ſub ratione trini. De facto tamen neceſſario præſupponitur Trinitas perſonarum in creatione rerum; & ſi ratio creationis ſit abſolutè in vno Deo.

12. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 3. Q. 9. ad O. dicit. Intelligere eſt qualitas, & tranſit in ad aliquid, Vt in terminum. Oppoſitum huius apparet, ab omnibus Philoſophantibus dicentibus. Qualitati non aſſignatur aliquid pro termino.

Lucas. Reſp. Tranſire in terminum, ſtat dupliciter: vno modo ſicut reſpectus qui ratione ſui tranſit in terminum, & ſic intellectio, cum ſit qualitas, non poteſt tranſire; alio modo, non quod ratione ſui, ſed ratione reſpectus annexi tranſeat in terminum, ſicque tranſeunt intellectio

volitio,

volitio, viſio, & ſimilia, propter illum reſpectum annexum. Vel, vt dicit Scotus 3. Quol. Ille terminus non accipit eſſe per iſtam dum præſupponitur ipſi in ſuo eſſe. Et Ariſt 7. Phyſ. & in Logica cap. de ad aliquid: appellauit talia eſſe relatiua.

13. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 3. Q. 9. ad O. dicit. Intellectioni non conuenit acquiri partibiliter, idest vt pars poſt partem acquiratur. Oppoſitum huius ſic ratione patet. Intellectio cauſata ab intellectu eſt verè actio de genere actionis, ergo partibiliter acquiritur; nam ad actionem de genere actionis requiritur acquiſitio partibilis.

Lucas. Reſp. Scotus dum dicit, Actio acquiritur partibiliter, loquitur, quando actio eſt ad formam tranſeuntem, inductam per motum, ſicuti non eſt intellectio. Vnde 13. Quol. habet doctor hæc verba. Nam non ſolum ad formam inductam per motũ in paſſum aliud ab agente, eſt actio de genere actionis; ſed etiam eſt ad formam inductam per mutationem in ipſomet agente. Hæc Scotus. Vel loquitur Scotus de actione terminata ad formam, quæ ſit qualitas acquiſibilis per motum.

QVARTA DISTINCTIO.
QVAESTIO PRIMA.
LIBRI PRIMI.

1. *Iacobus.* SCOTVS lib. 1. d. 4. Q. 1. concedit vbique hanc propoſitionẽ. Deus generat Deum. Oppoſitum apparet Logicè. Nam ſi vera eſt hæc. Deus generat Deum, ergo hæc quoque erit vera. Deus non generat Deum, quod non videtur, quoniam ſi iſta eſt vera. Deus generat Deum, eſt, quia Pater generat, pariformiter, hec videbitur vera. Deus non generat Deum, quia Filius, & Spiritus ſanctus non generant. Si ſecunda eſt falſa, prima videtur falſa. Nam ſicut indefinita affirmatiua infertur ex vna ſingulari vera, ſcilicet Pater generat. Cur indefinita negatiua non debet inferri ex duabus ſingularibus negatiuis veris, ſcilicet Filius non generat, & Spiritus ſanctus non generat?

Lucas. Reſp. Seraph. Bonauen. lib. 1. d. 4. Q. 2. refert. Eſt regula Logica, quæ ſumitur ex ſecundo de Interpret. Quod quando in aliqua propoſitione eſt aliquis terminus ſingularis, nihil differt, ei præponere, vel poſtponere negationem. Nam tantum valet. Sortes non currit, ſicut, non Sortes currit, & è cõtra. Ad rem noſtram. Deus eſt terminus ſingularis, ergo tantum eſt ei præponere negationem, ſicut poſtponere, & ſi in vno ſenſu reddit falſam propoſitionem, & in alio. At ſi præponatur, hæc eſt falſa. Non Deus generat Deum; & hæc erit falſa, Deus non generat Deum. Quod prima ſit falſa, patet ex regula ſophiſtarum, quam adducit Scotus lib. 1. d. 4. Q. 2. Quando in aliqua propoſitione ponitur dictio officialis, duo habens officia, ad nihil refertur vnum, ad quod non alterum. Sic in propoſito. Iſta negatio. Non, habet duo officia, diſtribuere, ſcilicet, & negare. At negat, cum dico. Non Deus generat Deum; conſequenterque diſtribuit; eſtque ſenſus: nullus Deus generat Deum, & per conſequens, nec Pater, quod eſt falſum; ſicque non eſt ſimile de hac, Deus generat Deum, pro Patre generante; & de hac. Non Deus generat pro Filio. Ad id, quod dicebatur. Sicut indefinita affirmatiua infertur ex vna ſingulari; ita indefinita negatiua ex duabus ſingularibus. Nego ſimilitudinem. Nam indefinita negatiua æquipollet vni vniuerſali negatiuæ, non ita eſt de indefinita affirmatiua. Vnde, ſi dicam. Homo non intrauit Eccleſiam, videtur æquipollere huic. Nullus homo intrauit Eccleſiam: non ſic autem eſt de indefinita affirmatiua. Greg. tamen lib. 1. d. 4. Q. vn. concedit hanc abſolutè veram. Deus non genuit Deum, & negat hanc. Non Deus genuit Deum: idque virtute negationis præcedentis terminum, quæ confundit, & facit eum ſtare diſtributiuè. Dices. Talis præceſſio in terminos ſingulares nihil facit, vt dictum eſt. Reſp. Et ſi Deus ſit ſingularis, eſt tamen communis tribus ſuppoſitis, & ideo differt præponere, & poſtponere negationem termino. Dices. Plures Sancti negauerunt eam.

Reſp.

Reſp. Id fecerunt, ne heretici fideles ſeducerent.

2. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 4. Q. 1. ad D dicit. Hæc propoſitio non poteſt concedi. Deus generat ſe. Nam, & ſi concedatur. Deus genuit eumdem Deum, tamen non ſequitur propter fallaciam figuræ dictionis, & conſequentis. Oppoſitum huius habet Aug. ſuper Ioa. ibi. Miſit pater filium ſuum. Vbi ait. Miſit filium ſuum, & non alterum miſit: ita generans Deum; ſe, & non alterum genuit. Idem Aug. contra Maximinum dicit. Genuit de ſe alterum ſe. Et idem dicit. 15. de Trin. ſub alijs tamen verbis

Lucas. Reſp. Aug. de generat. Verbi loquens, ità ſtrictè loquitur propter errorem Arrij dicentis filium minorem patre, & diſtinctum ab eo in natura, qui tempore ſuo vigebat. Vt illum errorem extirparet, appoſuit illud reciprocum, ſe, non vt notat ſuppoſitum Patris, ſed vnitatem naturæ inter Patrem, & filium. Et pro intelligentia illius propoſitionis, Deus generat alium Deum. Greg. lib. 1. d. 4. ait. Deus poteſt ſumi eſſentialiter, & notionaliter. Primo modo eſt falſa. Deus genuit alium Deum, at ſecundo modo eſt vera. Si quæras. An ſine præmiſſa diſtinctione ſit vera. Reſp. Sic, ad bonum ſenſum. Nam iſte terminus, Deus ex ratione ſuæ concretionis, & ex modo ſuo ſignificandi poteſt pro hypoſtaſi ſupponere. Id non eſt de iſto termino Deitas. Occam idem ſapit cum Greg. Addit tantum. Hæc, Deus generat alium Deum, ne ſit occaſio errandi, quam tamen abſolutè Greg. concedit. Ricc. lib. 1. d. 4. Q. 2. dicit. Hæc, Deus generat alium Deum, eſt falſa. Facit enim hunc ſenſum, quod genuit ſuppoſitum habens aliam Deitatem, quam ſit Deitas generantis, quia, alius, determinat hoc nomen ſubſtantiuum, quod eſt Deus, quod nomen ſignificat Deitatem, ergo li alius, ſibi additus denotat aliam Deitatem, quod eſt falſum. Alij aiunt. Alius poteſt accipi adiectiuè, & ſubſtantiuè, ſi teneatur adiectiuè, tunc alius cadit ſuper, li Deus, ſicque ſignificat alietatem in diuinitate, & reddit falſam propoſitionem. Si teneatur ſubſtantiuè, tunc eſt appoſitiua conſtructio, vt animal homo, & facit hunc ſenſum verum. Deus generat alium Deum, id eſt Deus generat alium, qui eſt Deus. Idque confirmat Greg. ex illo Euangelij: Ego rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis. At Vorilion, inquit. Deus generat alium Deum, de virtute ſermonis propoſitio iſta eſt neganda. Nam adiectiuum iunctum ſubſtantiuo non datur ſubſtantiuari, vt homo albus, nec hęc dicitur eſſe appoſitiua locutio, maximè cum illa ſit magis communis reſpectu magis communis, & ita eſt ſimpliciter falſa: Nec, vt dictum eſt, poterit ſubſtantiuari, li alius, ob cauſam dictam. Et addit. In diuinis eſt triplex modus nominum, quædam enim important ſolam diſtinctionem, quædam omnimodam vnionem, quædam modo medio. Prima non admittuntur reſpectu nominum communium. Vnde hæc non conceditur. Deus genuit alium Deum. Nec ſecunda admittuntur; vnde hæc non conceditur Deus genuit ſe. Sed tertia nomina, quæ ſignificant diſtinctionem perſonarum, & vnitatem Eſſentiæ, conceduntur. Vnde hæc conceditur. Deus generat Deum, quia dicit diſtinctionem in perſona, & vnitatem in Eſſentia. Hæc Vorilion.. Neque eſt ſimile illud Euang. Et alium paraclitum dabit vobis. Nam li paraclitum ſpecificat li alium, hunc ſatis refert dicere, alium paraclitum, & alium Deum.

um. Magiſter d. 4. 1. ait. Deus generat ſe, vel aliũ, id eſt Deus genuit alterum ſe, non alterum Deum, ſed alteram perſonam, quam expoſitionem commendat Occam.

Iacobus. Scotus lib. 1. d. 4. Q. 1. ad D. dicit. Hæc propoſitio conceditur. Deus genuit alium. Oppoſitum huius habet Scotus in eadem Q. 1. d. 4. dicens. Hæc eſt falſa. Deus generat alium Deum.

Lucas. Reſp. Quando Scotus concedit genuit alium, intelligitur, generat habẽtem naturam diuinam. Et eſt vera, quia pater generat alium, qui eſt Deus, vt dicit Magiſter. At non eſt verum. Deus generat alium Deum, quia li, alius, ponit ſuum ſignificatum circa ſignificatum Dei; & ſic commutatur hoc aliquid in quale quid, & arguit ab inferiori ad ſuum ſuperius cum negatione. Dices. Si generat alium, igitur alium Deum, vel alium non Deum. Dico, nec hoc, nec illud. Si inferas. Contradictoria deſtrueretur. Reſp. Contradictionis ſemper eſt altera vera, & altera falſa. Ita hic. Hęc eſt falſa. Deus genuit alium Deum. Hæc eſt vera. Deus non genuit alium Deum, quæ eſt ſua contradictoria, & non iſta, Deus genuit alium non Deum. Inſtabis. Deus non genuit alium Deum; ergo genuit alium non Deum. Nam ex negatiua de prædicato finito ſequitur affirmatiua de prædicato infinito, vt hic. Homo non eſt iuſtus, ergo eſt non iuſtus. Reſp. Quamuis regula Ariſt. ſit vera, & poteſt probari per naturam contradictionis, tamen nunquam tenet in compoſitis prædicatis, nam non ſequitur. Homo non eſt lignum album, ergo eſt lignum non album, quia affirmatur lignum in ſecunda, quod non affirmabatur in prima. Dices amplius, genuit alium, ergo bene ſequitur, Deum, vel non Deum. Admitto. Ergo genuit alium Deum. Nego, propter variationem alietatis. Bene enim ſequitur. Genuit alium, ergo Deum, vel non Deum. ſed non ſequitur, genuit alium, & Deum; ergo genuit alium Deum; quia non ex omnibus diuiſis ſequitur coniunctum, vt docet Sco. lib. 1. d. 28. & lib. 3. d. 3. Q. 1. Et nota. Ad id quod valeat conſequẽtia ad coniunctum à diuiſis, tres conditiones requiruntur. Prior eſt; quod diuiſa ſe habeant ſicut determinatio, & determinabile; ideo non ſequitur. Sortes eſt ambulans, & muſicus, ergo eſt ambulans muſicus, quia conſequens eſt propoſitio plures, quæ nec eſt vera, nec falſa. Altera, quod determinatio non capitur æquiuocè: idcircò non ſequitur. Iſte canis e[ſt] pater, & eſt tuus, ergo eſt pater tuus, quia in antecedente, li tuus, appellat te tanquam poſſeſſorem canis, & in conſequente appellat te, tanquam genitum à cane. Tertia conditio, quod non fiat nugatio, ob id non ſequitur. Sortes eſt homo, & eſt bipes, ergo eſt homo bipes. E conuerſo verò à coniunctis ad diuiſa valet etiam tribus conditionibus ſeruatis. Prima eſt, quod non ſit repugnantia in adiecto; idcircò non ſequitur. Adam eſt homo mortuus, ergo eſt homo, & eſt mortuus. Altera eſt, quod talis determinatio non ſit ampliatiua, cuius defectu, non ſequitur. Chimera eſt ens inopinabile, ergo chimera eſt ens, & eſt inopinabilis. Tertia conditio, quod determinatio non capiatur æquiuocè; defectu cuius non ſequitur. Iſte eſt bonus faber, ergo eſt bonus, & eſt faber.

Quarta

Quarta diſt. Quæſt. ſecunda lib. primi.

1. *Iacobus.* SCOTVS lib. 1. d. 4. Q. 2. ad A, & B. dicit. Hæc propoſitio. Pater eſt Deus, eſt propoſitio formalis. Oppoſitum huius habet Scotus 6. Quol. art. 2. & d. 26. 1. lib. vbi vult, quod iſta eſt verior. Pater eſt Deus, quam ſit iſta, homo eſt animal, ſed non formalior, quia non eſt formalis.

Lucas. Reſp. Scotus d. 4. Q. 2. lib. 1. vocat iſtam, Pater eſt Deus, formalem, reſpectu huius, Deus eſt Pater, at non vult abſolutè eam eſſe formalem. Dices. Scotus loco iam citato d. 4. primi ait. Hæc, Deus eſt Pater, habet aliquam veritatem, loquendo de prædicatione formali. Reſp. iſta, Deus eſt Pater, dicitur quaſi formalis à Scoto, & non formalis. Et id in comparatione ad hanc, Deitas eſt pater, quæ eſt propoſitio identica. Ad cuius identicæ veritatem, requiritur, alterum, vel ambo infinita. Notandum, Hæc, Pater eſt Deus, & ſimiles, vllo pacto ſunt formales tuendo perſonas conſtitui per relationes, quia tunc (logicè loquendo) & docet Scotus 26. primi. Pater eſt ens per accidens. Si verò teneatur, perſonam conſtitui per abſoluta, tunc hæ propoſitiones. Pater eſt Deus, Filius eſt Deus, Spiritus Sanctus eſt Deus, ſunt formales.

2. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 4. Q. 2. ad B. dicit. Vnicuique quo correſpondet proprium quod, vel quis; quod etiam habet in principio 1. Q. 4. d. lib. 1. & d. 2. Q. 4. 1. quaſi in principio. Oppoſitum huius patet ex Scoto pluribus locis. Nam concretum, & abſtractum ſignificant penitus idem, & indiſtincta ex natura rei, Deitas eſt quo, & Deus eſt quod, per Scotum, quod eſt impoſſibile, cum ſint penitus idem, & indiſtincta.

Lucas. Reſp. In via Scoti verum eſt, quo, & quod, ſeu concretum, & abſtractum eſſe penitus idem, & indiſtincta à parte rei, ac diſtinguuntur logicè, vel formaliter, næcque diſtinctio ſufficit, vt Deitas dicatur quo & Deus quod, vt tenetur à Scoto lib. 1. d. 8. Q. 2. Dices. Si albedo vna eſſet in tribus ſuppoſitis, in iſto caſu, vt patet, vni quo non correſponderet vnum quod, ſed tria quod. Dico quod ſubiectum non eſt proprium, quod albedinis, ſed album eſt quod albedinis. Dices adhuc. Anima ſeparata reſpectu intellectionis eſt quo, & quod, igitur non cuilibet quo correſpondet proprium quod, quia anima eſſet diſtincta à ſe ipſa; dico, quod anima eſt quod, & intellectus eſt quo. Inſtabis, Accidentia ſeparata non habent proprium quod, patet. Nam ante conſecrationem panis erat proprium quod, & in conſecratione non habent illud, ergo &c. Dico, ratio tua ſupponit vnum falſum, ſcilicet quod ſubiectum ſit proprium quod reſpectu ipſorum accidentium, quod eſt falſum.

3. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 4. Q. 2. ad B. dicit. Deus creat, iuſtificat &c. eſt propoſitio primo vera, non intelligendo aliquod ſuppoſitum, vel aliquod incommunicabile in illa natura, quia incommunicabilitas non eſt ratio talium actuum, Oppoſitum patet ex illo dicto communiter Ariſt. attributo. Actiones ſunt ſuppoſitorum.

Reſp.

Lucas. Reſp. Hæc propoſitio. Actiones ſunt ſuppoſitorum, nunquam fuit dicta ab Ariſt. ſed Ariſt. in proœmio Met. tantum dixit. Actiones ſunt circa ſingularia, tamen quia communiter citatur, & acceptatur, eam expono tripliciter. Primo. Actiones ſunt ſuppoſitorum, idest aliquorum ſe gerentium more ſuppoſitorum, vt ſunt accidentia ſeparata. Hæc expoſitio eſt Scoti lib. 4. d. 12. Q. 3. ſo. u. rationes princ. Secundo ſic. Actiones ſunt ſuppoſitorum, non præſuppoſitorum, ita quod præſupponant talia, ſed conſtitutiuorum, quia conſtituunt alia ſuppoſita in eſſe, vt docet Scotus lib. 1. d. 26. Tertio, Actiones ſunt ſuppoſitorum, idest vltimatè denominatorum, non quod ſint principaliter in ſuppoſitis, ſed quia vltimatè denominant. Hiſque patet ad contradictionem.

4\. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 4. Q. 2. ad B. dicit. Deus, vt non includit aliquod incommunicabile, ſeu conceptum alicuius incommunicabilis, verè poteſt agere. Oppoſitum huius videtur ſequi ex Scoto in materia de Trinitate. Nam Deus generans Deum, verè agit, & producit, ergo Deus generat ſine conceptu alicuius incommunicabilis, & tunc Deus diſtingueretur à ſe, quod eſt falſum.

Lucas. Reſp. Quamuis Deus ſine incluſione alicuius incommunicabilis, poſſit creare, gubernare, & conſeruare mundum, tamen ſic non poteſt generare filium, quia inter generans, & genitum ſemper eſt diſtinctio realis, ſi ergo hic Deus non includens perſonam, poſſet generare Deum; Tunc, hic Deus generans, diſtingueretur realiter à Deo genito, cum Deus ſic tantum dicat Deitatem, ſequeretur, quod Deitas diſtingueretur à ſe ipſa, pro aliquo ſuppoſito neceſſario ſupponit cum dicitur; hic Deus generat, quando verò dicitur, hic Deus creat mundum, non ſupponit neceſſariò ſuppoſitum. Nam vt ſic omnia includit neceſſaria ad creationem; eſt enim ens infinitum actualiſſime, & per ſe exiſtens, licet non ſit incommunicabile. Non enim actio de neceſſitate præſupponit ſuppoſitum, & ratio incommunicabilitatis non eſt ratio agendi, ſiuè creandi. Dices, & ſi non ſit ratio formalis agendi, eſt tamen conditio neceſſaria requiſita ad agendum, ſicut à ſimili; ſingularitas non eſt ratio agendi, ſed tantum conditio agentis. Non eſt ſimile de ratione ſuppoſiti, & ſingularitatis, nam ſingularitas neceſſario includit ipſam naturam agentem, quæ natura neceſſario ad agendum non includit ſuppoſitum. Calor enim ſeparatus à ſubſtantia eſt ratio calefaciendi, & non includit ſubſtantiam. Dices amplius. Si ratio incommunicabilitatis non eſt ſimpliciter neceſſaria ad actionem, ergo Deitas, ſeu memoria fæcunda, vt non includit rationem ſuppoſiti, erit ratio formalis generandi filium, et am propinquè. Dico; ratio ſuppoſiti non eſt ſimpliciter neceſſaria propter generationem, at propter diſtinctionem realem producentis, & producti. Nam generatio requirit extrema realiter diſtincta; idcirco in diuinis neceſſe eſt ponere rationem ſuppoſiti reſpectu generantis. Nam ſi generatio per poſſibile, vel impoſſibile poſſet eſſe in diuinis, ſine reali diſtinctione generantis, & geniti, non eſſet inconueniens dicere memoriam fæcundam ſimpliciter eſſe rationem formalem generãdi proximam, & optime diſpoſitam, vt docet Scotus lib. 1. d. 7.

5\. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 4. Q. 2. ad C. dicit. Color exiſtens, ſi eſſet ſeparatus à ſubſiſtentia, & ſuperficie, poſſet eſſe principium operationis realis.

Oppo-

Oppoſitum huius habet lib. 4. d. 12, Q. 3. vbi dicit. Color ſeparatus à quantitate non eſt viſibilis, quia omne quod videtur debet eſſe quātum, & extenſum.

Lucas. Reſp. Colorem poſſe immutare dupliciter, aut potentia propinqua, aut potentia remota, propinquè non poteſt ſine quantitate, vt dicit Scotus in 4. remotè verò poteſt etiam ſine quantitate, id eſt habet ex ſe immutare, & rationem immutandi, & non ab alio. Rurſus. Scotus d. 4. pr. non dicit, quod color ſeparatus à ſuperficie poſſet immutare; ſed dicit, ſi eſſet ſeparatus a ſubſiſtentia in ſuppoſito. At talem ſubſiſtētiam habet à ſubſtantia, & non à quantitate. Dices. Scotus loco citato in primo, parum inferius dicit. Color ſupponit pro primo ſignificato ſuo, puta pro hoc colore exiſtente, non autem pro aliquo colore inferiori ad hunc colorem, puta pro hoc colore in hac ſuperficie, vel in illa, ergo videtur ſeparari a ſuperficie. Dico, Scotus non intendit abſtrahere colorem à ſuperficie omnino, ſed tantum ab hac, vel illa ſuperficie. Dices. Scotus ibidem ait. Multo magis hoc eſſet verum, ſi hic color, vt hic, eſſet per ſe exiſtens, vbi videtur innuere ſeparationem coloris à quantitate. Dico. Scotus ex illis verbis id intendit, quod id magis competeret colori, ſi eſſet per ſe exiſtēs eo modo, quo ſubſtantia eſt per ſe exiſtens. At non intelligit per ſe exiſtens de facto, vt ſit ſeparatum à quantitate. Vel dicas, cum non ſit locus lib. 1. determinandi hanc difficultatem, Scotus non curauit, an color ſeparatus à quantitate eſſet viſibilis, vel nè, cum tantum exemplariter locutus ſit. Potes etiam dicere, eſt viſibilis, quantum eſt ex parte ſui: nam ſi, ſeparatus à ſuperficie, non ſit viſibilis, eſt tamen ratione cuiuſdam neceſſario præexigiti.

6. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 4. Q. 2. ad D. & in corp. quæſt. dicit. Terminus communis captus pro principali ſignificato ſupponit ſimpliciter; at captus pro ſuppoſitis ſupponit perſonaliter. Oppoſitum huius habent noſtrates in logicis, & potiſſimum Maur. ſuper Q. 9. Vniuerſalium vbi vult ad mentem Sco. quando terminus communis capitur pro principali ſignificato eſt ſuppoſitio perſonalis.

Lucas. Reſp. Duplex eſt ſuppoſitio ſimplex, vna quando prædicatum ponit differentiam inter ſuperius, & inferius, vt homo eſt ſpecies. Altera, quando accipitur terminus communis in ſe, vt homo eſt viſibilis, & hæc ſecunda reſpectu primæ poteſt dici ſuppoſitio perſonalis, cum eius prædicatum non ponat differentiam inter ſuperius, & inferius: at reſpectu huius, homo currit, vocari poteſt ſuppoſitio ſimplex; hoc bene notato, poſſunt multæ oppiniones conciliari in logicis, quæ ſibi contrariæ eſſe videntur.

QVINTA DISTINCTIO.

QVAESTIO PRIMA.

LIBRI PRIMI.

1. *Iacobus.* SCOTVS lib. 1. d. 5. Q. 1. in Initio dicit contra Abb. Ioachin. Pater, Filius, & Spiritus Sanctus ſunt vna res, & habetur de ſumma Trin. & fide catholica c. damnamus. Nos autem, ſacro approbante Concilio, credimus, & confitemur cum Petro, ſcilicet quod vna ſumma res eſt Eſſentia, vel natura diuina, quæ nec generat, nec generatur, & tamen non ſequitur, quod ſit quaternitas, quia illæ tres res Pater, Filius, & Spiritus Sanctus ſunt illa vna res; quaternitas autem eſſe non poteſt, niſi eſſet quartum realiter à tribus diſtinctum. Oppoſitum huius habet Scotus in materia de Trin. quod Pater, Filius, & Spiritus Sanctus ſunt tres res, quod colligitur ex Concilio Later. appellante tres perſonas diuinas, tres res.

Lucas. Reſp. Errauit circa id Abbas Ioachin., triaq; falſa firmauit. Primum Eſſentia eſt, quod generat, & generatur. Secundum. Tres perſonæ ſunt vnum quaſi vnitate ſpecifica. Tertium. Magiſter fuit hereticus, qui poſuit quaternitatem. Omnia hæc fuerunt reprobata à Concilo Lateranenſi tanquam falſa, vt legitur extra de Sum. Trin. & fide catholica. Damnamus. Cuius verba paulo ſuperius allata ſunt. Vbi ſolemniter approbatur Magiſter, & & damnatur Ioachim. Poſitioque catholica Magiſtri quod ſcilicet Eſſentia non generet, nec generetur diuerſimodè à theologis pertractatur, eorumque, dicta mox enarrabo à data ſolutione contradictionis. Res enim bifariam ſumitur, aut eſſentialiter, & ſic propoſitio Scoti eſt vera. Pater, Filius, Spiritus Sanctus ſunt vna res: aut notionaliter, & ſic ſunt plures res. Quæres. An in diuinis poſſit eſſe quaternitas? Profectò. Nam eſt ibi generatio actiua, paſſiua, ſpiratio actiua, & paſſiua, ſicque ſunt quatuor res realiter diſtinctæ quod ſpiratio actiua diſtinguatur realiter à generatione actiua, & ab aliis, docet Scotus d. 13. pr. & ſæpe in via ſua. Dices. Id eſt contra determinationem S. Eccleſiæ, quæ determinauit eſſe tantum tres res diſtinctas realiter. Dico (ſub cenſura tamen melioris iudicij) determinatio Eccleſiæ eſt, quod tantum ſint tres res ſubſiſtentes realiter diſtinctæ; nunquam determinat de rebus non ſubſiſtentibus, vt eſt ſpiratio actiua. Bonau. lib. 1. d: 5. Q. 3. reſpondens, Cur Eſſentia non generet, nec generetur, ait, natura in creaturis, quia numeratur, ideo generatur; at quia in diuinis natura non numeratur, ideo non generatur. Et alibi, addit de Abb. Ioacchin. Fuit valde præſumptuoſus, & ſuperbus qui, cum eſſet ignorans, tanto viro contradicere auſus eſt. Vnde merito compulſus eſt reuocare, & libellum ſuum Concilio Lateranenſi præſentare. Rubion. lib. 1. d. 5. Q. 1. dicit ad hanc concluſionem, Eſſentia non generat, nec generatur, nulla

eſt

eſt ratio efficax, niſi determinatio Eccleſiæ. Gabriel. eadem d. Q. 1. refert Olchot. tenentem, quod hæc determinatio fuit facta ex quadã reuelatione ſpeciali Eccleſiæ. Franciſcus verò lib. 1. d. 5. Q. 1. recitat plures modos dicendi ad hoc declarandum. Prior eſt. Eſſentia ideo formaliter non generat, quia actiones ſunt ſuppoſitorum, Eſſentia autem diuina non eſt formaliter ſuppoſitum. At ſic contra id arguit. Anima ſeparata agit, & tamen non eſt ſuppoſitum. Alter eſt. Idcircò Eſſentia non generat, quia pari ratione generaretur, & ſic idẽ generaret ſe. Id non valet, quia eſt idem intellectus in tribus, & conceditur, quod intellectus generat, & tamen non conceditur quod idẽ generet ſe ipſum. Tertius eſt. Ideo Eſſentia non generat, nec generatur, quia eſt ad ſe ſi enim generaret, relationem haberet ad illud ſecundum generationẽ; ſed hoc nihil valet. Nam licet Eſſentiæ repugnet eſſe ad aliquid quidditatiuè, non autem denominatiuè. Quartus, Eſſentia non generat, quia eſt communis tribus, ſicque quęlibet perſona generaret. Sed contra. Nam immenſus generat immenſum, & æternus æternum, & tamen immenſus, & æternus ſunt entia communia tribus. Quintus eſt. Eſſentia non generat, quia pater alio eſt pater, & alio Deus; nam generatione eſt pater, & Eſſentia eſt Deus. Contra iſtud. Nam probaret, quod Eſſentia non eſſet principium productiuum verbi, quia alio eſt Deus, & alio eſt generans. Sextus, eſt Scoti dicentis. Eſſentia non generat, quia eſt principium quò, & ideò non poteſt eſſe principium quod, & iſta ratio verificatur de eo, quod eſt vltimũ quo, quia non valeret de quo nõ vltimo, quod reſpectu diuerſorum poteſt eſſe quo, & quod; ſicut enim prima cauſa nihil habet de effectualitate, ita vltimus effectus nihil habet de cauſalitate, itaque proportionate de principio, & principiato dicatur.

2. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 5. Q. 1. in ſecunda ratione pro opinione Magiſtri dicit. Si Eſſentia generaretur, tunc referretur ad ſe, & diſtingueretur à ſe. Oppoſitum huius habet Sco. lib. 1. d. 3. Q. 7. ad R. & d. 2. primi parte 2. Q. 3. & lib. 2. d. 2. Q. 10. In his omnibus locis (periti videre poſſunt) ait. Eadem voluntas refertur ad ſe ipſam, & Angelus poteſt mouere ſe, intellectuſque poteſt mouere ſe, & tamen non diſtinguuntur à ſe ipſis.

Lucas. Reſp Scotus locis citats vult, quod, & ſi non ſequatur diſtinctio realis cum non ſit talis relatio originis ibi, ſcilicet agentis ad paſſum, eſt tamen ibi relatio realis reſpectu tertij verè producti, nati recipi in eodem agente, & ideò quando idem producit aliquid in ſe ipſo, licet realiter diſtinguatur à producto, non tamen realiter diſtinguitur à ſe ipſo, vt receptiuo talis producti. Eſſentia verò ſi generaret includeret relationem originis, terminatam ad genitum in ſe, quod genitũ non poteſt eſſe niſi Eſſentia: quia, qua ratione dicitur generans, eadem ratione diceretur genita, ſicque includeret relationem originis ad ſe ipſam, quæ relatio de neceſſitate eſt inter extrema realiter diſtincta. Item, non eſt ſimile de Eſſentia producente, & de voluntate creata; nam primum ſpectat ad ſecundum modum relatiuorum requirentẽ diſtinctionem realem; ſecundum autem pertinet ad tertium modum relatiuorum diſtinctionem realem non expoſcentem. Ideò, & ſi inter mouens, & motum non requiratur diſtinctio realis, tamen, vt omnia ſoluantur, dicas, quod requiritur diſtinctio realis inter effectũ

de nouo productum in motu, vt cum voluntas mouet ſe ipſam, non requiritur diſtinctio realis inter voluntatem mouentem, & motam, ſed inter voluntatem, & velle de nouo productum in voluntate.

3. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 5. Q. 1. in tertia ratione pro magiſtro dicit. Pater eſt formaliter eo quod generat, quia pater formaliter eſt ipſa Eſſentia, quæ eſt in filio propter indiſtinctionem ipſius Eſſentię. Oppoſitum huius habet Scotus pluribus in locis, eſt etiam dictum Aug. Pater eſt pater paternitate, & Deus Deitate, ergo non eſt pater formaliter Eſſentia.

Lucas. Reſp. Pater duobus modis accipitur adiectiuè, & ſubſtantiuè; adiectiuè pater formaliter eſt eo quod generat, ſubſtantiuè autem pater formaliter eſt ipſa Eſſentia; quia pater, vt prima perſona, in ſui ratione includit Eſſentiam, & relationem. Nota, quod generare, & generari, ſpirare, & ſpirari, immediatè prædicantur de ſolis ſuppoſitis, de Deo verò, & alijs concretis eſſentialibus, mediatè: & iſta eſt vera Deus generat, mediatè tamen, quia pater generat; idcirco licet Eſſentia ſit pater, & pater generet, non ſequitur quod Eſſentia generet; huius rei ratio eſt, quia eſſentia eſt vltimate abſtracta, cui repugnat recipere prædicationem formalem, non ſic autem eſt de Deo.

4. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 5. Q. 1. ad A. Quandocunque eſt ſubiectum abſtractum vltima abſtractione, & prædicatum ex ratione ſua prædicari non valet, niſi formaliter, non poteſt propoſitio eſſe vera, niſi ſit per ſe primo modo; ob id concludit hanc propoſitionem eſſe falſam. Eſſentia generat, vel generatur. Oppoſitum huius patet ſic, & eſt ad ſenſum. Hæc eſt vera. Eſſentia eſt abſtracta, eſſentia eſt diſtincta, & prædicantur hæc prædicata formaliter, & tamen non ſunt in primo modo dicendi per ſe.

Lucas. Reſp. Franc. lib. 1. d, 5. Q. 1. inquit. Abſtractio, & diſtinctio important negationem, quamuis videantur nomina affirmatiua, & addit. Regula Scoti veritatem habet in affirmatiuis, & non in negatiuis. Dices. Hæc eſt vera. Eſſentia concipitur, ergo &c. Reſp. Conceptio non eſt niſi reſpectus rationis, & de talibus nõ intelligitur regula Scoti. Inſtabis. Iſta eſt vera, Eſſentia eſt ſumma, & prima res, & primitas, & ſũmitas ſunt pręcisè reſpectus rationis. Eſſentia diuina eſt bona, & vera, veritas, & bonitas ſunt conditiones fundamentales, & nõ reſpectus actuales; deque talibus non intelligitur regula Scoti. Dices inſuper. Hęc eſt vera. Eſſentia eſt vna, & non eſt in primo modo dicendi per ſe. Regula Scoti non valet in terminis priuatiuis, ſed tantum in poſitiuis, vnitas autem eſt priuatio. Dices amplius. Hæc eſt vera. Eſſentia eſt infinita, æterna, & non eſt in primo modo. Regula Scoti non habet veritatem in modis intrinſecis, non valet ergo niſi in terminis primæ intentionis; non valet in terminis concernentibus actum intellectus, & voluntatis propter has propoſitiones. Eſſentia eſt amabilis, & intelligibilis, non valet in operationibus immanentibus. Non valet niſi in his, quæ ſe habent per modum fluxus, & fieri, vt generare, & in his, quæ ſe habent per modum habitus, & quietis. Ob has, Eſſentia eſt pulcra, & libera, quæ tantum ſignificant per modum quietis. Hæc Franc.. In quem ſic Vorilion egregie arguit. Omnia in quodam ſigno naturæ ſunt poſteriora Eſſentia Diuina, ergo ſi Eſſentia Diuina eſt vltimatè abſtracta, abſtrahit ab illis. Rurſus, contra id, quod dicit, veritatem, & bonitatem non diſtingui formaliter ab eſ-

ſentia

ſentia diuina; ſunt paſſiones, vel quaſi paſſiones, ergo formaliter diſtinguuntur à ſubiectis. Hæc Vorilon. Qui male etiam reſpondet, & plus quàm Franc. Omnia inquit ſupradicta prædicata prædicantur de Eſſentia identicè. Id eſt contra Scotum. Nam cum ſint prædicata adiectiua, non poſſunt prædicari niſi formaliter, vt ait Scotus. Vide Paulum, & Vigerium, qui quoque non bene exponunt hanc regulam Sco. quibus omnibus viſis determinationem in illo paſſu à Licheto, & non ab alijs recipias velim. Omnes hæ propoſitiones, Eſſentia eſt vna, vera, & bona, infinita, amata, intellecta, diſtincta, abſtracta, communicata, pulchra, omniaq; prędicta in quibus adiectiuum prædicatur, ſunt falſæ, ratio falſitatis eſt. Omne vltimatè abſtractum includit hoc ſincathegorema per ſe primo, vt communiter admittunt omnes Logici. Ideo hæc eſt falſa. Humanitas eſt alba, currit, &c. Ob id omnes illæ propoſitiones falſę conceduntur tantum in bono ſenſu, & non de rigore ſermonis. Quoniam, & ſi à parte rei ita ſit modus tamen falſificat tales propoſitiones. Hęc eſt optima ſolutio abſq; tot gloſulis datis regulæ Scoti. Hoc eſt verum, quod aliqui dicunt, quod vltimatè abſtracta includant tantum illud ſinchategorema per ſe primo reſpectu prædicatorum realium, & non reſpectu intentionalium; includunt enim illud reſpectu quorumcunque prædicatorum.

5. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 5. Q. 1. ad A. dicit. In ſubſtantia ſimplici, ſiue compoſita, pręciſè ſecundum ſuam rationem formalem quidditatiuam tantum eſt abſtractio a ſuppoſitis propriæ naturæ. Oppoſitum habet Sco. lib. 3. d. 7. Q. 1. ſolu. 2. princip. vbi concedit plures abſtractiones in ſubſtantia.

Lucas. Reſp. In ſubſtantia eſt tantum vna abſtractio in via Scoti à ſuppoſito, & ſi multę abſtractiones reperiantur in ſubſtantia, omnes tamen ſunt à ſuppoſito, & ita eſt vnica abſtractio à ſuppoſito, quæ poteſt habere multos gradus, & non eſt abſtractio à ſubiecto, nec à fundamento, ſicut eſt in abſolutis, & reſpectiuis. Aut dicas. Eſt vnica abſtractio vltimatè præciſè ſecundum rationem ſuam quidditatiuam. Dices. In Chriſto ſunt abſtractiones, vna a ſuppoſito proprio, vt humanitas Chriſti, ab hoc homine, qui impropriè dicitur ſuppoſitum. Altera eſt à ſuppoſito alieno, ſcilicet à ſuppoſito Verbi, ergo in ſubſtantia ſunt plures abſtractiones. Dico, quod Scotus (dum ponit vnicam abſtractionem in ſubſtantia) loquitur de abſtractione à ſuppoſitis, ad quam natura habet inclinationem. Expende; Vltimatè abſtractum nō poteſt prædicari de aliquo ſuppoſito, qui abſtrahit ab omni ſuppoſito. At forte non abſtrahit ab omni ſingulari. Idcircò adhuc in tali abſtractione poteſt de ſingulari prædicari, vt hæc humanitas eſt humanitas.

6. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 5. Q. 1. ad A. & C. dicit. Quando adiectiua prædicata prædicantur de vltimatè abſtracto, prædicantur in primo modo dicēdi per ſe, quæ adiectiua, ſeu prædicata formalia ſignificant formam per modum informantis. Oppoſitum huius patet ratione, prædicata formalia adiectiua, quæ prædicantur per inhęſionem, vnquam poſſunt prædicari primo modo, ergo non rectè videtur dicere Scotus, quod ſi prædicantur de vltimatè abſtracto, prædicentur primo modo.

Lucas. Reſp. Prædicari formaliter eſt duplex, quidditatiuè, ſcilicet vt homo eſt animal, & formaliter per inhęſionem, vt homo eſt albus, quomodocunque igitur capiatur formaliter, cum vltimatè abſtractum inclu-

dat omne id quod non eſt de quidditate,& includat hoc ſincathegorema per ſe primo, ideò ſi propoſitio eſſet vera, eſſet in primo modo, At propoſitio nunquam eſt vera, capiendo formaliter adiectiuè; ſi tamen daretur, vera eſſet in primo modo, ob cauſam dictam. Id tamen licet vnquam contingat.

7. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 5. Q. 1. ad F. concedit talem propoſitionem. Sapientia eſt nata eo quod ſapientia eſt principium operandi. Oppoſitum huius apparet ex doctrina Scoti pluribus locis. Nam huiuſmodi predicata, naſci, generari, ſemper important diſtinctionem realem, ergo oportebit concedere; Memoria fecunda generat, cum ipſa ſit potentia generandi, vt dicit Scotus lib. 1. d. 7. ſi conceditur ſapientia eſt nata, quod tamen eſt falſum.

Lucas. Reſp. Hec propoſitio. Sapientia eſt nata, non eſt vera de rigore ſermonis, & in bono ſenſu conceditur à Theologis. Etiam, Hæc, Sapientia eſt nata, & generans, conceditur, quia eſt principium ſumme diſpoſitum ad generandum, & concernit aliquod ſuppoſitum. Hinc habet aliquam veritatem. Similiter in iſto ſenſu poſſumus concedere, quod memoria fęcunda generet, quæ, vt eſt potentia generandi, concernit aliquod ſuppoſitum, cuius dicatur potentia generandi. Sed Eſſentia, vt vltimate abſtracta, non dicitur potentia generandi. Hinc eſt quod non poteſt vllo pacto generare. Dices, cur conceditur hæc, Subſtantia generat ſubſtantiam, & non hęc, Eſſentia generat Eſſentiam. Reſp. Quære. Conſule Franc. lib. d. 5. Q. 2. in fine, & intelliges.

8. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 5. Q. 1. ad F. citans Aug. in libello contra Epiſtolam fundamenti dicit. Euangelio non crederem, niſi quia Eccleſiæ Catholicę credo. Vbi videtur, Eccleſiam excedere Euangelium, & ſibi dare robur. Oppoſitum huius apparet. Nam Euangelium eſt ius diuinum propriè, & Eccleſia non poteſt ſuper ius diuinum.

Lucas. Reſp. De iſta materia diximus 3. conc. Q. 2. Prol. & modo ſubdimus quod Eccleſia poteſt multipliciter ſumi. Primo pro Eccleſia materiali in qua diuina officia celebrantur. Secundo, pro multitudine alicuius cleri collegiati. Tertio, pro multitudine Eccleſiaſticorum numerando Papam, Cardinales, Epiſcopos &c. Quarto capitur Eccleſia pro ſpeciali multitudine virorum, ſcilicet pro Papa, Cardinalibus: & omnibus ſpectantibus ad congregationem Concilij generalis. Quinto pro omnibus Chriſtianis ſimul vnitis. Sexto, & vltimo pro omni multitudine tam viuorum, quam mortuorum includente Chriſtum, caput. Eccleſia hoc vltimo modo eſt maior Euangelio: alijs autem modis. Euangelium excedit Eccleſiam. Quęres. Eccleſia num poſſit errare? Reſp. 1. 2. & 3. modis poteſt errare. At 4. 5. & 6. modis. Eccleſia errare non poteſt. Dubitabis, vtrum Eccleſia poſſit ſuos ſubditos obligare ad peccatũ mortale? Et id quod dico de Eccleſia etiã de Concilio legitime congregato, repræſẽtante Eccleſiã vniuerſalem inquam. Reſp. licet ſuperius circa id aliquid dictum fuerit, hæc addenda cenſui. Eccleſia ſine dubio obligare poteſt ſubditos ad mortale. Idque fulcitur hiſce auctoritatibus. Mat. cap. 10. quicunque non receperit vos, nec audierit ſermones veſtros. Amen dico vobis. Tollerabilius erit terræ ſodomorum, & Gomorreorum in die iudicij, quam terræ illi. Matth. 18. Si Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus, & publicanus, & quodcunque ligaueris &c. Matt. c, 23. ſuper cathedram Moiſi

Moſi &c. Luce cap. 10. Qui ũos audit, me audit, & qui vos ſpernit, me ſpernit, & qui ſpernit me, ſpernit eum, qui miſit me. Paul. ad Rom. 13. Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit, & cæt. & 1. ad Theſſal. cap. 4. Qui hęc ſpernit, non hominem, ſed Deum ſpernit, & cap. 2. Si quis non obedierit verbo, hunc notate, & non commiſceamini cum illo, vt confundatur. Et Deut. cap. 17. Qui ſuperbierit nolens obedire ſacerdotis imperio; qui ex tempore miniſtrat Deo ſuo, ex decreto iudicis moriatur homo ille. At in lege veteri mors non dabatur, niſi pro mortali, ſicut, & in noua. His patet Eccleſiam poſſe ad mortale obligare, & eſt clara ſententia beati Thom. 1. 2. Q. 96. ar. 4. vbi ſic ait. Leges poſitiuæ humanæ iuſtæ habent ius obligandi in foro conſcientiæ à lege ęterna, à qua deriuantur. Bon. lib. 2. d. 35. dicit. Qui non obedit prælato peccat, ſicut qui non obedit Deo, & addit, Ideo totum pendet ex mandato Dei; nam Deus mandauit, vt homini obediatur. Idque tenet expreſsè Gabr. lib. 4. d. 16. pr. 3. ar. 1. At quid ſentit Scotus, Reſp. lib. 4. d. 3. Q. 9. ſic ait. Non eſt ergo iſte perplexus, quia ſeruando pręceptum ſuperioris, & præceptum ſtrictius Eccleſię benefacit, & ſi non ſeruaret, peccaret mortaliter. Hæc Scotus. Hæc auctor: non multum cogit. Diceretur enim quod iſte peccat mortaliter ratione præcepti ſuperioris, ſcilicet Chriſti concurrentis cum pręcepto Eccleſiæ. Eodem 4. d. 11. Q. 6. in fine ait. Et forte etiam grauiter peccant, qui non conformant Eccleſię Petri, maxime cum hic habetur fundamentum ſolidum, quod ſic Chriſtus inſtituit, illud ſacramentum celebrandum. Hac auctoritas dupliciter ſoluitur. Primo ex illo verbo, forte. Secundo, ex illo verbo, ſic Chriſtus inſtituit illud Sacramentum; ſicque nihil poteſt haberi certè, quid ſenſerit Scotus. His poſitis, vt dubium melius intelligatur, has pono concluſiones. Prima ſit illa. Eccleſia condens legem pro fide Chriſti cognoſcenda, defendenda, conſeruanda, ſeu augmentanda poteſt obligare lege illa ad mortale. Secunda, Eccleſia condens legem pro obſeruatione mandatorum Dei, poteſt obligare ad mortale. Tertia. Eccleſia condens legem pro conſeruatione ſui, & inſurgentes, in Eccleſiam, poteſt obligare ad mortale. Quarta, Eccleſia, vel Papa condens legem ſuper his, quæ ſpectant ad Cathedram, id eſt docere, & declarare ea, quę ſunt fidei, poteſt obligare ad mortale. Quinta, ſi Eccleſia condat leges non pertinentes ad aliquod horum dictorũ, in tranſactis quatuor concluſionibus, dubium eſt, an poſſit obligare ad mortale. Et ad pręſens. Dico, non poteſt, niſi oppoſitum mihi conſtet: ſicque his patet ad difficultatem. Dices Aug. in Epiſtola ad Fauſtum ait. Peccatum mortale eſt dictum, vel factum, aut concupitum contra legem Dei. Reſp. Præceptum Eccleſiæ eſt præceptum Dei, cum Deus dixerit. Qui vos ſpernit, me ſpernit. Et quæcunque dixerint vobis ſeruate, & facite. Eccleſia ergo ſubauctoritatiue pręcipit, quod Deus auctoritatiuè mandat. Dices adhuc, Scotus lib. 2. d. 35. 36. 37. & 43. & lib. 3. d. 39. & 18. Q. Quol. ait. Peccatum eſt auerſio à Deo, & conuerſio ad creaturam. Reſp. Peccator auertendo ſe à præcepto Eccleſiæ, auertit ſe à præcepto Dei, cum præceptũ Eccleſię ſit Dei miniſterialiter. Inſtabis denuo. Luc. 12. dicitur. Dico autem nobis amicis meis ne terreamini ab his, qui occidunt corpus & poſt hoc non habent amplius quid faciant. Oſtendam autem vobis

bis quem timeatis. Timete eum, qui poſtquam occiderit habet poteſtatem mittere in gehennam. Reſp. Hæc non eſt comparatio Dei ad Eccleſiam: ſed Dei ad perſecutores Apoſtolorum, & Martirum. Vel dic vt ſupra. Tandem dices. Eccleſię ſunt duæ claues regni cęlorum, vt patet. Matth. 18. At ullibi reperitur quod ſibi ſint datæ duæ claues inferni. Reſp. Eccleſia per clauem abſolutionis claudit infernum, & ſic ſaltem acceſſorie habet claues inferni, ſicut paradiſi.

9. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 5. Q. 1. ad H. dicit. Nullum extremum vnius relationis eſt idem formaliter cum altero extremo correlationis. Oppoſitum apparet ratione, & experientia. Nam duplex eſt idem formaliter cū multiplici, ſimiliter dimidium eſt idem formaliter ſub multiplici, & Scotus lib. 1. d. 2. parte 2. Q. 1. dicit. Inferius eſt idem formaliter ſuo ſuperiori.

Lucas. Reſp. Scoti dictum ſcilicet d. 1. non eſt verum abſolutè, & generaliter, at ſolum in propoſito ſuo, quia communicans, & producens (de quibus loquitur Scotus eo loci) & ſi ſint idem realiter, non ſunt tamen idem formaliter. Vnde hęc propoſitio communicans eſt producens, eſt tantum vera denominatiuè, ſed non formaliter. At reſp. negando Inferius eſſe idem formaliter ſuo ſuperiori. Et ad Scoti dictum. Reſp. Quære.

10. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 5. Q. 1. ad H. dicit. Genus per ſe non prædicatur de differentia, nec conſequenter de propria paſſione hominis. Oppoſitum huius apparet ex doctrina Scoti pluribus locis. Hæ prędicationes non ſunt per accidens, nec ſunt formales, ergo videtur, quod ſint per ſe.

Lucas. Reſp. in via Scoti. Hæ veritates. Rationale eſt animal, riſibile eſt animal, rationale eſt ſubſtantia, & ſimiles non ſunt identicæ. Nam nec ambo extrema, nec alterum eſt infinitum formaliter, nec permiſſiuè quod requiritur ad propoſitionē identicā. Nec vt dicit Ariſt. 10. Metth. ſunt formales, quia genus non prædicatur per ſe de differentijs. Quales ergo erunt? Scotus 8. d. 1. Q. 3. ſolu. princ. ait. Quod in creaturis non eſt aliqua vera prędicatio in abſtracto per identitatem, quæ nō ſit formalis. Ideo nunquam fuit tradita logica in creaturis de prædicatione alia formali, & alia per identitatem. Hæc Scotus. Omnis prędicatio in creaturis eſt formalis ſecundum Scotum vt dictum eſt; genus non prędicatur per ſe formaliter de differentia. Dico æquiuocatio eſt in verbis. Nam hæc ſcilicet rationale eſt animal, eſt ens &c. nō ſunt formales. ideſt quidditatiuę, at bene ſunt formales, ideſt in concreto, & ita non purè identicę. Hinc Tromb. in formalitatibus ad propoſitionem identicam duo exiguntur. Primum, quod prædicetur abſtractum de abſtracto. Alterum, quod ambo extrema, vel ſaltem alterum, ſit formaliter aut permiſſiue infinitum. Ex prima conditione. Illæ propoſitiones non ſunt purè identicę, ſed formales, ideſt cōcretiuè deſignatę. Dices. Auctor formalitatum. Concedit hanc idēticam in creaturis. Humanitas eſt entitas. Reſp. Alterum extremum ſcilicet entitas non eſt creatura, ſed quid ſuperius ad entitatem creatā, & increatam.

Quinta diſt. Quæſt. ſecunda lib. primi.

1\. *Iacobus.* SCOTVS lib. d. 5. Q. 2. in impugnatione contra Henr. per totum dicit. Eſſentia eſt terminus formalis generationis. Oppoſitum deducitur ex Ariſt. 2. Phiſ. 14. vbi ait. Generatio eſt via in naturam, ideſt in formam, quæ fit per generationem, ſed Eſſentia non capit eſſe per generationem, ergo non eſt terminus formalis.

Lucas. Reſp. Pro concilianda hac difficultate. Nota. Nominales communiter dicunt, quod ad terminum formalem generationis duæ conditiones requiruntur. Prior, quod terminus formalis accipiat eſſe per productionem. Altera, quod terminus formalis ſit pars producti. At hæ duæ conditiones (addunt illi) non competunt Eſſentię; ita quod concludunt, quod Eſſentia non eſt terminus formalis. Scotus verò, & reales aiunt. Duæ illæ conditiones non competunt termino illi formali, ex ratione termini formalis, ſed accidunt termino formali in creaturis, ex imperfectione creaturarum. Nam formalis eſt hæc. Terminus formalis eſt ille, quo productum ſimpliciter habet eſſe ſuum, ſic eſt Eſſentia. Idcirco eſt terminus formalis. Ex his ad dictum Ariſt. reſp. accidit formæ, vt eſt terminus formalis, vt accipiat eſſe per generationem. Dices. In reſurrectione, anima vnietur corpori, tamen non erit terminus formalis illius actionis, nec reſurrectio dicetur generatio, huius rei ratio non eſt alia, niſi quia anima præfuit, ergo cum Eſſentia præfuerit in patre non poteſt eſſe terminus formalis generationis in filio. Reſp. Reſurrectio non eſt generatio, neque productio, qua productum accipiat eſſe nouum, vt termino formali, ſed tantum vt actu productiuo. Dices adhuc. Sicut de ratione termini totalis alicuius generationis eſt non habere totale eſſe, niſi per productionem, ita de ratione termini formalis eſt non habere eſſe formale, niſi per productionem, at Eſſentia non habet eſſe formale per generationem; quia ſecundum totum ſuum eſſe, eſt in patre. Reſp. Accipere eſſe contingit dupliciter, vno modo in ſe, & abſolutè, ita vt in aliquo inſtanti originis intelligatur non habere eſſe, & in alio intelligatur habere verum eſſe. Alio modo, vt intelligatur habere eſſe alio pacto, quam prius non habuit, ſcilicet eſſe communicatum; ita vt in aliquo inſtanti, non dicatur habere eſſe in filio, & in ſecundo inſtanti dicatur habere eſſe in filio dans ei eſſe eſſentialiter, & quidditatiuè. Primo modo terminus formalis generationis non accipitur, nec ſic Eſſentia eſt terminus formalis, cum eſſe reale ſimpliciter Eſſentię ſit in diuinis, vt ait Sco. d. 8. 1. Q. 3. Secundo, dicitur Eſſentia terminus formalis generationis filij: nam Eſſentia ipſa per talem generationem habetur in filio, per quam filius eſt quidditatiuè Deus, & idem eſſentialiter cum patre. Dices amplius. Idem non eſt elecituum alicuius productionis, & terminus formalis eiuſdem, quia idem non eſt prius, & poſterius ſe ipſo; ſecundum Sco. principiũ eliciti uum eſt prius origine, terminus verò formalis eſt poſterior origine; at Eſſentia ex Scoto eſt principiũ elicitiuũ generationis, ergo non eſt terminus formalis eiuſdem. Reſp.

Idem eſſe prius, & poſterius ſe ipſo bifariam intelligitur, primo quātum ad idem eſſe reale, vt quod, A. ſit realiter prius, & poſterius ſe ipſo, & id eſt impoſſibile. Secundo, quantum ad alium, & alium modum, & reſpectu vnius, & eiuſdem modi, eſt impoſſibile, quod idem dicatur prius, & poſterius ſe ipſo. At ſecundum vnum modum poteſt dici prius, & ſecundum alium poſterius: ſic in propoſito. Eſſentia diuina, vt eſt principium elicitiuum in patre, eſt prior ſe ipſa, vt eſt communicata filio per productionem: idque opus eſt dicere, quia ex quo ipſa ponitur principium formale productiuum, quo pater producit filium, vt patet 7. d. 1. & eadem met ponitur communicari filio per talem productionem, ſequitur, quod vt in patre eſt principium elicitiuum ſit prior ſe ipſa, vt communicata in filio per productionem. Dices tandem. Secundum Scotum vna perſona tantum vno modo habendi Eſſentiam habet, ſi ergo filius habeat eam, vt terminum formalem generationis, ergo cohabet eam vt principium elicitiuum, quod eſt cotra Sco. Nam filius producit Spiritum Sanctũ. Reſp. filius non habet Eſſentiam diuinam, vt principium formale generandi; ſed benè pater; at habet quidem vt principium elicitiuum ſpirationis, & habet eam, vt terminum formalem productionis: & vt principium elicitiuum ſpirationis, & vt principium intellectionis volitionis, &c. Ad id quod ait Sco. Inconueniens eſt filium habere Eſſentiam duobus modis. Nam intelligit Sco. quod non habetur in filio Eſſentia alio modo habendi, vt dans eſſe filio, arguit Scotus in Henr. quæſt. præſenti.

2. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 5. Q. 2. ad A. dicit. Filius non eſt terminus formalis generationis, ſed ipſa Eſſentia. Nam nulla entitas formaliter infinita ſimpliciter perfectior termino formali productionis habetur per productionem, Eſſentia eſt formaliter infinita, relatio autem non, ergo ſi relatio eſſet formalis terminus productionis, perſona non haberet Eſſentiam per productionem. Oppoſitum huius habet Sco. 2. Methap. vbi ait. Forma totius eſt nobilior forma partis, & nihilominus habetur per productionem.

Lucas. Reſp. Forma totius in creaturis reſultat ex partibus, & perfectio illius eſt principaliter à forma partis, & ſi forma partis non eſſet perfectior omni eo quod pertinet ad productum, nunqnam in tali productione haberetur; modo Eſſentia diuina, cum ſit tota perfectio producti, & non ſit producta, ſicut forma totius, ſi non eſſet terminus formalis generationis filij, nunquam per generationem poſſet haberi. Etiam Scotus comparationem non facit termini formalis ad totum productum, ſed bene termini formalis ad aliam partem, vel quaſi partem. Vel dic. Scotus arguit in Henr. non tenentem tertiam entitatem ſicut tenet Doctor Subtilis.

3. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 5. Q. 2. ad A. dicit. Principiare aliquod verum ens in quocunque genere principij, non conuenit alicui niſi realiter enti. Oppoſitum apparet de cauſa finali, quæ ſecundum Scotum pluribus in locis non habet verum eſſe reale, & tamen principiat aliquod ens verè reale.

Lucas. Reſp. Scoti dictum intelligitur de principiare propriè, & realiter, non autem de principiare metaphoricè, vt eſt actio cauſæ finalis, quæ tantum metaphoricè mouet efficiens. Et nota, quod principiare verum

ens reale ſtat dupliciter. Primo, vt principale principians in aliquo genere cauſæ; Secundo, vt neceſſario concomitans. Eſt tantum vera propoſitio Scoti primo, & non ſecundo modo; quoniam, vt patet, concurrũt in principiatione alicuius multæ relationes tam reales; quã rationis; idcirco Scoti dictum ſecundo modo locum non habet.

4. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 5. Q. 2. ad B. videtur determinare his verbis, & in patre erit relatio realis prior relatione ad filium, vel ſaltem alia ab illa, quod videtur inconueniens, quod in patre non ſit niſi vnica relatio. Oppoſitum huius habet Scotus 6. Quol. vbi in patre ponit æqualitatem, identitatem, ſimilitudinem, &c.

Lucas. Reſp. Scotus lib. 1. habet pro inconuenienti quod in patre ſint duæ relationes ſpectantes ad originem. At ob id non excludit relationes communes. Imo 6. Quol. vt dictum eſt eas patri enumerat. Dices. In patre eſt generatio actiua, & ſpiratio actiua, ergo ſunt plures relationes ſpectantes ad originem. Reſp. Scotus habet pro inconuenienti, quod in patre ſint duæ relationes ad originẽ ſpectãtes reſpectu vnius perſonæ productæ. At non habet pro inconuenienti, vt in patre ſit vna relatio reſpectu filij, & altera reſpectu Spiritus Sancti ſpirati.

5. *Iacobus.* Scotus lib. 1, d. 5. Q. 2. ad C. dicit. Prima cauſalitas effectiua ſe ſola effectiuè cauſat, excludendo omnem aliam cauſam eiuſdem, & alterius generis. Oppoſitum huius habet Scotus lib. 1. d. 1. Q. 5. & d. 2. 1. parte 1. Q. 1. vbi dicit. Ratio primi efficientis, & vltimi finis coincidũt in primo ente, & efficiens non agit, niſi vt motum à fine.

Lucas. Reſp. Dum ait Scotus. Prima cauſalitas excludit omnem aliam cauſam, in ratione cauſæ materialis, & formalis intelligitur, non autem vult excludere cauſam finalem, Et ratio cur cauſa materialis, & formalis excludatur à primo effectiuo eſt, quia cauſalitas intrinſeca dicit imperfectionem, vt docet Scotus 5. Quol. & colligitur ab Ariſt. 5. Metthap. 12. vbi vult quod totum habeat rationem perfecti, & perfectum in illis duobus locis ſic diffinitur. Perfectum eſt cuius non eſt extra aliquid accipere, & 5. Metth. totum ſic diffinitur. Totum eſt cuius nulla pars abeſt.

6. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 5. Q. 2. ad C. dicit. Potentia creatiua prima per ſe ſine alio principio materiali producit productum, & probat à ſimili, vnde elicitur, quod Deus per ſe ſine alio principio materiali producit productum, ideſt Deus ſine materia poteſt producere hominem ſine materia. Oppoſitum huius patet ratione. Nam repugnãtia eſt, Deum facere hominem phiſicè compoſitum ſine materia. Et à Scoto d. 8. 1. Q. 1. Deus non poteſt ſuplere cauſam intrinſecam aliquam propter ſui imperfectionem, quia ſi ſic Deus faceret, ſi partem, componibileq; quæ omnia manifeſte dicunt imperfectionem.

Lucas. Reſp. Scotus dum dicit, Deus poteſt facere hominem ſine materia, intelligit de materia præſuppoſita. Nam ad creationem non requiritur talis materia, cum à Creatore de nihilo producantur, quę creantur, non vult quod Deus poſſit ſuplere cauſam materialem, aut, quod homo, qui eſt phiſicè compoſitus, ſit ſine materia, cum id implicet contradictionem.

7. *Iacobus.* Scotus lib. 1, d. 5. Q. 2. ad F. dicit. Eſſentia eſt terminus formalis, ſecũdum quem terminus primus formaliter accipit eſſe. Oppoſitum huius habet Scotus d. 8. Q. 3. lib. 1. vbi vult, Deum non poſſe vocari for-

 mam

mam, propter formæ imperfectionem, cum dicat rationem partis, ergo non erit eſſentia terminus formalis.

Lucas. Reſp. Forma tripliciter ſumitur. Primo, pro altera parte compoſiti. Secundo pro cauſa extrinſeca, ſicut accepit Boet. 3. de conſol. metro. 3. dicens. Forma boni liuore carens. Tertio, capitur pro actu puriſſimo. quo modo Eſſentia eſt forma, & terminus formalis. Quæres, quomodo ſe habet Eſſentia in generatione reſpectu filij, cum per Scotum non ſe habeat, nec vt materia, nec quaſi materia. Reſp. Franc. lib. 1. d. 5. Q. 5. & dicit eſſe reſponſum à Scoto. Relatio comparatur ad Eſſentiam per modum proprietatis indiuidualis, idque probat duabus rationibus. Prima. Illud, quo diſtinguuntur ſuppoſita eiuſdem naturæ, ſunt proprietates indiuiduales, ſed relationes reſpectu Eſſentiæ ſic ſe habent, ergo &c. Secunda, Illa, quibus producens, & productum diſtinguntur in generatione vniuoca, ſe habent, vt proprietates indiuiduales, quia ſi non, productio non eſſet vniuoca, ſed relationes iſto modo ſe habent, ergo &c. Quæres amplius. Cum generatio ſit progreſſio ad eſſe ſimpliciter, & alteratio ad eſſe ſecundum quid, quomodo Eſſentia poteſt eſſe terminus formalis generationis, cum tantũ accipiat eſſe ſecundum quid? Reſp. Franc. vt ſupra. Sufficit, quod filius, qui eſt terminus totalis, accipiat eſſe ſimpliciter. Quæras tu aliã reſponſionem.

8. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 5. Q. 2. ad G. dicit. Filius habet eamdem ſubſtantiam, & quaſi formam cum patre. Idem habet paulo infra. Si illa Eſſentia exiſtens in patre prius origine ſit quaſi forma communicata filio. Oppoſitum huius habet Sco. pluribus locis, vbi vult Eſſentiam eſſe actum perfectiſſimum, ergo nõn erit, quaſi forma.

Lucas. Reſp. Forma, cum in creaturis habeat multas imperfectiones nullo pacto ſic reperitur in Deo, quia in creaturis forma eſt pars: ideo ponitur illa particula, quaſi, ad tollendas iſtas imperfectiones, ſicut etiam dicitur. Perſonæ diuinæ ſunt quaſi partes ſubiectiuæ, & Eſſentia eſt quaſi totum, adhunc ſenſum dicitur habere Eſſentiam, quaſi formam eamdem cum patre, de quo originaliter eſt.

9. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 5. Q. 2. ad H. dicit. In animatis eſt paternitas, & filiatio. Oppoſitum huius habet Scotus lib. 3. d. 8. Q. vn. reſp. ad Q. vbi ait. Filiatio eſt habitudo producti naturaliter ſimilis producenti in natura intellectuali, ergo non eſt in animatis paternitas, & filiatio ab animato intellectuali.

Lucas. Reſp. Scotus, & ſi dicat filiationem reperiri in animatis, in omnibus animatis non intendit reperiri; nam loco citato in 3. excludit paternitatem, & filiationem à plantis, & à brutis. Additque ibi. Si omnino contendas, brutum eſſe filium bruti, & vitulum bouis: tunc filatio eſt habitudo producti naturaliter ſimilis producenti in natura intellectuali, vel ſenſitiua, at in plantis excludit Sco. omnino filiationem. Et nota, quando dicitur; ad filationem requiritur quod filius ſit de ſubſtantia patris, expone; ideſt de ſemine patris, vel ſubſtantia diciſa. Nam ſi Deus miraculoſè ex manibus Petri produceret hominem, ille non eſſet filius Petri: ſicut Eua producta fuit de coſta Ade, & tamẽ Adam non fuit pater Euæ, quia tunc non potuiſſet habere eam in vxorem. Ob id Sco. in 2. d. 18. in fine ait. Coſta Adæ non fuit ratio ſeminalis: At ſi velis aliter ſoluere contrad. dic ex verbis Sco. In litera; animatis

vbi

vbi eſt paternitas, & filiatio, & ſic euaneſcit difficultas.

10. *Iacobus*. Scotus lib. 1. d. 5. Q. 2. ad H. vult patrem eſſe patrem actu ſuo generatiuo. Nam ſic dicit. Videmus, quis ſit ille actus, per quem generans dicitur eſſe Pater formaliter; ille eſt vbique actus decidẽdi ſemen. Oppoſitum huius habet Scotus 4. Quol. & lib. 1. d. 13. & 27. & lib. 4. d. 6. Q. 10. & d. 13. Q. 1. vbi vult expreſſe, quod Pater non ſit pater actu ſuo generatiuo, ſed eo quo habet genitum ſecum coexiſtentem. Vnde 4. Quol. ſic ait. Pater non eſt pater eo quo generat, ſed quia habet genitum ſecum coexiſtentem. Et 13. 4. Generare, ſeu genuiſſe non eſt fundamentum paternitatis, ſed potentia generatiua eſt eius fundamentum. Et id ob duas rationes, quas ibi habet Scotus, vt facile poteris videre Q. 1. illius d. 13. lib. 4.

Lucas. Reſp. Dum Scotus lib. 1. dixit. Pater eſt pater ſuo actu generatiuo noluit intelligere, quod Pater eſſet pater ſua actione, ideſt actu ſuo generandi: nam id falſum eſt. Sed tantum voluit habere, quod Pater nullam aliam operationem habet, per quam dicatur poſtea pater formaliter, præter hanc, quia nihil aliud facit pater quam decidere ſemen. Dices. Ariſt. 5. Meth. 20. ait. Pater eſt pater eo quo generat. Reſp. Scotus lib. 4. d. 13. Q. 1. quod actus potuit eſſe cauſa in fieri ipſius generationis, & quando fuit, tunc relatio inhebat, ſed non eſt cauſa in eſſe ſicut non manet, manente relatione. Fundamentum autem non eſt tantum cauſa in fieri ipſius relationis, ſed in eſſe: quid eſt ergo fundamentum? Dicitur, non eſt genuiſſe, nec generare, ſed potentia generatiua, non loquendo de reſpectu, ſed de abſoluto, denominato a tali reſpectu, Conſule gloſulas à Scoto ad Ariſt. autoritatem, ſuperius adductam, ibidem poſitas.

11. *Iacobus*. Scotus lib. 1. d. 5. Q. 2. ad I. dicit. Natura eſt perfectior actus, quam differentia indiuidualis, his verbis. Tertio, humanitas eſt aliquis actus in Sorte, & preciſè accipiẽdo humanitatẽ, & proprietatẽ indiuidualẽ, diſtinguendo contra ſe; humanitas eſt perfectior actus, quam ſit ipſa proprietas indiuidualis, licet indiuidualitas, ſit magis proprius actus, & aliquo modo actus naturæ, in quantum determinat naturã. Oppoſitum huius patet ratione. Nam quicquid contrahit eſt perfectius contracto, ſed proprietas indiuidualis eſt contrahens, ergo eſt nobilior ipſa natura contracta.

Lucas. Reſp. Confugiunt omnes ſcotiſtæ ad hunc locum citatum ad probandũ quod natura ſit perfectior actus differentia indiuiduali, & ita tenendum eſt ad mentem Scoti. Ad maiorem illius rationis dicitur, quod vera eſt de contrahente ad aliud eſſe, quam ſit eſſe indiuiduale; non autem eſt vera de ſic indiuidualiter contrahente. Notandum. Qui tenent gradum perfectiorem quidditate, ſic reſpondeant ad Scotum dicentem loco citato in primo. Quidditas eſt perfectior gradu; verum eſt, quod quidditas eſt perfectior ratione communicabilitatis, at non perfectior ſimpliciter, & nota quod gradus inuidualis eſt ſimpliciter ſimplex, & ens de eo non prædicatur quidditatiue, & dicitur materia in quantum non eſt de quidditate naturæ, & dicitur forma in quantum contrahit ipſam naturam ad eſſe indiuiduale, vt docet Sco. lib. 1. d. 3. Q. 6.

12. *Iacobus*. Scotus lib. 1. d. 5. Q. 2. ad L. dicit. Perſona in diuinis non eſt compoſita, nec quaſi compoſita, ſed eſt ſimpliciter ſimplex, & ita verè ſimplex

plex

plex ſicut Eſſentia. Oppoſitum huius habet lib. 1. d. 3. Q. 2. & alibi vbi dicit. Conceptus ſimpliciter ſimplex eſt qui totaliter ſcitur, & non eſt reſolubilis in plures conceptus, ſed perſona eſt reſolubilis in conceptus, Eſſentia m, ſcilicet, & relationem, ergo &c.

Lucas. Reſp. Scotus non vult intelligere quod ſit ſimpliciter ſimplex, ideſt non reſolubilis in multos conceptus, ſed tantum quod eſt ſimpliciter ſimplex, ideſt non compoſita, vt ſe exponit his verbis. Simpliciter ſimplex, & ita vere ſimplex ſicut Eſſentia nullam habens compoſitionem, nec quaſi compoſitionem, in ſe: ideo exponatur ſimpliciter ſimplex ideſt ſumme ſimplex.

13. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 5. Q. 2. ad L. dicit. Perfectio enim identitatis tollit cõpoſitionem, & quaſi compoſitionem, tamen non excludit diſtinctionem formalitatum. Idem habet d. 8. pr. Q. 3. ante ſol. princip. & ita Eſſentia, & paternitas ſunt perfectiſſima identitate idem, & non poteſt fieri verius vnum. Oppoſitum huius patet ratione; nam ex animali, & rationali videtur fieri verius vnum, quam ex Eſſentia, & paternitate, quia paternitas non prædicatur de perſona primo modo, vt rationale de homine.

Lucas. Reſp. Verior, & perfectior eſt identitas inter Eſſentiam, & paternitatẽ, quam inter animal, & rationale; idque non ratione tertij ex ipſis conſtituti, at quia vnum tranſit in aliud, & vnum non eſt in potentia ad alterum; ratio tamen tertij verius faciunt vnum animal, & rationale quam Eſſentia, & paternitas, & ſunt magis idem.

14. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 5. Q. 2. ad L. tenet quod ex Eſſentia, & relatione, quæ ſunt idem realiter, & ſi diſtinguantur formaliter, non fit aliquod cõpoſitum, vel quaſi compoſitum. Oppoſitum huius patet ratione. Nam hęcceitas, & natura in Franciſco componitur ex hęcheitate, & humanitate, & ſi identificentur realiter, & diſtinguantur formaliter ex Scoto lib. 2. d. 3. Præterea. Color, & diſgregare ſunt idem realiter reſpectu albedinis, & tamen diffinitum eſt quaſi compoſitum.

Lucas. Reſp. Ad hæc obiecta ſimul dicitur. Eſſentiæ, & relationis eſt maior identitas realis, quam in aliquo horum dictorum. Nam propter ſuã infinitatem abſolutè, & ſimpliciter, etiam circumſcripto omni alio quod non eſt idem realiter illi, includit perfectiſſime illud. Et vltra, quod eſt in vltima actualitate ex ſua ratione formali; itaque nihil actualitatis poteſt ſibi aduenire: etiam omnes relationes ſunt ibi in vltima actualitate. Hiſque patet ad illa obiecta. Tamen dico ad primum. Natura ex ſe non eſt in vltima actualitate, nam contrahitur per differentiam indiuidualem, ideo, licet ſint idem realiter ob id non ſequitur ex his non eſſe compoſitum. Ad alterum de albedine, & colore dico. Color non eſt ſimpliciter idem differentiæ, niſi tantum quia identificatur in albidine. Dices. Scotus lib. 2. d. 1. & alijs locis ait. Eſſentia, & exiſtentia ſunt idem realiter, & tamen poteſt dici homo quaſi compoſitũ ex Eſſentia, & exiſtẽtia. Reſp. Eſſentia, & exiſtentia nõ faciunt cõpoſitionẽ, nec quaſi cõpoſitionẽ. Et ſi aliquã cõpoſitionẽ proteruias inter hæc. Inquam, Eſſentiam ſuo modo eſſe in potentia ad exiſtentiam, & exiſtentia aduenit Eſſentię, non vt accidens, at vt gradus intrinſecus, & ipſa Eſſentia ex ſe non eſt in vltima actualitate, imo vt ſic, nullam includit exiſtentiam, ſicut Eſſentia diuina in primo modo ſuam includit exiſtentiam. Pro his vide Lych. Q. 2. d. 5. lib. 1.

Sco-

15. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 5. Q. 2. ad H. dicit. Actus perſonalis, non eſt de ſe formaliter infinitus; idem habet eadem Q. ad K. Relatio non eſt actus infinitus, ex ſua ratione formali. Idemque ex profeſſo ſuſtinet Sco. 5. Quol. Oppoſitum huius patet iſta ratione. Paternitas diuina aut eſt maioris perfectionis, quam creata, aut non, at certum eſt, quod eſt maioris perfectionis, ergo eſt infinita formaliter.

Lucas. Reſp. Inter paternitatem creatam, & diuinam non eſt comparatio formaliter; nam alterum extremum relatio, ſcilicet diuina, non eſt quãta, ſicque nec maioris, nec minoris perfectionis, formaliter loquendo. Dices, ex Erueo natali Quol. 1. Q. 4. Sicut ſe habet finitum, & infinitum ad quantitatem molis, ita ſe habet finitum, & infinitum in perfectione ad quantitatem perfectionis. At relatio diuina non eſt formaliter finita, ergo formaliter infinita. Reſp. Concedo, ſed nihil in nos. Nam debes probare, quod relatio diuina ſit formaliter quanta, quod non probas, ſed ſupponis, & falſum. At ſi ſic accipias: ſicut ſe habet finitum, & infinitum ad quantitatem molis, quia omnis eſt finita, vel infinita, ita ſe habet infinitum, & finitum ad ens in virtute, ſimilitudo eſt falſa vniuerſaliter, ſed vera eſſet hoc modo. Ita ſe habet finitum, & infinitum ad ens quantum, in quantum ens quantum, ſed nihil in nos, quia relatio diuina non eſt quanta. Dices adhuc. Illud in quo eſt magis, vel minus, eſt finitum, vel infinitum, quia quantum, ſed relatio eſt huiuſmodi, ergo eſt finita, vel infinita, ſed relatio diuina non eſt finita, ergo eſt infinita. Reſp. Minor eſt vera de relatione creata, non autem de increata, quia cum non ſit quanta, in ea non eſt magis, nec minus, quæ in quantitate perfectionis idem ſunt. Dices adhuc. Sicut omne creatum ſe habet ad finitum eſſe, ita omne increatum ad infinitũ eſſe, ſed omne creatum eſt formaliter finitum, ergo omne increatum eſt formaliter infinitum. Reſp, maior propoſitio eſt falſa, loquendo vniuerſaliter, vt patet, particulariter verò eſt vera, quia realiter omne increatum eſt infinitum, non autem formaliter.

16. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 5. Q. 2. ad O. citans dictum Ariſt. 9. Meth. 15. dicit. Illa quæ ſunt priora generatione ſunt poſteriora perfectione. Oppoſitum huius patet ratione, & ex Sco. lib. 4. d. 1. Q. 1. Nam cum totum genus ſubſtantiæ ſit prius origine quolibet accidente, ſequeretur, quod quælibet ſubſtantia eſſet perfectior quolibet accidente.

Lucas. Reſp. Propoſitio Ariſt. debet intelligi, in eodem genere, at ſubſtantia, & accidens ſunt alterius generis. Dices. Ordo naturarum eſt prior generatione, ordine proprietatum indiuidualium, & etiam eſt prior ordine perfectionis, ergo nõ omnia illa quæ ſunt priora generatione &c. Reſp. Ordo naturarum, & proprietatum indiuidualium, ſunt alterius & alterius generis. Inſtabis. Proprietas indiuidualis ſecundum Scotum lib. 2. d. 3. Q. 6. eſt in eodem prædicamento reductiuè in quo eſt natura illa contrahibilis per talem proprietatem indiuidualem. Reſp. Quamuis ſint eiuſdẽ generis prædicamẽtalis tamen ſunt in alio, & alio genere cauſę, quia totus ordo naturarum eſt in genere potentiæ, at ordo proprietatum indiuidualium, in genere actus, in quantum proprietas indiuidualis eſt actus naturę; ideò humanitas eſt prior origine, & perfectior differentia indiuiduali, licet in ratione potentiæ; pro quãto eſt contrahibilis à proprietate indiuiduali ſit origine prior.

Scotus

17. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 5. Q. 2. ad O. ait. Vel ſuppoſitum quod natum eſſet ſubſiſtere per illam formam. Oppoſitum huius habet Scotus lib. 3. d. 1. Q. 1. & lib. 1. d. 2. par. 2; Q. 1. & d. 23. & 19. Quolibet vbi dicit. Suppoſitum eſt tale per duas negationes, ergo non eſt ſuppoſitum per formam, vt dicit Scotus 1. d. primi.

Lucas. Reſp. In conciliand iſta difficultate non nulli ſcotiſtarum dixerunt, per ſuppoſitum intellexiſſe ſingulare Scotum d. 5. primi; aiunt, alij Scotum intellexiſſe per ſuppoſitum compoſitum, vt patet ex proceſſu literæ eiuſdem. Quidam verò alij dicunt, Scotum reuera intellexiſſe ſuppoſitum, at per formam rationem formalem ſuppoſiti non intellexiſſe, ſed aliquod neceſſario præexigitum, rationi formali ipſius ſuppoſiti, quæ eſt duplex negatio, vt patet locis iam iam allegatis. Poteſt inſuper dici, cum 5. d. 1. non ſit locus talis materiæ Scotum tetigiſſe vnum modum ex his, qui habentur in tertio. Ibidem enim narratur vnus modus, quem ſequitur Gabriel, quod ſuppoſitum eſt tale per aliquod poſitiuum, vel dicas, quod Scotus fuit probelematicus in iſta materia vt in tertio patet. At dubitabis. Scotus 19. Quol. dicit. Natura ſingularis, & ſuppoſitum ſunt idem realiter, ergo ſuppoſitum non eſt tale per duas negationes. Reſp. Scotus 19. Quol. non comparat rationem ſuppoſiti ad naturam ſingularem, at differentiam ſingularitatis ad naturam abſolute ſumptam: at hęc ſolutio non videtur ad mentem Scoti. Hinc aliter dicitur. Ratio ſuppoſitalis eſt eadem naturæ ſingulari negatiuè, ſed non eſt eadem affirmatiuè, quia non dicit aliam realitatem, vt inquit Auctor formalitatum de modo intrinſeco reſpectu illius cuius eſt modus. In ſuper Scotus non dicit, quod natura, & ratio ſuppoſiti ſunt idem, ſed natura, & ſuppoſitum; quia ſuppoſitum eſt quid agregatum ex poſitiuo, & negatiuo, quo animaduerſo, patet ad dubium, vel dicatur quod loquitur ſecundum mentem propriã. Etiam Scotus comparat naturam ſubſtantialẽ ad accidentalem, & dicit. Subſtantialis natura non ſuppoſitatur ex ſuppoſito extrinſeco, ſicut accidentalis. Ideo dum dicit. Natura ſingularis, & ſuppoſitum ſunt idem, loquitur reſpectiuè, non ſic naturæ accidentalis, & ſuum ſuppoſitum, ſunt idem. Nam ſuppoſitum naturæ accidentalis eſt extrinſecum, ideo dictum Scoti; verum eſt in reſpectiuo ſermone. Hæc eſt optima conciliatio.

18. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 5. Q. 2. ad O. dicit. Nulla natura creata habet eſſe prius naturaliter, quam in ſuppoſito. Oppoſitum huius patet, his motiuis conceſſis a Scoto. Nam natura eſt ſingulariter prior ſingularitate, ergo & ratione ſuppoſitali, quæ ſequitur naturam ſingularizatam. Rurſus, talis natura, eſt prior natura negatione fundata in illa, vt dicit Scotus lib. 2. d. 3. Q. 1. Etiam: Natura aſſumpta à Chriſto nunquam fuit in ſuppoſito.

Lucas. Reſp. Vigerius ſic reſp. Quamuis exiſtentia ſit paſſio naturæ, vel modus intrinſecus, non tamen abſolutè conuenit naturæ. Hæc Vigerius. At iſta ſententia eſt contra Scotum in 4. d. 45. Q. 3. in reſp. ad argumenta principalia vbi ſic dicitur à Scoto ad verbum. Reſp. Exiſtentia actualis primo conuenit naturæ: vnde hæc natura non eſt exiſtens formaliter, quia hęc, ſed per naturam illam, aut naturam, vt exiſtentem intuitiuè cognoſcit intellectus, & iſta cognitio exiſtentis, vt exiſtentis, ſufficit ad hoc, quod eius poſſit eſſe recordatio, hæc Scotus. Quę ſenten-

ſententia eſt immediate contra reſp. Vigerij. Idcircò, aliter reſp. Natura creata non habet verum eſſe exiſtentiæ in vltima actualitate, niſi in ſingulari, & ſuppoſito, quia vt prior ſingularitate, vt habens etiam verum eſſe exiſtentiæ, eſt cotrahibilis per hæcceitatem exiſtentem in propria exiſtentia, at natura diuina, vt prius natura ſuppoſito, habet verum eſſe in vltima actualitate. Natura etiam creata non habet eſſe vltimum actuale, & incommunicabile, quod eſt nata habere, cum ſit diuiſibilis, niſi actu habeat negationem duplicis communicabilitatis: natura vero diuina, etiam in ſuppoſito diuino, nullo modo actuatur, nec perficitur:& naturę diuinę, in priori ſigno conſideratę conuenit ſibi eſſe per ſe; itaque ſibi repugnat eſſe in ſuppoſito alieno, ſed non ſic repugnat naturæ creatæ, niſi vt habet eſſe in ſuppoſito proprio.

19. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 5. Q. 2. ad O. ponit tales enunciationes. Relatio eſt ſubſiſtens, & per Eſſentiam relatio eſt Deus ſimpliciter. Oppoſitum patet D. 5. 1. lib. Q. 1. ad A. vbi non concedit prædicationem concreti de abſtracto vltimatè. Nam quando prædicatur concretum de abſtracto, non eſt vera,nam ſit in primo modo dicendi per ſe,veluti non ſunt propoſitiones prædictę.

Lucas. Reſp. Hæ propoſitiones non ſunt verę de rigore ſermonis ob id,quod dicit Scotus d. 5. Q. 1. Nam in ſimilibus propoſitionibus, ad hoc vt ſint verę debet prædicari concretum de concreto, vel abſtractum de abſtracto, & non abſtractum de concreto, nec concretum de abſtracto, at ſunt concedendæ in bono ſenſu, vt ſic. Relatio eſt ſubſiſtens, ideſt ratio ſubſiſtendi.

20. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 5. Q. 2. ad P. tangit in quodam exemplo de rarefactione ſic. Ponatur quod eadem materia manens nata ſit recipere aliam partem corporis, ſicut ponitur in rarefactione, quæ rarefactio ponitur in genere qualitatis vt habet Scotus lib.4. d. 12. Q. 4. ad qué locum confugiunt Scotiſtæ, quid ſit tenendum de raro, & denſo ad mentem Sco. Oppoſitum habet Ariſt. & Auer. 4. Phiſ. 84. vbi ponit rarum in quantitate.

Lucas. Reſp. Rarum, & denſum in via Scoti, vt dictum eſt, & in via Ariſt. & Auer. ponuntur in qualitate. Nam Ariſt. in 2. de partibus anim. c. 3.& Auer. 7. Phiſ. 15. enumerant raritatem, & denſitatem inter qualitates elementorum. Ad dictum Auer. 4. Phiſ. dicitur, quod loquitur ad mentem antiquorum. Dices. Auer. 1. Meth. ait. Rarum, & denſum ſunt in prædicamento Situs, & 8. Phiſ. 77. dicit, quod ſunt motus locales. Dico, dum ait, ſunt in Situ,loquitur ad mentem aliorum. Addis, ſunt motus locales. Loquitur ad hominem. Nam antiqui dicebant generationem, & corruptionem fieri per congregationem, & per ſeparationem. Vel ſunt motus locales, quia motus locales ſequuntur raritatem, & denſitatem. Dices amplius. Ariſt. 2. de gener. non numerauit rarum, & denſum inter qualitates. Dico, ex hoc non numerauit, quia reducuntur ad mollitiem, & duritiem, vel eas tacuit, quia non ſunt qualitates actiuæ, niſi conſecutiuè, vt ait Auer. 2. de gener. com. 15. & 17.

21. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 5. Q. 2. ad P. & Q. replicat ſæpe, quod relatio non eſt actus naturæ, ſed ſuppoſiti. Oppoſitum huius patet ratione. Nam relatio facit Eſſentiam eſſe in filio incommunicabilem,ergo aliqualiter eam determinat.

Z Reſp.

Lucas. Reſp. Eſſentia in filio non eſt incommunicabilis, quia determinatur à relatione, at eſt incommunicabilis, quia habet in filio terminum adæquatum. Nam Deitas ipſa non diuiditur per relationes in perſonis, ſicut conceptus perſonæ, ſed eſt in ea, in qua perſona ſubſiſtit, tanquã in termino ſuo formali. Et expende. Eſſentia non eſt terminus formalis, vt forma informans, at eſt terminus formalis; ſicut natura dicitur terminus formalis reſpectu differentiæ indiuidualis.

22.*Iacobus*. Scotus lib. 1. d. 5. Q. 2. ad R. dicit. Natura eſt perfectior ratione ſubſiſtentiæ, etiam in creaturis. Oppoſitum huius habet Scotus lib. 3. d. 1. Q. 1. Nam ratio ſubſiſtentiæ in creaturis eſt duplex negatio, ſcilicet actualis, & aptitudinalis dependentiæ, cum itaque negatio nullius perfectionis ſit, quomodo erit verum dictum Scoti. Natura eſt perfectior ratione ſubſiſtentiæ in creaturis?

Lucas. Reſp. Scotus per rationẽ ſubſiſtentiæ intelligit proprietatem indiuidualẽ, vt patet in litera, vel intellexit rationem perſonalem, ſecundum tenentes rationem perſonalem poſitiuam eſſe.

23.*Iacobus*. Scotus lib. 1. d. 5. Q. 2. ad R. dicit. Nulla entitas ſimpliciter perfectior formali termino productionis poteſt eſſe per productionem. Oppoſitum habet Scotus 7. Mett. Q. 6. vbi dicit. Compoſitum eſt perfectius termino formali, & tamen habetur per productionem.

Lucas. Reſp. Valet dictum Scoti in diuinis, ait Vigerius; argumentum verò procedit in creaturis. Vel dic, quod tenet argumentum de termino formali partiali: At Scotus in primo intelligit de termino formali totali, qui eſt ipſa natura, aut dices. Scotus non comparat in primo, naturam ad totum, quod includit naturam, & differentiam, at comparat naturam ad quodcunque aliud concurrens cum ea ad generationem.

24.*Iacobus*. Scotus lib. 1. d. 5. Q. 2. ad R. dicit. Communicatum in quantum productione communicatur non præſupponit illud cui communicatur, nec econuerſo. Oppoſitum huius apparet ſic. Eſſentia diuina præcedit perſonam productam cui communicatur. Nam certum eſt quod prius origine Eſſentia intelligitur in ſe, quam in perſona aliqua, & prius origine intelligitur in perſona improducta, quam in filio; ergo falſum eſt illud verbum Scoti, nec econuerſo.

Lucas. Reſp. Eſſentia poteſt dupliciter conſiderari in ſe abſolutè, & ſic præcedit perſonam, vt verò communicata per productionem, ſic eſt ſimul cum eo cui communicatur, & hoc modo intelligitur dictum Scoti.

SEXSTA DISTINCTIO.

QVAESTIO VNICA.

LIBRI PRIMI.

1. *Iacobus.* SCOTVS lib. 1. d. 6. Q. vn. in 1. ar. in initio dicit. Intellectio præcedit volitionem, & intelligere præcedit ipſum producere. Oppoſitum patet hac ratione. Quęcunque ex ſuis rationibus formalibus habent ordinem aliquem, vbicunque ſaluantur ſecundum ſuas rationes formales, retinent eundem ordinem; at in creaturis dicere, ſeu producere præcedit intelligere, ergo intelligere non pręcedit producere, vt dicit Scotus.

Lucas. Reſp. Ordo ille v. vt dicere præcedat in creaturis non conuenit eis in quantum actus intelligendi, & actus dicendi ſunt. Nam ſic ratio cōcluderet, ſed competit eis inquantum ſunt tales actus, ſicut ſapientiæ creatæ conuenit inherere, & ſi non in quantum ſapientia eſt in ſe. Dices; qualem ordinem habent aliqua vbi ſunt realiter diſtincta, talem habent vbi ſunt diſtincta ſecundum rationem, at in creaturis, vbi dicere, & intelligere diſtinguuntur realiter, dicere præcedit intelligere, quia intelligere producitur per dicere, ergo & in Deo. Maior eſt maxima Scoti. prima, 6. & 7. Quol. Reſp. Verificatur dictum Scoti vbi cętera ſunt paria, sed ſic non eſt in propoſito. Nam in creaturis intelligere eſt terminus formalis ipſius dicere, ſed Verbum eſt terminus formalis, loquendo ſemper de dicere, vt eſt notionale. Dices amplius. Quæcunque conueniunt alicui quidditatiuè, & in primo modo, ſunt priora illis, quæ conueniunt in ſecundo modo dicendi per ſe, quia per dicere conſtituitur, & non per intelligere. Reſp. Aliqua habēt ordinem conſiderata in ſe ipſis ſimpliciter, & abſolutè, quæ tamen non habent illum ordinem conſiderata ſecundum aliquam reduplicationē, vnde, & ſi materia ſit prior forma, tamen cum hac reduplicatione, vt in compoſito, non eſt prior forma; ſic dico, dicere vt patris, eſt prius intelligere vt patris, ſed ſimpliciter, & abſolutè non. Dices tandem. Quando aliquid conuenit alicui in ſecundo modo, non conuenit alteri, mediante illo, niſi in ſecundo modo, ſaltem non intimius quam ſuo primo ſubiecto; ſed intelligere non conuenit patri, niſi mediante Eſſentia, & Eſſentia conuenit ſolum in ſecundo modo, ergo &c. Reſ. Quamuis (vt dictum eſt) intelligere, vt in patre, ſequatur ad dicere, tamen intelligere ſimpliciter, & abſolutè, eſt prius ipſo dicere, ſicut potentia materiæ, vt in compoſito, eſt prior abſolutè non vt in compoſito.

2. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 6. Q. vn. ad C. tenet quod Pater in primo ſigno originis intelligit formaliter, & tunc etiam poteſt habere actum volendi formaliter, & in iſto primo inſtanti non eſt gignitio Verbi, cum dicat Sco. loco citato. In Patre non eſt niſi vnica intellectio formaliter, quæ pręcedit aliquo modo productionem Verbi. Oppoſitum huius patet

ratione,& ex Aug.& Scoto. Nam Voluntas non poteſt velſe gignitionem, niſi ab intellectu prius cognitam, ſed in illo primo inſtanti non cognoſcitur intuitiuè quia tunc generatio filij non eſt exiſtens, nec abſtractiuè, quia talis cognitio eſt imperfecta, ergo nullo modo cognoſcit, & conſequenter voluntas non vult generationem, & pater non generat volens.

Lucas. Reſp. Scotus lib. 1. d. 10. Q. vn. reſp. ad vlt. princ. his verbis ſatisfacit difficultati. In illo priori originis, antequam intelligatur generatio filij, pater cognoſcit generationem, vt intuitiuè, licet non vt exiſtentem in ſe; quia cognoſcit Eſſentiam diuinam, quæ eſt ratio cognoſcendi intuitiuè quodcunque obiectum intelligibile, ſicut Trinitas cognoſcit intuitiuè creaturam, antequam producatur, quia Eſſentia ſua, quam intuetur, eſt ratio perfectiſſimè cognoſcendi omnia alia, & per conſequens eſt ratio cognoſcendi intuitiuè quodlibet cognoſcibile, licet nullum exiſteret in ſe.

Iacobus. Scotus lib. 1. d. 6. Q. v. ad G. tenet, quod in ſecundo ſigno originis Pater gignit filium, & vult illam gignitionem, volitione habita in primo ſigno originis. Oppoſitum huius patet hac ratione. Pater, per Scotũ, in primo ſigno intelligit, & vult, in ſecundo generat, ſed generare in ſecundo eſt ab alio generare, ergo pater generat ab alio, quod eſt hæreticum.

Lucas. Reſp. Duo hic faciam. Primum de talibus ſignis aliquid narrabo. Alterum erit reſp. ad contrad. quo ad primum. Ordo prioris, & poſterioris, poteſt accipi multis modis. Primo, illud quod dicitur prius, & vltra entitatem propriam, dicit aliquam menſuram, ſecundum quam dicitur prius alio, vt Iacobus eſt prius tempore Ioanne, quia ponitur in aliquo tempore, tanquam in menſura, in qua non ponitur Ioannes, ſic in Deo reperitur prius. 2. modo aliquid dicitur prius, ſic intelligendo, quod entitas, quãtũ eſt ex parte ſua de neceſſitate præſupponitur alteri, vt pro aliquo ſigno dicatur prior, nõ quod talis entitas prior ſic dicitur prior in aliquo inſtãti diſtincto a tali entitate, & mẽſuratiuo eiuſdẽ entitatis, at ſi poſſet dari aliqua inſtantia, quæ diceretur inſtãtia naturæ, vel originis menſuratiua, verè menſuraretur tali inſtanti. Sic Eſſentia diuina eſt prior omni attributo, omnique proprietate. Sic intellectus diuinus eſt prior voluntate, intellectio prior volitione, & generatio filij prior ſpiratione. Nec talis prioritas in diuinis, eſt tantum per actum intellectus noſtri, nec per actum collatiuum intellectus diuini, etiã ſi per impoſſibile nullus intellectus actu conſideraret, adhuc Eſſentia diuina eſſet prior relatione. Quando dicitur. Pater in primo ſigno intelligit, & in ſecundo gignit, non intelligo, quod pater in ſe ipſo formaliter intelligat; ſed ſic intelligo, quod ſi dabile eſſet aliquod inſtans diſtinctum ab entitate patris, menſurans ipſum patrem, eſſet verum dicere. Pater in aliquo inſtanti intelligit, in quo non gignit, id eſt intellectio, quantum eſt ex ſe, prius ineſt patri, quam gignitio. Et vlterius expende, inſtans originis aliquando accipitur à Scoto pro inſtanti naturæ, vt lib. 1. d. 6. Q. v. Aliquando accipitur inſtans originis verè originatiue, ſic quod ſit verè originatum, in ſecundo inſtanti originis ab eo quod habet eſſe in primo inſtanti: itaquod habens eſſe in primo inſtanti verè producit illud, quod habet eſſe in ſecundo, ſemper intelligendo, quod tale producens ſit prius producto. Hoc modo

loquitur

loquitur Scotus lib. 1. d. 1. Q. 1. vbi dicit. Pater eſt prius origine filio, quia pater quicquid habet, a ſe metipſo habet, eſtque filius poſterior origine, quia quicquid habet, habet a patre. Hæc de primo, ex quibus patet reſponſio ad omnes obiectiones, quas habet Greg. lib. 1. d. 6. & Occam d. 9. Quo ad ſecundum. Scotus d. 6. capit ordinem originis, vt eſt inter eſſentiale, & notionale; ratio verò in contrarium, capit ordinem originis, vt eſt inter originans, & originatum. Ideo æquiuocatione fallit ratio tua. Dices. Aut filius habuit eſſe in primo ſigno, aut non, ſi non, cum poſt habuit eſſe, ſequitur quod habuit eſſe poſt non eſſe. quod falſum eſt; ſi ſic; ergo in illo ſigno fuit generatio eius. Reſp. Non habuit eſſe filius in illo ſigno, ſcilicet primo, dum infers, ergo habuit eſſe a non eſſe. Dico, non eſſe præcedere eſſe multipliciter, vel non eſſe duratione, vel non eſſe natura propriè ſumptũ, vel non eſſe origine, filius nec primo, ſecundoue modo non habuit eſſe poſt non eſſe, non eſt autem inconueniens, quod non eſſe filij præcedat ipſum eſſe aliquo inſtanti originis. Dices adhuc, aut in primo ſigno, quando intelligit, aut habet eſſe, aut non eſſe, ſi habet eſſe, igitur eſt pater in primo ſigno. Nam ſecundum Ambr. Abſurdum eſt dicere, patrem prius fuiſſe, quam patrem eſſe, quaſi acceſſione, fiat pater paternitatis, igitur non prius intelligit, quam generet. Reſp. Pater habet eſſe in illo primo ſigno; Si infers; ergo eſt pater in illo primo ſigno; negatur conſequentia. Nam & ſi conueniat ſibi in illo ſigno eſſe, non tamen conuenit ſibi paternitas, quia eſt ibi ordo prædicatorum, quorum alterum ſibi conuenit in illo ſigno, ſcilicet eſſe, non tamen aliud, ſcilicet pater, ſicut dicimus de animali, & riſibili, reſpectu hominis, animal ſibi ineſt primo modo, riſibile non. Expende. Duplex eſt ordo originis, propriè, ſcilicet ſicque id eſt prius, a quo alius eſt, alter eſt ordo originis præſuppoſitionis qualis eſt inter intelligere, & velle, qui non dicitur ordo originis propriè: ſed potius ordo naturæ, & nota, ordo naturę eſt duplex, impropriè & tunc eſt inter duas perfectiones diſtinctas formaliter ad inuicé, etſi realiter ſint eædẽ: ſic eſt ordo naturæ, inter Eſſentiam, & proprietatem inter intellectum, & voluntatem. Alter eſt ordo naturæ propriè, & eſt inter naturas ſpecie diſtinctas, quarum vna ſit eminentior altera, vt homo, & aſinus. Nota vlterius. Ordo originis triplex: Primo, pro eſſe a ſe, & ab alio, hoc modo inter Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum, eſt ordo originis. Secundo, ordo originis capitur pro ordine aliquo exiſtente inter duas productiones, ſeu origines; hoc modo, generatio eſt prior origine ſpiratione. Tertio modo capitur pro ordine inter duas formalitates, ſeu perfectiones ſimpliciter; hoc modo intellectio eſſentialis eſt prior origine, volitione eſſentiali; & intellectio, & volitio ſunt prior origine, ipſo dicere, ſeu generare.

4. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 6. Q. vn. per totum dicit. Volitionem eſſentialem, præcedere dicere, ſeu generare, & alibi vult eſſentiale præcedere notionale. Oppoſitum huius habet Scotus 14. Quol. art. 2. vbi ponit, dicere præcedere volitionem eſſentialem. Ait enim ſic. Obiectum diuinum ordine quodam naturali mouet intellectum diuinum primo ad intellectionem actualem ſui, & ſecundo mouet ipſum ad notitiam actualem genitam ſui, & hanc ſequitur motio voluntatis.

& iſta eſt duplex, ſcilicet ad amare ſimplex, & ad amorem præcedentem.

Lucas. Reſp. In quol. Scotus aſſignat duas origines completas, vnam ad intra, & alteram ad extra, & ibi habet, quod totus ordo originis ad intra præcedit totum ordinem originis ad extra. Sufficiebat enim Scoto habere, quod volitio eſſentialis, & Spiritus Sanctus præcedebant notitiam lapidis; nec intelligebat loqui ibi de præceſſione eorum, quæ ſunt ad intra inter ſe; at quod omnia ad intra, ideſt, quę ſunt in primo ordine originis præcedunt omnia, quę ſunt in ſecundo ordine originis, quæ, reſpectiuo ſermone, ſunt ad extra. Dices. Si volitio eſſentialis præcedit dicerere, ſeu generare, ergo filius generatur volitione, ſeu voluntate. Scotus ſic 6. 1. d. Reſp. Pater generat voluntate antecedente. Pater generat voluntate conſequente. Pater non generat voluntate, vt principio elicitiuo. Franciſcus 6. d. 1. Q. 1. Sic ait. Pater generat voluntate antecedente. Pater generat voluntate concomitante. Pater non generat filium voluntate conſequente, quia voluntas, nec natura, neque origine conſequitur productionem. Pater non generat filium voluntate eliciente. Dices adhuc. Tertia concluſio Franciſci repugnat ſecundę Scoti. Dicas. Scotus per voluntatem conſequentem intellexit voluntatem concomitantem. D. Bonauentura 6. d. 1. ait. Pater generat filium natura, & voluntate; natura, vt principio; voluntate, vt concomitante; & producit Spiritũ Sanctum voluntate, vt principio, & natura, vt concomitante. Et addit. In Deo eſt tantum vna voluntas antecedens reſpectu creaturarum, & non reſpectu ipſius Dei. At id non ad mentem Scoti loquendo de anteceſſione originis, ſeu naturæ, vt inquit Scotus lib. 2. d. 1. Q. 1. & lib. 1. d. 12. Ioan. Maior ait. Pater generat filium voluntate concomitante, & conplacente, ſed non voluntate antecedente, nec conſequente, quia tam voluntas, quam filius ſunt ab æterno, At iſte æquiuocat; nam loquitur de anteceſſione temporis, & Sco. de anteceſſione orig. ſeu naturæ. Riccardus. 6. d. 1. Q. 2. dicit. Pater non genuit voluntate conſequente, nec antecedente, nec eliciente, ſed tantum voluntate approbante, & concomitante, & notat, quod ablatiuus abſolute ſumptus notat habitudinem cauſę, idcircò non debet concedi abſolute, Pater generat voluntate, ſed debet modificari. Pater generat voluntate approbante, ſeu concomitante. Riccardum teneas, excepto quod negat voluntatem antecedentem. Rubion (vt nominalis) tenet quod memoria, & voluntas nullam penitus habeant diſtinctionem, & ita ambo producunt Verbum, & ambo produnt Spiritum Sanctum; tamen memoria dicitur principium producendi filium appropriatè, & non propriè. Similiter voluntas dicitur principium producendi Spiritũ Sanctum appropriatè, & non propriè. At id eſt falſum, vt docet Scotus lib. 1. d. 2. p. 2. Q. 4. & d. 8. Q. 3. & d. 13. quibus in locis oſtendit memoriam, & voluntatem diſtingui formaliter, & non tantum ratione.

7. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 6. Q. v. ad E. dicit. In patre non eſt niſi vnica intellectio formaliter, quæ præcedit aliquo modo productionem verbi. Oppoſitum habet Scotus lib. 1. d. 35. ad K. vbi vult, Patrem ſeu in patre eſſe infinitas intellectiones.

Reſp.

Lucas. Reſp. In patre vt dicit Scotus 6. d. 1. non. eſt niſi vnica intellectio formaliter, & id verum; tamen terminatiuè ſunt in eo infinitæ intellectionès; cum quandoquidem alia à ſe ſic cognoſcat, vt docet Scotus in primo d. 35. Rurſus In Patre in quantum præcedit dicere, eſt tantum vnica intellectio, & formaliter, & terminatiuè, & ſic intelligitur Scotus 6. d. lib. primi.

SEPTIMA

SEPTIMA DISTINCTIO.

QVAESTIO VNICA.

LIBRI PRIMI.

1. *Iacobus.* SCOTVS lib. 1. d. 7. Q. vn. Quærit de principio productiuo ipſius Patris, quod eſt memoria fæcunda. Oppoſitum, aut ſaltem ſuperfluum, id quæritur hic à Scoto: nam ſuperius d. 2. parte 2. Quæſiuit, & determinauit contra Henr. Memoriam fæcundam eſſe principium generandi: ergo ſuperfluè id quæritur à Scoto 7. d. 1.

Lucas. Reſp. Scotus d. 2. p. egit de memoria fæcunda, vt eſt principium formale gignendi, & nihil aliud: in 7. verò 1. d. quomodo ſit propria Patri, & quod, vt fæcunda, non conueniat filio, nec S.S. & quid faciat, memoriā in eſſe patri, declaratur, aut dicas 2. p. d. ſolum incidentaliter, & breuiter, vt numerum productionum declararet, de memoria fæcunda meminit. In 7. verò 1. d. per ſe, & vt in proprio loco, & ideò diffuſius rem ipſam tractauit. Et nota quod de principio formali generationis ſunt variæ ſententiæ, prima eſt. Eſſentia, vt Eſſentia eſt tale principium, & hęc fuit opinio D. Thomæ 1. parte Q. 41. ar. 5. Gabr. Alfunl. & Rubion lib. 1. Altera eſt; ſola proprietas eſt tale principium. Et hæc fuit poſitio Henrici, & Var. Tertia eſt. Eſſentia cum relatione eſt tale formale principium, ſic tenet Baſol. & fuit Bonau. Q. 1. 7. d. lib. 1. quod Eſſentia cum modo quodam (eſtque, 4. ipſius Riccardi Q. 1. 7. d. l. 1.) ſit principium formale, & modus ille eſt non habere Eſſentiam ab alio: hunc etiam modum ſequitur etiam Egidius. Quinta eſt Greg. & Ioan. Maioris negantium illam diſtinctionem de principio quo, & quod, & dicunt. Idem fore principium quo, & quod; vnde aiunt. Pater ſicut eſt principium quod, ita eſt principium quo. Sexta eſt, quod potentia intellectiua eſt præcisè tale principium. Septima eſt: memoria fæcunda, ſcilicet intellectus diuinus cum Eſſentia diuina eſt principium quo, ſic Sco. d. 2. par. 2. Q. 4. lib. 1. & d. 7. eiuſdem, quem omnes Scotiſtæ ſequuntur. An (dices) concurrant ex æquo intellectus, & Eſſentia? Non; at Eſſentia eſt principalior ratio, & intellectus minus principalis; nam Eſſentia eſt illimitatior, & ſi concurrat cum voluntate in productione Spiritus Sancti. At in creaturis eſt oppoſitum; cum intellectus, ex Scoto 8. d. 1. Q. 3. ſit ratio principalior, quam obiectum. Quæres, cum ſint tot modi de principio formali generationis, cur Scotus duos tantum impugnat 7. d. lib. 1. Reſp. Scotus impugnat duos modos principales, ex quorum impugnatione patet facile modus impugnandi alios modos.

2. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 7. Q. v. ad A. dicit (& ſunt verba S. Auguſtini 7. de Trinitate cap. 5.) Hoc eſt Deo eſſe, quod ſubſiſtere. & cap. 4. Omnis creatura ad ſe ſubſiſtit, quanto magis Deus. Oppoſitum huius habet

Scotus

Scotus lib. 1. d. 4. Q. 2. ad B. vbi vult, Deum eſſe naturam ſingularem, ſed non ſubſiſtentiam.

Lucas. Reſp. Subſiſtere in via Scoti 5. Quolibet capitur dupliciter, propriè, & impropriè, ;propriè eſt incommunicabiliter exiſtere; impropriè eſt idem, quod per ſe eſſe, & ita cepit ſubſiſtere Sco. 7. d. 1. & lib. 3. d. 1. Q. 2. appellauit Scotus Eſſentiam ſubſiſtentem. De ſubſiſtere verò propriè locutus eſt alijs in locis. Et aduerte, quamuis Deus Benedictus per ſe exiſtat, antequam intelligatur ſuppoſitum, tamen ſine ſuppoſito non poteſt generare, maximaque illa. Forma ſufficienter elicitiua alicuius actionis, ſi per ſe agit illa actione, quæ eſt Sco. 7. pr. & 17. eiuſdem. Tertia 2. Q. 8. & 12. 4. Q. 3. habet veritatem de forma, quæ ſeparata poteſt eſſe principium actiuum proximum, ſicut ſpecies ſenſibilis ſeparata non poteſt eſſe principium proximum actiuum, niſi vt in oculo; ita Eſſentia non poteſt eſſe principium actiuum ad operandum, niſi vt habet eſſe in ſuppoſitis. Aut habet veritatem de forma, cui non repugnat habere modum ſuppoſiti. Aut, vt notat Franc. d. 5. 1. Q. 1. eſt vera, ſi talis forma non ſit vltimatè abſtracta, & ratio eſt. Nam ſi ſit tali modo abſtracta, non poteſt eſſe aliquo modo quod, ſi autem non ſit vltimate abſtracta, poteſt eſſe quo, & quod reſpectu diuerſorum. Aut eſt vera, vt dicit Sco. 17. p. quando illa forma eſt totalis ratio operandi, non autem, quando eſt ratio partialis. Et nota, quod color ſeparatus à ſubſtantia poteſt agere, ſicut coniunctus, ſed non ſeparatus a quantitate, vt habet Scotus lib. 4. d. 10. Q. 6. & 7.

3. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 7. Q. v. ad Y. tenet, quod Eſſentia diuina non poteſt habere actionem generandi, niſi in ſuppoſito conuenienti realiter diſtincto à producto. Oppoſitum huius habet Sco. 4. Quol. vbi ait, actionem non præſupponere ſuppoſitum; nam ſi actio præſupponit ſuppoſitum, ergo ſuppoſitum erit prius actione, cuius oppoſitum patet apud Scotum.

Lucas. Reſp. Quando ait Scotus Actionem requirere diſtinctionem ſuppoſitorum loquitur ſecundum illum modũ, qui tenet perſonas conſtitui per abſoluta. At melius. Actio illa generandi in Eſſentia præſupponit ſuppoſitum, non iam conſtitutum, cum ipſum conſtituat, ſed præſupponit ipſum denominatiuè. Nam nihil præcedens ſuppoſitum, poteſt illa actio denominare, ſed primum quod denominat eſt ipſum ſuppoſitum, & id vult Scotus 7. d. 1.

4. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 7. Q. vn. ad finem dicit. Principij autem productiui, id eſt Eſſentiæ, ad productum, eſt relatio rationis, ſicut prius dictum eſt de natura communicata, & communicante d. 5. p. Oppoſitum huius patet ex Scoto, pluribus locis, & præcipuè 2. & 7. d. 1. vbi vult Eſſentiam realiter, vt principiũ quo, concurrere ad generationem filij, ergo non eſt relatio rationis, cum non ſit fabricata per actum potentiæ collatiuæ.

Lucas. Reſp. Scoti dictum ſic debet intelligi, quod non eſt diſtinctio realis principij formalis, ad productum, qualis eſt inter producens, & productum; ſed tamen ibi eſt diſtinctio ex natura rei, & realis impropriè, vt diſtinguitur contra diſtintionẽ rationis, non autem eſt relatio realis propriè, cum extrema videlicet relatio, & Eſſentia non ſint inter ſe realiter diſtincta, dicitur igitur rationis, quia non complete realis, carendo conditionibus aſſignatis à Scoto 6. Q. Quol. relationi reali.

5. Iacobus. Scotus lib. d. 7. Q. vn. in fine dicit. Ignis eſt prius ſecundum cauſalitatē ipſo calore: & id ſupponit, quod docet Scotus in 4. d. 12. Q. 3. vbi vult, quod ſubſtantia genita ſibi generet ſua accidentia. Oppoſitum habet lib. 2. Q. 1. d. 1. art. 3. vbi dicit, quod ignire præcedit calefacere, ergo calor eſt prius ſecundum cauſalitatem.

Lucas. Reſp. Pro præſenti difficultate nota ex Ariſt. in poſt prędicam. cap. de priori & 5. Meth. 16. quod Prius capitur multis modis, & ſecundum cauſalitatem, & a quo non conuertitur conſequentia, & ſecundum tempus, & dignitatem, & ordinem naturæ, & ſecundum locū, & motum, vt puer eſt propinquior primo mouenti, quam vir, & ſecundum cognitionem, & ſecundum ordinem, & ſecudum potentiam &c. Ignis igitur in via Scoti eſt prius ſecundum cauſalitatem calore; & ad eius dictum in 2. inquam. Scotum ibi comparare ignem & calorem ad ſuos effectus 7. vero primi, comparare ignem, & calorem inter ſe, & ſic ignis, quia cauſat calorem, eſt prius cauſalitate calore.

6. Iacobus. Scotus lib. 1. d. 7. Q. vn. in fine videtur habere, quod ſenſitiua bruti habet operationem, & ſi mediate, cum vegetatiua ad productionem bruti. Oppoſitum habetScotus d. 18. 2. vbi dicit Anima ſenſitiua eſt à Deo.

Lucas. Reſp. Pro iſta difficultate nota, quod ſi anima ſenſitiua ſit à Deo eſt problema in via Scoti. Nam 4. d. 3. declinare videtur, quod ſenſitiua ſit à generante, & ſic dum videtur in primo ponere animam ſenſitiuam eſſe à generante non aſſertiuè loquitur, ſed tutior via eſt, vt ſit producta à Deo, & ſic euitatur illud, quo modo mater per uegetatiuam poteſt generare ſenſitiuam, cum ſenſitiua ſit perfectior vegetatiua.

7. Iacobus. Scotus lib. 1. d. 7. Q. vn. ad D. citans dictum Ariſt. 5. Phiſ. ait Relatio non eſt principium, nec terminus motus. Oppoſitum huius habet Scotus lib. 3. d. 1. Q. 1. ad K. vbi vult, ad relationē poſſe eſſe motum.

Lucas. Reſp. In via Scoti relatio non eſt principium motus, nec per ſe primo, eſt terminus motus; tamen relatio poteſt eſſe terminus motus per ſe non primo, ſed non per ſe primo, vt dicunt Pariſienſes 5. art. 2. dub. 2. & Canon. 5. Phiſ. Q. 5. vbi vult quod relatio acquiratur propria actione, & declarat modum. Et nota. Omnia prædicamenta (exceptis actione, & paſſione) acquiruntur propria actione, & ita ſunt termini actionis actiuæ, non tamen ſunt termini mutationis. Nam mutatio eſt tantum in ſubſtantia, quantitate, qualitate, & vbi, vt dicit Ariſt. 5. Phiſ. 15. Dices. Scotus 11. Quol. art d. ait. Relatio tantum per accidens terminat; Idemque Canon. 5. Phiſ. in fine 5. Q. ergo non poteſt acquiri propria actione. Reſp. Scotus loco citato declarat ſe dicens, Per accidens, ideſt alio acquiſito, & hoc verum eſt. Pariſienſes 5. Phiſ. Q. 1. art. 1. not. 1. ponunt vnam diſtinctionem, licet per accidens, ex qua reſpondetur ad omnia loca, quæ dicunt. Ad relationem tantum eſt motus per accidens, quæ diſtinctio eſt hęc. Per accidens dupliciter, vno modo, quod ineſt per aliud, quodcunque ſit illud, & iſto modo inter per ſe, & per accidens non eſt dare mediū. Alio modo aliquid dicitur per accidens in eſſe, quia ſibi non ineſt per aliquod intrinſecum: & per oppoſitum, id dicitur per ſe, quod ſibi ineſt, per aliquod intrinſecum. Septem alia prædicamenta (exceptis actione, & paſſione) per accideus, ideſt ad acquiſitionem alterius ac-

acti-

actiuam ratione ſuæ propriæ Eſſentiæ. Et nota, quod excipitur, vbi, quod acquiritur propria acquiſitione, & proprio motu.

8. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 7. Q. vn. ad F. dicit. Indeterminatio principij actiui eſt ad diſparata; ſed non ad contradictoria. Oppoſitum habet Scotus vbique de voluntate, quæ eſt indeterminata indeterminatione principij actiui, & tamen eſt ad diſparata, & contradictoria.

Lucas. Reſp. Scotus dum ait. Indeterminatio principij actiui eſt ad diſparata, & nō ad contradictoria, intelligit de indeterminatione actiua principij naturalis, veluti eſt Eſſentia diuina, & de indeterminatione principij liberi, ſicut eſt voluntas.

9. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 7. Q. vn. ad I. Ponit indeterminationem potentiæ actiuę illimitatæ; ſicut ſol eſt illimitatus ad producendū multa animalia. Oppoſitum huius habet Ariſt. 8. Phiſ. 8. & 15. & Auer. in com. vbi negat hanc indeterminationem actiuam poſitam à Scoto, vt expreſſe patet intuenti com. Auer. & Ariſt.

Lucas. Reſp. Ariſt. & Auer negauerunt hanc indeterminationem actiuam, eo quod non poſſit eſſe aliquod agens naturale, & indeterminatum, quia tunc ſemper vniformiter produceret, & ſic non poſſet eſſe illimitatum magis ad hunc, quam ad illum effectum. At quicquid dicant. Exemplum eſt verum, & multa ſaluat, tum phiſicè, tum theologicè. Phiſicè patet. Theologicè declarat, quomodo poſſit eſſe effectus nouus ſine actiuitate in cauſa, vt ſi ponatur ſol ſemper eſſe in ſe ęque luminoſus, & creetur aliquod medium perſpicuum eſſe approximatum, de nouo illuminabit illud, itaquod nihil nouum erit in ſole, ad hoc, vt ab ipſo ſit noua illuminatio. Et ſi poſſet exponere medium perſpicuū, & ſub lumine, ſicut cauſat in ipſo lumine, ita poneret in eſſe hoc totū, medium illuminatum, ſine aliqua nouitate in ſe ipſo. Ad motiuum Ariſt. & Auer. dico, quod huiuſmodi exemplum valet, quod non oportet propter nouitatem effectus ponere nouitatem in cauſa, non tamen valet. quo ad hoc, quod effectus poſſit eſſe nouus a cauſa naturaliter agente, & totali, quia tale agens, ſemper tale agens, vniformiter eſt agens, ſi tale eſſet reſpectu effectus; ſicque intelligitur eorum motiuum.

10. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 7. Q. vn. ad L. (loquens de potentia logica, quæ dicit modum compoſitionis factæ ab intellectu, & notat non repugnantiā extremorum) videtur habere. Potentiam logicam eſſe diſtinctam a potentia obiectiua. Oppoſitum affirmant multi Scotiſtæ tenentes, potentiam logicam, & obiectiuam non diſtingui.

Lucas. Reſp. In via Scoti. Potentia Logica (de qua tractat Scotus lib. 1. d. 2. parte 2. Q. 3. & d. 5. Q. 2. & d. 7. Q. vn. & d. 20. & 35. & lib. 2. d. 7. 16 & vltima, & lib. 3. d. 8. & lib. 4. d. 43. Q. 3. & Q. 8. Quol. & 16. & 9. Meth. Q. 1. & 15.) eſt diſtincta a potentia obiectiua, cuius potentiæ obiectiuæ meminit Scotus lib. 1. d. 2. parte 2. Q. 1. & 3. & d. 5. Q. 2. & d. 20. & lib. 2. d. 1. Q. 2. & alibi in doctrina ſua. Et quod ad inuicem ſint diſtincta hæc duo, his firmatur. Primo Scotus lib. 1. d. 7. diuidit potentiam, in logicam, obiectiuam, & realem; ſi eſſent vnū & idem, quomodo poſſent eſſe membra bonæ diuiſionis? idque patet eo loci à Scoto in caſu illo, ſi mundus non fuiſſet &c. vbi concludit apertè, quod potentia logica non eſt potentia obiectiua, eſtque locus proprius, ad quem confugiunt Scotiſtæ pro tali diſtinctione.

Secundo, Scotus lib. 2. d. 1. Q. 2. vult, quod in primo ſigno ſit potentia logica, in ſecundo, eſſe cognitum, & in tertio, potentia obiectiua. Id non eſſet ſi eſſent vnum, & idem. Tertio. Ariſt. 9. Meth. 2. excluſit a ſua conſideratione potentiam logicam, & non obiectiuam. Quarto. Scotus 9 Meth. Q. 1. ponit has tres potentias eſſe diſtinctas, vt logicam, mathematicam, & potentiam, vt eſt differentia entis, quæ eſt propriè obiectiua. Quinto. Potentia logica non euacuatur in aduentu actus entitatiui, obiectiua verò euacuatur. Sexto. Scotus 9. Meth. vult, quod poſſit eſſe potentia logica, vbi nulla correſpondet potentia obiectiua. Septimo. Potentia logica eſt inter duo aliquo modo diſtincta, & comparata ad inuicem; ſed potentia obiectiua eſt eiuſdem ad ſe ſecundum eſſe potentiale, & actuale, & iſta eſt ſententia Ariſt. 9. Meth. 11. vbi ait. Eſt aut actus rem exiſtere, non ſicut in potentia, & ex t. 13. & 15. trahitur. Potentia, & actus ſunt eiuſdem generis, quod non eſſet niſi de eodem verificarentur. Octauo. Potentia logica non reperitur, niſi in complexis, at potentia obiectiua, in complexis, & in incõplexis. Nono. Nullo intellectu cauſante daretur potentia logica, quod non contigit de potentia obiectiua. Decimo. Potentia logica eſt purum ſincathegorema, quia eſt modus compoſitionis, potentia verò obiectiua, non. Vndecimo. Scotus ponit potentiam logicam in Deo 7. d. 1. non autem obiectiuam, & d. 36. in fine, expreſſe dicit hanc non eſſe illam. Duodecimo. Potentia logica, & obiectiua, diuerſimode diffiniuntur. Nam potentia obiectiua ex 2. Q. 5. d. lib. 1. & potentia producibilis, at potentia logica ex 2. d. 1. eſt ſola non repugnantia terminorum. Ad Scoti autem tenentis oppoſitum, & ſi quid dicatur in eorum fauorem, dicitur. Potentia logica, & obiectiua, poſſunt bifariam ſumi, ſcilicet propriè cũ præciſione, ſicque opponuntur, & non ſunt idem, & impropriè, & ſic potentia logica includitur in potentia obiectiua.

21. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 7. Q. vn. ad L. ponit quendam caſum ſic. Si ante mundi creationem, mundus non ſolum non fuiſſet, ſed per impoſſibile Deus non fuiſſet, & incepiſſet a ſe eſſe, tunc fuiſſet potens creare mũdum, ſi fuiſſet intellectus aliquis ante mundi creationem, componens hanc. Mundus erit, hæc fuiſſet poſſibilis. Oppoſitum, habet Scotus lib. 1. d. 3. Q. 4. ad P. vbi vult quod non repugnantia terminorum propoſitionis non ſit niſi ab intellectu diuino producente terminos illos in eſſe intelligibili, & dante illis rationes ſuas per quas primo mouent intellectum, & per conſequens dante illis poſſibilitatem illam, quæ eſt non repugnantia terminorum. Si igitur Deus non fuiſſet per caſum poſitum, & aliquis intellectus eſſet, qui formaret hanc. Mundus erit, videtur quod hęc nulla poſſibilitate ſit poſſibilis, non reali, quia tunc nulla potentia realis eſt, nec logica, quia termini non repugnant, niſi ex intellectu diuino producente illos, intellectus autem diuinus, per caſum, tunc non eſt, ergo illa propoſitio, nulla poſſibilitate eſt poſſibilis.

Lucas. Reſp. Non repugnantia terminorum eſt ab intellectu tantum efficiente, formaliter verò ex illis terminis eſt talis repugnantia. Nam quia termini ſunt formaliter tales: Idcircò ex ſe ipſis formaliter repugnant, vel non repugnat, & non per aliud extrinſecum. Itaque Deus tantum cauſat illam non repugnantiam mediate, & non immediate, ac in ſi

illo

illo intellectus daret eis talem repugnantiam producendo eos in eſſe cognito; nam intelligitur illa potentia, ſeu non repugnantia, logica pro formali.

12. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 7. Q. v. ad L. dicit. Potentia obiectiua non ponitur in Deo. Alio modo dicitur, iſta ſunt eius verba. Potentia diuiſa contra actum, iſta non eſt in Deo. Oppoſitum patet ex Scoto pluribus locis. Nam certum eſt quod potentia obiectiua eſt in Deo, cum ſit terminus ſuæ omnipotentiæ, quia id, quod terminat omnipotentiam, non habet eſſe, niſi in potentia obiectiua.

Lucas. Reſp. Intelligi debet dictum Scoti 7. primi ſic. Potentia obiectiua non eſt in Deo ad intra, at non negat quin ſit reſpectu ad extra, & dicitur eſſe diuiſa contra actum non formalem ſed entitatiuum. Nam contra actum formalem diſtinguitur potentia ſubiectiua. Aut dicas. Potentia obiectiua non eſt in Deo intrinſecè, ſed bene extrinſecè, ſeu non eſt poteſtatiuè; ſed bene obiectiuè; hancque potentiam obiectiuam expreſsè ponit Ariſt. 9. Meth. t. 1. 8. 11. & 17. ac vult. Si rectè textus ille contempletur. Quamuis aliqui dicant, quod Ariſt. 9. Meth. t. 1. vbi diuidit ens in potentiam, & actum, non loquatur de potentia obiectiua. & de actu entitatiuo ſibi oppoſito; quia ſtatim ibi t. 2. ſubdiuidit potentiam in actiuam, & paſſiuam, quæ non ſunt membra potentiæ obiectiuæ, ſed potentiæ realis, vt diſtinguitur contra potentiam obiectiuam, vt dicit Scotus 7. parte. Reſp. ad id. Ariſt. in 2. t. 9. Meth. non ſubdiuidit potentiam cuius meminit 1. t. ſed recapitulat quaſdam diuiſiones habitas, quinto Meth. 17. Vnde in huius veritatem ſic dicit. Quod quidem igitur multipliciter potentia, & poſſe, determinatum eſt a nobis in alijs, ſicque patet ad argumentum Thomiſtarum. Poſſes tamen reflectere argumentum in eos ſic. Tu qui dicis in 1. tex. loquitur de potentia ſubiectiua, illa non poteſt ſubdiuidi in potentiam actiuam, & paſſiuam. Nam potentia actiua non poteſt diuidi in actiuam, & paſſiuam, vt patet.

13 *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 7. Q. v. ad L. dicit. Potentia pro per ſe ſignificato dicit relationem, de connotato verò dicit abſolutum. Oppoſitum huius patet ex Ariſt. in Prædicamentis, vbi ait. Potentia eſt ſpecies qualitatis, ergo eſt abſolutum. Item 5. Meth. dicit, quaſdas relationes fundari ſuper potentiam, ergo eſt aliquid abſolutum. Hæc ſunt argumenta, & motiua Thomæ Anglici.

Lucas. Reſp. Hæc argumenta verum dicunt, capiendo potentiam pro connotato, ſed non pro per ſe ſignificato. At expende. Naturalis potentia, & impotentia non ſunt ſecunda ſpecies qualitatis, quia aut capiuntur pro arte, ſeu pro habitu, ex actibus ſępe elicitis, & vt ſic, in prima ſpecie qualitatis, aut capiuntur pro naturalibus inclinationibus, ſeu habitudinibus, & vt ſic, volunt omnes communiter, quod ſint in ſecunda ſpecie qualitatis. Sed id non puto verum. Nam naturalis aptitudo eſt in illo prædicamento, in quo eſt ſuum ſubiectum. Idcircò quo ad id, bene ſe habuit Ariſt. in prædicam. Quamobrem ſe ipſum correxit 5. Meth. 19. vbi enumerans ſpecies qualitatis tacuit, & non poſuit illam ſecundam ſpeciem, quam poſuerat in Logica. Idcircò in Logica Ariſt. communiter locutus eſt. Et nota. Potentia pro fundamento aliquando ſumitur pro ſuo fundamento præciſe, & aliquando pro ipſo cum alijs omnibus concurrentibus; huiuſque diuiſionis

primum membrum eſt ens per ſe, ſecundum eſt ens per accidens. Dices. Scotus 13. d. 1. vult, quod effectus, ſeu productum per ſe, neceſſario velit principium formale producendi per ſe. Dico: verum eſt; ſi intelligit per ſe, ſecundum primum membrum huius diuiſionis, ſed non iuxta ſecundum membrum.

14. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 7. Q. vn. ad M. videtur dicere. Relationes non diſtingui pænes terminum. Oppoſitum habet lib. 2. d. 1. Q. 4. & 5. vbi ſic ait. Omnis illa relatio eſt eadem fundamento, cuius fundamento repugnat eſſe ſine termino, & omnis illa eſt diſtincta a fundamento, cuius fundamento non repugnat eſſe ſine termino.

Lucas. Reſp. Pro huius rei intelligentia aduerte. Relatio quatuor modis dicitur diſtingui a relatione; Primo, formaliter per ſuam propriam differentiam vltimam, vt habet Franc. lib. 1, d. 29. Q. 4. vbi inter alia ſic ait Relatio per ſuam propriam differentiam differt aquacunque alia relatione, quæ non ſit eiuſdem generis cum illa per fundamentum autem & per terminum, non diſtinguitur, niſi originaliter. Idem habet Sco. lib. 2. d. 1. Q. 4. & 5. & lib. 1. d. 30. & 35. & concedit proprium genus, & propriam differentiam in relatiuis. Secundo modo. Vna relatio diſtinguitur ab alia pænes fundamentum. Id ponit Ariſt. 5. Meth. 20. vbi voluit primum modum fundari ſuper vnum, & ſecundum ſuper potentiam actiuam, & paſſiuam. Et Scotus 5. Meth. Q. 13. & Ant. And. Q. 16. dicunt tertium modum differrre à primo pęnes diuerſa fundamenta. Tertio. Vna relatio differt ab alio pænes terminũ, & ſic Ariſt. in prædicam. cap. de Ad aliquid docet relationes referri ad terminos. Sic Scotus in prædicam. Q. 25. & Q. 15. Vniu. vbi vult vnam relationem diffiniri per ſuum correlatiuum. Ad dictum autem Sco. 2. pr. vbi videtur id negare, dico quod Scotus ibi habet, quod vna relatio non diſtinguitur ab alia pęnes terminum, ideſt quod vna ſit naturaliter, & alia liberè elicita, quia vtraque naturaliter aſpicit ſuum terminum, & quo ad hoc ſolum negat, quod pænes terminum vna relatio non diſtinguitur ab alia, ſed non negat abſolutè quantum ad alios modos diſtinctionis. Quarto, vna relatio diſtinguitur ab alia pænes principium elicitiuum, vt habet Scotus 7. pr. Dices: Scotus 13 pr. impugnat hunc modum dicendi. Dico, quod Sco. vult ibi, quod diuerſitas principiorum non diſtinguat formaliter, & intrinſecè, ſed non negat quin diſtinguat effectiuè. Hæc enim ſunt verba eius ibi. Non per intrinſeca, quia relatiua non ſunt intrinſeca correlatiuis ſuis. Dices amplius. Scotus ibidem citat ſe in 7. pr. & dicit, ſe ibi impugnaſſe hanc diſtinctionem pænes principia elicitiua, & determinatiua. Id videtur falſum, cum 7. pr. concedat hanc diſtinctionem. Reſp. Scotus citat ſe quo ad hoc, quod relatio non poſſit eſſe tale principium elicitiuum, per quod habeatur iſta diſtinctio, & id habetur verè 7. pr. & hoc patet ſi ponderes literam Scoti 13. d. 1. in poſitione Henr. vbi ſic ait. Aliter dicitur, quod emanationes diſtinguũtur pænes principia formaliter elicitiua, & ponuntur eſſe relationes perſonarum producentium, puta, vis generatiua, & vis ſpiratiua. Hæc Scotus. Pondera verba, &c.

15. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 7. Q. vn. ad M. dicit. Illud, quo producens producit, ſi non eſt eiuſdem rationis cum producti forma, continet eam virtualiter, & eſt perfectius ea. Oppoſitum patet d. 3. pr. Q. 6. 7. Nam intellectus

tellectus agens producit ſpeciem intelligibilem mediante phantaſmate principio quo, quod non eſt eiuſdem rationis cum ſpecie intelligibili producta, & eſt phantaſma imperfectius ſpecie. Idque etiam patet de intellectu poſſibili producente, media ſpecie intelligibili intellectionem, ergo dictum Sco. non videtur verum.

Lucas. Reſp. Propoſitio Sco. debet intelligi de cauſa æquiuoca totali, vel de cauſa æquiuoca partiali principali. At phantaſma, & ſpecies intelligibilis ſunt cauſæ partiales minus principales, de quibus, ſic cauſis, non verificatur Scoti propoſitio.

16. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 7. Q. vn. ad M. dicit. Ergo cum modo Deitas communicetur in identitate numerali (vt ait Sco. de generatione) & communicatione adæquata ſibi; ita quod Deitate non poteſt eſſe aliqua communicatio numero eiuſdem rationis cum iſta. Oppoſitum huius habet Scotus d. 2. pr. in materia Trin. vbi vult, quod Deitas & vis ſpiratiua communicatur à patre, & filio, in productione Spiritus Sancti, ergo non eſt adæquata, vt dicit Scotus.

Lucas. Reſp. dicatur, quod habet veritatem dictum Scoti de communicatione adequata per generationem, vt declarat idem Scotus, dicens; ita quod Deitate non poteſt eſſe alia communicatio numero eiuſdem rationis, cum iſta, licet ſit alia per ſpirationem.

17. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 7. Q. vn. ad H. tenet, quod Eſſentia eſt principium quo generandi. Oppoſitum patet ratione. Nam omne principium generandi eſt realiter diſtinctum à generatione, vel a generato, quia omne principium diſtinguitur ab eo, cuius eſt principium; ſed Eſſentia diuina non ſic diſtinguitur à generatione, nec à genito, ergo non eſt principium quo.

Lucas. Reſp. Duplex eſt principium, quod, & id diſtinguitur à principiato, & quo, & id non diſtinguitur à principiato. In hanc reſponſionem arguit Greg. lib. 1. d. 7. Q. vn. Si id eſſet verum, non magis principium, quo eſſet principium principiati, quam e conuerſo v. g. In propoſito; Eſſentia non magis eſt principium quo generationis, vel geniti, quam e conuerſo, genitum, vel generatio eſſet principium eius. Similiter Eſſentia ita eſſet principium Eſſentię, ſicut generationis. Ex quo tale principium à principiato, non diſtinguitur, ſed eſt ipſum. Hoc autē, nullus diceret, niſi vocabulis abuteretur. Reſp. hæc ratio Tomiſtæ facit difficultatem; Scotiſtæ verò facilis eſt reſponſio. Nam Scotus expreſſe vult d. 2. p. 2. Q. 1. quod relatio originis diſtinguatur formaliter ab Eſſentia &c. Dices. Principium, in quantum principium, eſt alterius, & non ſui 1. Phiſ. t. 8. Eſſentia non eſt principium alterius, ergo. Reſp. Quære. At nota, quod principium quo in creaturis eſt alterius realiter diſtincti; in Deo autem principium quo comparatur ad terminum formalem productionis, aut ad terminum totalem productum. Primo modo non eſt alterius niſi vt tantum ratione diſtincti, quia Eſſentia diuina, vt in patre eſt principium quo communicandi ſe ipſamet filio, vt terminum formalem productionis: & ſic ipſa Eſſentia communicata tantum diſtinguitur ratione à ſe ipſa, vt in filio. Secundo modo eſt alterius diſtincti ſaltem ex natura rei, & formaliter, licet nullo modo realiter. Dices amplius. Si Eſſentia eſſet principium generationis, vel filij, Eſſentia diceretur relatiuè principium ad filium, conſequentia patet, quia principiū in quantum principium, eſſet ad

aliquid

aliquid. Reſp. quando principium non diſtinguitur a producto, ibi non eſt relatio realis, at vbi diſtinguitur, relatio eſt realis, licet autem in creaturis ſemper principium quo ſit realiter diſtinctum à producto & per conſequens referantur realiter ad inuicem; in diuinis autem non eſt diſtinctio realis inter illa, vnde nec relatio realis, ſed rationis. In hanc Sco. reſp. ſic initat Greg. Hæc ſolutio Scoti nulla eſt: primo, quia dicit incompoſſibilia, aliquid, ſcilicet eſſe principium, & non diſtingui ab illo, patet 1. Phiſ. t. 8. Secundo, ſi non exigitur realis diſtinctio, quid prohiberet relationem, vt relatio eſt, eſſe principium quo generationis, vt eſt actio, vel productio, & eſſet tamen indiſtinctum ab ea realiter: quod etiam ait. Relationem non eſſe, niſi rationis, nihil eſt. Nam, quod extra animam eſt, principium eſt extra animam, & non ſecundum rationem eſt tantum ad aliquid. Si ergo Eſſentia non realiter referatur, non erit principium realiter. Hæc Greg. Dico, quod Scotus non negat, quod principium alicuius non diſtinguatur ab illo, loquendo de principio quod, ſi veró loquatur de principio quo, ſuperius dictum eſt. Et cum dixit vltra, quod ſi non exigitur realis diſtinctio, relatio poſſet eſſe principium quo; id falſum eſt: nam nulla relatio poteſt eſſe principium producendi. Cum addit, quod tale principium quo eſt extra animam; conceditur, cum inferatur, Si ergo Eſſentia non referatur realiter, non erit realiter principium. Dico, quod eſſe realiter principium quod, infert referri realiter, at non ſequitur de principio quo.

18. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 7. Q. vn. ad P. dicit. Generatio in diuinis eſt vniuoca; nam generans, & genitum habent eamdem naturam. Oppoſitum apparet ex hoc, vbi principium, & terminus ſunt alterius rationis, ibi eſt generatio vniuoca: nam memoria, vt memoria, eſt principium, & Eſſentia terminus.

Lucas. Reſp. Ad vniuocationem perfectam ſufficit in principio principali conuenientia cum termino, ſicut eſt in diuina generatione. Nam Eſſentia eſt principium principale, & eſt omnino eadem cum termino, qui etiam eſt Eſſentia præcisé. Dices etiam. Hoc ſtante, tunc non erit tanta vniuocatio in Deo, vt in creaturis, quia in creaturis totale principium caloris eſt calor. Reſp. Falſum ſupponit dictum tuum, ſcilicet quod principium totale in creaturis ſit eiuſdem rationis cum termino: nō enim aliqua cauſa particularis, & creata eſt, quę ſit tota cauſa ſui effectus, quin ibi concurrat ſaltem Deus. Dices amplius. In creaturis videtur, quod a cauſa particulari ſumatur vniuocatio, cum ergo in Deo id non ſit, non erit vniuocatio. Reſp. ſi cauſa vniuerſalis aſſimilet ſibi effectum eſt maior vniuocatio, quam quod particularis aſſimilet ſibi, & non vniuerſalis; ex defectu enim fæcunditatis eſt in creaturis, quod cauſa vniuerſalis non aſſimilet ſibi productum; ſed in diuinis eſt ex plenitudine perfectionis, & ideo maior vniuocatio; nam ſi ſol, & aſinus producerent ſolem, maior vniuocatio eſſet, quam quando producunt aſellum. Aduertendum, quod potentia generandi tripliciter ſumitur, primo, ſecundum eſſe ſimpliciter, & ſic eſt in tribus; ſecundo, actiue, & eſt in ſolo patre; tertio paſſiuè, & ſic eſt in ſolo filio. Hæc diſtinctio eſt Vorilionis.

19. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 7. Q. v. ad Q. dicit. Relationes in Deo eſſe ſubſiſtentes. ad iſta reſp. ad primum, quod relationes ſint ſubſiſtentes, tamen &c.

Idem habet 5. d. 1. Q. 2. Oppoſitum patet ex Scoto multis in locis. Nam ſubſiſtere eſt proprietas ſuppoſiti per ſe ſtantis, ergo relationes non debent dici ſubſiſtentes.

Lucas. Reſp. Scoti dictum 7. pr. Relationes ſunt ſubſiſtentes, ſic gloſatur; ſubſiſtentes, ideſt incommunicabiles, & non inhærentes, non vult Scotus, quod relationes ſint ſuppoſita ſubſiſtentia. Et nota, quod relationes diuinæ tripliciter diſtinguntur. Primo, ſecundum ſuas rationes formales. Secundo, per principia elicitiua. Tertio, ſecundum terminum totalem: at nullo pacto diſtinguuntur ſecundum terminum formalem, qui eſt diuina Eſſentia.

17. Iacobus. Scotus lib. 1. d. 7. Q. vn. ad S. & alibi in illa diſt. ait. Potentia generandi eſt in patre. Oppoſitum habet eadem diſt. reſp. ad Quæſt. vbi dicit. Potentiam generandi non eſſe in filio, igitur tunc aliquid eſt in vna perſona abſolutum, quod non in alia.

Lucas. Reſp. Potentia generandi poteſt ſumi pro potentia propinqua, ſcilicet capiendo totum illud agregatum requiſitum, vt ſit potentia propinqua ad generationem; ſic tantum eſt in patre, & non dicit aliquam perfectionem, ſi verò capiatur fundamentaliter, vel remotè, tunc eſt aliquod abſolutum dicens perfectionem ſimpliciter, & eſt communis tribus. Idque docet Scotus 2. primi in fine ſol. Quæſt. his verbis. Reſp. dico, quod & ſi idem abſolutum, quod eſt potentia, ſit in patre, & in filio, non tamen ſub ratione potentię: quantum ad actum notionalem eſt in vtroque, quia non eſt ſub ratione prioris, ad illum actum, & potentia, ſiue principium requirit ordinem prioritatis ad terminum. Hæc Scotus. Et nota quod prioritas illa eſt præſuppoſitionis, vt habet Scotus 2. Quol. art. 3. & ille ordo eſt ipſa paternitas, ita quod paternitas, dici poteſt, & dicitur etiam relatio potentiæ, vt patet 4. Quol. & ſic paternitas eſt conditio producentis, pertinens ad potentiã proximam: & illud abſolutum præciſè ſumptum, quod eſt in patre principium dicendi, non eſt in filio principium dicendi; quia habet terminum adæquatum, & vt potentia proxima generandi ſtat cum paternitate, ſed non determinatur a paternitate, vt ſentit Henr. Vel aſſignes diſtinctionem communem de potentia generãdi, pro formal eſt quædam relatio, & vni ſoli conuenit, pro connotato eſt quoddam abſolutum; quod eſt fundamentum proximum talis relationis, & conuenit tribus. Dices, probando motiuo Aureoli in patre nullam eſſe potentiam productiuam, verè, qua generet filium, ſic. Vbi eſt principium productiuum, ſiue elicitiuum, ibi eſt productio elicita, ergo &c. Reſp. Dum dicit Aureolus. Vbi eſt potentia generandi, ibi eſt productio elicita; ſi intelligatur generatio pro genito, patet quod genitum eſt verè productum a patre, ſi verò intelligatur pro ipſa generatione, dico, quod quamuis generatio non ſit elicita à patre, cum ipſum conſtituat, dicitur tamen quaſi elicita à potentia generandi, quę eſt memoria fæcunda, & id ſufficit. Dices adhuc. Poſſe eſſe patrem, non eſt potentia productiua, quia ſi talis potentia eſſet productiua, pater in diuinis produceretur in eſſe patris, quod eſt falſum: ſed eadem eſt potentia, qua pater poteſt generare, & qua pater poteſt eſſe, ſicut eſt idem actus generare, & paternitas, ſicut etiam dicit Magiſter, quod illæ ſunt idem. Pater poteſt eſſe pater, & pater poteſt generare, ſed filius non poteſt eſſe pater, & non poteſt generare; ergo nulla eſt po-

tentia productiua verè in patre. Reſp. Nego quod eadem ſit potentia qua pater poteſt generare, & qua pater poteſt eſſe pater. Nam memoria fæcunda pater poteſt generare, & paternitate poteſt eſſe pater; quia non eodem pater eſt Deus, quo eſt pater, vt inquit Aug. Deitate enim eſt Deus, & paternitate eſt pater. Ad magiſtrum dicentem. Idem eſſe, patrem eſſe, & patrem generare, concedo, ſi capiatur adiectiuè, quod idem eſt generare, ſiue genuiſſe, vt inquit Scotus 5. d. 1. Q. 1. Dices amplius. Cuius negatio non eſt negatio potentiæ, ipſum non eſt formaliter potentia, vt ſecundum Aug. Negatio potentiæ generatiuæ non eſt negatio potentiæ, ſed tantũ poſſibilitatis terminorum, ait enim contra Maximum lib. 3. filius non genuit, non quia non potuit, ſed quia non oportuit. Quod exponens Magiſter dicit. Non quia non potuit, id eſt non ex aliqua impotentia fuit, & per conſequens generatiuę potentiæ negatio, non eſt negatio potentiæ. Reſp. Particula illa, non potuit, accipitur ab Aug. & Magiſtro, vt nominat impotentiã, & notat imperfectionem: Quicquid enim perfectionis eſt in potentia generandi in patre, illud idem eſt in filio, ſi eadem memoria quæ eſt in filio non præintelligeretur habere terminum adæquatum, ita eſſet potentia generandi in filio, ſicut in patre.

19. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 7. Q. vn. ad T. dicit. A forma communi eſt operatio cõmunis. Oppoſitum habet 1. Meth. Q. 6. vbi ait. Singularitas eſt conditio agentis, & Ariſt. 1. Meth. ait. Actiones ſunt circa ſingularia, & vt communiter fertur. Actiones ſunt ſuppoſitorum. Itaque non poteſt eſſe aliquis effectus vniuerſalis, ſeu communis.

Lucas. Reſp. Scoti dictum ſecundum Lichetum d. 7. 1. ſic intelligitur. Effectus qui natus eſt ſequi formam communem, dicitur prius eſſe a tali natura communi, ſicut propria paſſio ineſt ſingularibus, per rationem alicuius communis, cui primo ineſt, vt patet; primo Poſt. Vel ille effectus dicitur communis, quia ineſt ſingularibus per rationem formæ communis particularizatæ. Nam cuilibet vniuerſali correſpondet proprium indiuiduum.

20. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 7. Q. vn. ad V. dicit. Quæ autem ſit ratio, quare quædam formæ ſunt actiuæ, & quædam non, difficile eſt aſſignare rationem communem, quia aliquę formę ſubſtantiales, non ſunt actiuæ &c. & addit inferius, quod neque poteſt aſſignari ratio, quare non generat cum dicitur, aliquæ tamen perfectiores, ſcilicet formæ, non ſunt communicatiuæ ſui, ſicut formę corporum cæleſtium, & formæ Angelicæ. Oppoſitum habet lib. 4. d. 1. Q. 1. vbi ait, Angelus tantum agit per intellectum, & voluntatem, quæ producunt intellectionem, & volitionem, quę ſunt accidentia, ergo aſſignatur ratio, cur Angelus non generet.

Lucas. Reſp. Non poteſt aſſignari aliqua ratio in communi, cur formæ iſtę non ſint actiuæ, inquit Scotus 7. d. pr. licet poſſit aſſignari in aliquibus particularibus cauſa, cur non agant. Soluitur igitur dubitatio per illa verba. Difficile eſt aſſignare rationem communem, & per illa. Non igitur videtur ratio, quare formæ aliquæ in communi non ſint actiuæ, & aliquæ ſic. Et nota ea, quę habet Sco. d. 2. 1. Q. 6. vbi ſic inquit quanto forma creata eſt nobilior; tanto diſtinguitur in plures gradus nobilitatis; ſicut ſunt plures formæ mixti, quam elementares, plures formæ animati, quam inanimati, & fortè plura animalia, quam plantæ

tæ; & tamen licet iſtę formæ ſint ſic incommunicabiles, non poteſt reddi ratio communis, cur plures earum ſint actiuæ. Dices. Scotus 29. 1. Q. vn. in fine quæſt. videtur dicere oppoſitum, quod modo dictum eſt, ſcilicet quod vno perfecto exiſtente, ſunt multa imperfecta per receſſum ab illo ſecundum diuerſum gradum, & ponit exemplum de rationali, quo exiſtente ſunt multa irrationalia. Id videtur repugnare ijs, quę dicta ſunt ex 2. lib. Scoti. Reſp. Hic dixit illam propoſitionem in argumento Poſito in capite quæſt. quæ autem ibi communiter ponuntur, topica ſunt, & non aſſertiua, & ſunt ex dictis aliorum, communiter accepta; & hoc patet, quia illud dictum eſt S. Thomæ in lib. contra gentes. Etiam allegatur ex Bon. & alijs antiquis, & apparenter facit pro Thoma ponente, quemcunque Angelum conſtituere ſpeciem. At melius dicitur. Scotus lib. 2. loquitur de contentis ſub eodem genere infimo, vt patet per eius exempla. Nam lib. 2. loquitur de gradibus entium ſubſtantialium, in quantum ſunt de perfectione vniuerſi, in vniuerſalibus loquitur de ſpeciebus animalis præciſè, ſicque patet ad hanc difficultatem.

Lucas. Scotus lib. 1. d. 7. Q. v. ad argum. princip. ait. Eſſentia diuina eſt, quo pater generat filium, & vt generat, eſt ſibi propria: quia, & ſi eadem ſit neceſſario in tribus, tamen in nulla alia perſona, à perſona patris, eſt cum modo habendi eam non ab alio. Oppoſitum huius patet hac ratione. Quandocunque aliquid conuenit alicui, quod non conuenit alteri, oportet, quod ſibi conueniat per illud, in quo illa diſtinguuntur, & impoſſibile eſt, quod pater conueniat per illud, in quo conueniunt, poſſe autem generare, ita conuenit patri, quod repugnat filio, ergo per aliquod proprium; ſed nihil eſt proprium patri, niſi relatio, ergo relatio eſt illud, in quo ſibi conuenit generare.

18. *Iacobus.* Reſp. Aliquando per idem principium poteſt aliqua operatio alicui conuenire, & alteri repugnare propter diuerſam diſpoſitionē illius principij. Nam igni in inferioribus conuenit calefacere, in ſuperioribus autem non, & id non eſt per aliud, & aliud principium, ſed propter diſpoſitionem diuerſam illius principij; ità in propoſito eadem Eſſentia, vt in patre, non habet terminum adæquatum, poteſt ei eſſe principium producendi: eamet Eſſentia, licet ſit in filio tamen quia intelligitur habere terminum adæquatum, non erit principium producendi in filio.

OCTAVA DISTINCTIO.

QVAESTIO PRIMA.

LIBRI PRIMI.

1. Iacobus. SCOTVS lib. 1. d. 8. Q. 1. determinat, Deum eſſe ſumme ſimplicem. Oppoſitum huius habet Sco. d. 8. 1. Q. 4. vbi concedit in Deo dari plures realitates,
Lucas. & ita videtur dari aliqua compoſitio in Deo.

Reſp. Deus, ex ſententia omnium Sanctorum, eſt ſummè ſimplex; nam non eſt compoſitum, nec alteri componibilis, nec aliud eſt ſibi componibile: at non eſt ſimpliciter ſimplex, cum conceptus talis ſit irreſolubilis in vlteriores conceptus, & ſi quando inueniatur, aut à Scoto, aut ex graui Doctore, Deum eſſe ſic, debet exponi ſimpliciter ſimplex, ideſt ſumme ſimplex, aut eſt ſimpliciter ſimplex phiſicè i. non reſolubilis in plures res, ſed non Methap. ideſt non reſolubilis in plures, realitates, quarum vna ſe habeat vt actus, & altera, vt potentia, vt genus, & ſpecies. Relinquitur ergo Deum eſſe ſummè ſimplicem; nam non eſt compoſitus ex materia, & forma, cuius compoſitionis meminit Ariſt. 1. Phiſ. & 2. à t. 7. vſque ad 16. & 2. de Anima, & 8. Meth. 15. & 16. Nec eſt compoſitus ex genere, & differentia, cuius meminit Ariſt. 7. Methap. à 33. vſque ad 44. Et 12. Methap. à 15. vſque ad 29. & apertius 10. Methap. 23. vbi eſt proprius locus talis materiæ. Nec eſt compoſitus ex ſubiecto, & accidente, quam compoſitionem poſuit Ariſt. in ante prædicam; in diuiſione illa, quadrimembri & 3. phiſ. dum docuit motum eſſe in mobili, & 2. de anima 37. dum dicit ſpeciem lapidis eſſe in anima, & 7. Methap. 1. dum ait. Accidentis eſſe eſt ineſſe. Nec eſt compoſitus ex poſitiuo, & priuatiuo. Idque innuit Ariſt. 12. Methap. 56. vbi docet omnia a primo dependere, & conſequenter non habere tantam perfectionem, ſicut prima intelligentia, & Auer. 3. de anima 36. vbi ait. Nulla Intelligentia, præter primam, eſt liberata à potentia. Nec eſt compoſitus ex partibus quantitatiuis, de quibus Ariſt. 6. Phiſ. à 1. vſque ad 24. vbi docet, quod continuum eſt diuiſibile in infinitum. Nec tandem eſt compoſitus compoſitione graduali, cuius mentionem fecit Ariſt. 2. Methaph. 4. vbi dicit. Ignis, quia calidiſſimus, ideo eſt cauſa caloris in alijs & 10. Methap. 22. & 23. & lib. de ſenſu, & ſenſato cap. de colore vbi docet, quomodo media ex extremis componuntur, & 4. cęli 26. & Calculator in tractatu de intenſione, & remiſſione. Scotus excludit 1. Q. 8. d. l. 1. à Deo primam & tertiam, & quintam compoſitiones. Quęſt. vero 2. eiuſdem 8. d. excludit quartam compoſitionem; ſecunda excluditur Q. illiuſmet 8. d. vbi dicitur. Deus non eſt in genere, conſequenterque nec compoſitus ex genere, & differentia. Vltima verò compoſitio cum dicat, vel præſupponat compoſitionem quantitatiuam, aut ſaltem ex ſubiecto, & accidente, ex-

cluſis

cluſis illis, excluditur iſta. His poſitis, inquam ad formam contrad. Deus, & ſi habeat in ſe plures realitates, ob id non eſt aliquo modo compoſitus. Nam ad compoſitioné non ſufficit in aliquo eſſe plura, at quod vnum ſe habeat vt contractum, & alterum, vt contractiuum, ſeu per modum actus,& potentiæ, quod nullo modo eſt in Deo. Nam Deus eſt quicquid habet, vt ait Aug. conſequenterque valde ſimplex.

2. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 8. Q. 1. ad B. dicit. Deus non eſt compoſitus ex materia & forma; nam talis cauſalitas præſupponit cauſam efficientem, quod non poteſt Deo conuenire. Oppoſitum huius habet Ariſt. 12. Meth. 39. vbi ſic ait. Dicimus autem Deum eſſe animal ſempiternum, & optimum, & 1. de anima, 8. dicit. Deus eſt animal cęleſte, & 8. Phiſ. 27 Motus cæli eſt naturaliſsimus per animam, & corpus, & Auer. 2. cæli a 11. Cælum eſſe animatum, quia habet differentiam poſitionis.

Lucas. Reſp. Scotus lib. 2. d. 15. Q. 1. ad iſtas, & conſimiles auctor. reſp. diſtinguendo de duplici anima aſſiſtente, & informante. In huncque modum cæli ſunt animati, quia Intelligentię eis aſſiſtunt; & Deus methaphoricè dicitur animal, quia omnibus viuentibus aſſiſtit.

3. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 8. Q. 1. ad A. dicit. Cauſalitas materiæ, & formæ non eſt ſimpliciter prima. Oppoſitum habet Ariſt. 2. Methaph. 5. 6. & 7. vbi probat deueniendum eſſe ad primum in genere cauſæ materialis, & in eodem lib. t. 10. & 11. Probat ſtatum in genere cauſæ materialis.

Lucas. Reſp. Cauſalitas materię, & formæ eſt prima in ſuo genere, non autem eſt prima, habita comparatione ad extrinſecam cauſalitatem, ideſt efficientem. Ob id Sco. ait. Non eſt ſimpliciter prima, ſed prima in ſuo genere.

4. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 8. Q. 1. ad B. vbi probat Deum non eſſe compoſitum ex materia, & forma, videtur deducere, quod quodlibet eſſentiale ſit perfectio ſimpliciter. Oppoſitum huius patet ex doctrina Scoti. Nam mouere, gubernare mundum, & ſimilia, ſunt eſſentialia, cum tribus conueniant, & tamen non ſunt perfectiones ſimpliciter, cum ſint tantum relationes rationis ex 30. d. 1. apud Scotum.

Lucas. Reſp. Perfectio ſimpliciter duobus modis poteſt capi, vno modo formaliter, alio modo pro ſubſtrato, ſeu fundamentaliter, certè mouere, creare &c, non ſunt perfectiones ſimpliciter formaliter, vt dicit Scotus 30. d. 1. ſed bene ſunt perfectiones ſimpliciter fundamentaliter.

5. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 8. Q. 1. a C. excludit omnem efficientiam à materia, & forma. Oppoſitum huius eſt dictum commune Philoſophorum; Actus eſt diſtinguere, ſeparare & c.

Lucas. Reſp. Formam efficere ſtat dupliciter, vno modo, vt propria actione vniat ſe materiæ, & id non poteſt fieri, vt dicit Scotus 8. d. 1. & lib. 4. d. 12. Q. 1. remouet Scotus actionem ab ipſa forma, imo titubat ponere reſpectum formæ ad materiam in prædicamento actionis, & d. 43. Q. 3. art. 3. Anima non poteſt ſe vnire corpori, corpore exiſtête diſpoſito, & anima exiſtente extra corpus, & derelicta naturalitate, & eadem d. Q. 5. addit, quod Angelus non poteſt id facere, ſed ſolus Deus, at non negat Scotus propriam vnionem formæ, quando eſt in materia, vt perficiat, ſeparet &c.

6. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 8. Q. 1. ad C. Materia de ſe eſt in potentia ad formam, & hæc paſſiua, & contradictionis. Oppoſitum huius habet Ariſt. 1. Phiſ. 61. vbi dicit. Materia ex natura ſua appetit formam. Quod à

Scoto lib. 4. d. 49. Q. 10. ſic exponitur. Inclinatur ad ſuam perfectionem, ſicut vniuerſaliter imperfectum ad ſuam perfectionem.

Lucas. Reſp. materia prima verè inclinatur ad formā naturaliter, vt dicit Ariſt. tamen eſt in potentia contradictionis, ad hanc, vel ad illam formam.

7. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 8. Q. 1. ad F. tenet Deum benedictum eſſe infinitum in efficacia, ſiue in vigore. Oppoſitum huius habet Ariſt. 1. Phiſ. 35. vbi dicit, Non datur infinitum ſecundum quantitatem, nec ſecundum formam, aut ſpeciem, vbi communiter gloſatur ſecundum formam, ideſt ſecundum intenſionem, ſeu perfectionem.

Lucas. Reſp. Clariſſimum eſt, in via Scoti, Deum benedictum eſſe infinitæ virtutis in entitate, & non tantum in duratione, vt ſentiunt Auerroiſtæ; de qua materia ſuperius egimus. At nunc addo (vltra ea quæ habet Scotus lib. 1. d. 2. Q. 1. & 7. Quol.) ex Ariſt. Quod Deus ſit infinitus in vigore. Nam infinitas molis eſt poſſibilis, vt patet in continuo, ergo, & infinitas virtutis: ſed ſi eſt poſſibilis, ergo ibi eſt, quia in diuinis non differt eſſe à poſſe 3. Phiſ. 32. Rurſus, ſecundo de generatione. Natura ſemper facit quod melius eſt, ſed infinitas intenſiua Deo non repugnat, ergo ibi eſt. Naturalis infinitas eſt in prima cauſa, qualis negatur in ſecundis cauſis, ſed in ſecundis cauſis ſolum negatur infinitas intenſiua, ergo ponitur in prima. Vlterius Ariſt. 9. Meth. 17. & 1. Cæli 12. dicit Omne ſempiternum eſt formaliter neceſſarium, ſicque ſi eſt actiuum, habet potentiam infinitam, non in duratione, vt cælum, ergo in entitate. Auer. 12. Meth. 45. ſic ait. Et diſſolutum eſt, quod iſte motus componitur, vt declaratum eſt ex duobus motoribus, quorum vnus eſt infinitæ motionis, & eſt anima exiſtens in eo, & alter eſt infinitæ motionis, & eſt potentia, quæ non eſt in materia, & 8. Phiſ. 79. Primus motor nec eſt finitus, nec infinitus, quia finitas, & infinitas tantum quantitati congruunt. Ex his igitur patet infinitudo intenſiua Dei benedicti. An autem ex proceſſu Ariſt. 12. Meth. poſſit conuinci, quod aliæ Intelligentiæ ſint infinitæ, ſicut prima. Conſule Ant. And. 12. Meth. Q. 3. in hoc multum ſingularem. Ad Ariſt. autem 1. Phiſ. dico, quod per li, ſecundum ſpeciem, non intellexit ſecundum intenſionem, at ſecundum qualitatem, & ibi vult, quod non datur infinitum in magnitudine, nec in qualitate: idque verum eſt, ſed non negat in Deo infinitudinem intenſiuam.

8. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 8. Q. 1. ad 1. Probans ex neceſſe eſſe ſimplicitatem Dei, ſic ait. Si primum ſit compoſitum, ſint componentia A. & B. Quero de A. ſi ſit formaliter ex ſe neceſſe eſſe, aut non, & concludit, ſi neceſſe eſſe, ergo erit bis neceſſe eſſe. Oppoſitū deducitur ſic ex doctrina Scoti pluribus in locis. Nam perſona ex Scoto conſtituitur ex Eſſentia & relatione, Quæro, aut hæc duo ſunt ex ſe neceſſe eſſe, aut poſſibilia eſſe, non poſſibilia, quia eſt hæreticum, ſi neceſſe, igitur componitur ex duobus neceſſe eſſe, & ſic erit perſona bis neceſſe eſſe, & tunc erit neceſſe ex aliquo, quo ſublato, non minus erit neceſſe eſſe, quod eſt falſum; & tamen admiſſo Sco. ad probandum ſimplicitatem Dei, neceſſario ſequitur, & id quod dictum eſt.

Lucas. Reſp. vigerius ad hanc difficultatem negat maiorem, quia perſona non componitur, & ideo ratio non concludit contra Scotum; ſed bene concludit contra eos, qui ponunt Deum eſſe compoſitum, & contra tales arguit Scotus 8. d. 1. Cum dicitur vlterius, aut ſunt ex neceſſe

eſſe

eſſe &c. Dico, quod Eſſentia eſt ex ſe neceſſe eſſe ſecundum ſuam rationem formalem, paternitas autem non eſt ex ſe neceſſe eſſe, ſed tantum ſecundũ identitatem. Nam relationes ſimpliciter, nec sũt formaliter, ſiuè ex ſe neceſſe eſſe infinitæ, nec finitę, ſed tantum identicæ. Si dicas igitur perſonæ, ſunt ex ſe non neceſſe eſſe. Dico quod huiuſmodi ſincathegoremata, per ſe, ex ſe, deſtruunt modum arguendi, nec poſſunt fieri contradictoria cum illis particulis. Inferes. Saltem Pater erit compoſitus ex his, quæ ſunt neceſſe eſſe ex ſe. Dico, quod præſuppoſitum eſt falſum, ſcilicet quod pater ſit compoſitus, ſed bene eſt conſtitutus ex neceſſe eſſe ſimpliciter, & ex neceſſe eſſe identicè. Et id ſufficit ad hoc, quod pater ſit neceſſe eſſe. Alij dicunt, quod Eſſentia, & paternitas non diſtinguuntur realiter, & etiam quod paternitas non eſt ex ſe formaliter neceſſe eſſe; licet aliqui dicant, quod quamuis paternitas ex ſe non ſit formaliter infinita, eſt tamen formaliter ex ſe neceſſe eſſe, ob id non ſequitur, quod pater ſit bis neceſſe eſſe, quia paternitas, & Eſſentia non diſtinguuntur realiter, & non ſequitur aliqua compoſitio, propter infinitudinem ipſius Eſſentiæ. Sed reſtat difficultas de attributis; ad quam ſic dicit Lichetus. Nam, & ſi attributa ſint formaliter neceſſe eſſe, tamen ipſis non exiſtentibus, per impoſſibile, adhuc Eſſentia eſſet neceſſe eſſe; ratio igitur cõcluderet cõtra Sco. ſi ipſa attributa eſſent rationes neceſſario eſſendi ipſi Deo, quod non eſt verum; imo & ſi ipſa attributa ſint formaliter neceſſe eſſe, originaliter tamen propter identitatem realem cum Eſſentia ſunt quoque neceſſe eſſe. At de his alibi ſat diximus.

9. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 8. Q. 1. ad G. dicit. Simplicitas eſt ſimpliciter perfectionis, ſecundum quod excludit componibilitatem, vel compoſitionem ex actu, & potentia. Oppoſitum huius patet ſic. Nulla negatio eſt perfectio, ſimpliciter, ſimplicitas eſt negatio formalis. Nam nihil aliud eſt, niſi negatio compoſitionis.

Lucas. Reſp. Negando quod ſimplicitas ſit tantum negatio compoſitionis: nam vltra negationem, dicit prius actum poſſitiuum, ſicut actualitas dicit gradum intrinſecum illius, cuius eſt poſitiuum, ita & ſimplicitas, & ſicut vnitas ex conſequenti dicit indiuiſionem à ſe, & diuiſionem à quolibet alio, tamen dicit aliquod poſitiuum, reſpectu entitatis cuius eſt vnitas; ita ſimplicitas licet ex conſequenti dicat negationem compoſitionis, dicit etiam poſitiuum reſpectu entitatis cuius eſt ſimplicitas. Dices. Nulla perfectio ſimpliciter in relatione ſaluatur; vt relatio eſt, ſimplicitas ſaluatur in relatione, vt relatio eſt, ergo &c. patet de relatione diuina. Reſp. Perfectio ſimpliciter, cui non repugnat infinitas intenſiua, neceſſario includit perfectionem, & excludit imperfectionem, & tantum poteſt competere ſuppoſitis entis quanti: idcircò ſi relatio ponatur ens non quantum, repugnabit ei omnis perfectio. His habitis. Dico, ſimplicitas ponitur ſub ente quanto, & eſt perfectio ſimpliciter, & ex ſua perfectione intrinſeca excludit omnem compoſitionem, & dum ait; relatio, vt relatio, eſt ſimplex. Id falſum eſt. Nam relatio in genere, & ſi non ſit compoſita ex re, & re, tamen ex realitate, & realitate, ſicut quælibet ſpecies ſic componitur. Admiſſo etiam, quod relatio ſit compoſita ex realitate, & realitate, eſt tamen alteri componibilis, & ſic non ſummè ſimplex, dato etiam, dici ſimplicem, non tamen illa ſimplicitate, de qua-

de qua loquimur in propoſito. Ad id de Paternitate in diuinis; dico, quod iſta non eſt ens quantum, & conſequenter non eſt ſimplex ſimplicitate includente ens quantum. Et nota; ſimplicitas negatiuè poteſt etiam materiæ conuenire, & excludit compoſitionem, non autem, vt excludit componibilitatem, quę eſt perfectio ſimpliciter; & ſimplicitas negatiuè non eſt perfectio ſimpliciter, ſed tantum poſitiuè capta, quæ, vt ſic eſt modus intrinſecus entis, & conuenit enti quanto, cui non repugnat infinitas formaliter. Hinc patet, quod relatio diuina eſt ſimplex tantum negatiuè, & non poſitiuè. Ideo dicentibus paternitas eſt ſimplex, & tamen non eſt formaliter perfectio ſimpliciter, Dicas, relatio diuina eſt ſimplex negatiuè, non autem poſitiuè, quæ requiritur ad perfectionem ſimpliciter: ſimplicitas autem in Deo, cum id includat poſitiuum, eſt perfectio ſimpliciter. Dices amplius. Nihil, quod diuiditur per quantum, & non quantum, eſt perfectio ſimpliciter, quia ens non quantum nullam imperfectionem includit, vt dicit Scotus 5. Quol. ſed ſimplicitas diuiditur in ſimplicitatem relatiuam, & abſolutam, & ſimplicitas relatiua dicitur non quanta, quia nullam imperfectionem includit, & precipuè relatio diuina, vt dicit Scotus pluries, ergo ſimplicitas non eſt perfectio ſimpliciter. Reſp. negando, quod ſimplicitas, de qua loquimur, ſit indifferens ad ens quantum, & non quantum. Et aduerte, quod non ſequitur, ſimplicitas eſt perfectio ſimpliciter, ergo quelibet ſimplicitas eſt perfectio ſimpliciter, nam entitas eſt perfectio ſimpliciter, cum ſibi non repugnet infinitas intenſiua, ergo quęlibet entitas eſt perfectio ſimpliciter, non ſequitur. Sufficit enim ad perfectionem ſimpliciter, quod poſſit reperiri in aliquo infinito formaliter. Sic dico in propoſito. Simplicitas eſt perfectio ſimpliciter, quia in aliquo eſt formaliter infinita, vt eſt ſimplicitas, quæ eſt modus intrinſecus Eſſentiæ diuinæ, & non eſt opus, quod quælibet ſimplicitas ſit ſic. Vnde per oppoſitum. Quare humanitatis non eſt perfectio ſimpliciter, quia in aliquo non poteſt reperiri formaliter infinita. Caue Franc. 8. d. 1. Q. 7. affirmantem ſimplicitatem negatiuam. At conſule eum d. 35. pr. ar. 1. circa diffinitionem perfectionis ſimpliciter, quia egregiè ſe habet, & Scotum non dimittit.

Octaua diſt. Quæſt. ſecunda, lib. primi.

1. *Iacobus.* SCOTVS lib. 1. d. 8. Q. 2. dicit. Omnis creatura eſt compoſita ad minus ex entitate, & ex priuatione alicuius gradus entitatis. Oppoſitum huius habet Scotus lib. 1. d. 5. Q. 2. vbi dicit. Relationem diuinam non eſſe compoſitam, tamen ex hoc dicto loco citato, videtur ſequi, quod paternitas in Deo ſit compoſita, ex entitate, & carentia alterius entitatis; patet, quia dicit aliquam entitatem, & carentiam alterius entitatis, cum non ſit formaliter infinita.

Lucas. Reſp. Paternitas diuina non eſt ſic compoſita, quia in ſe non eſt ens quantum, licet enim, in quantum ens, abſolutè non repugnet ſibi infinitas, vt gradus intrinſecus, & vt paternitas careat aliquo infinitate, non ca-

ca-

tamen dicetur componi ex ente, & tali carentia, cum paternitas, vt dixit, non dicat entitatem poſitiuam quantam. Rurſus. Scoti dictum poteſt etiam ſic exponi. Omne ens eſt compoſitum, quod includit aliquam entitatem poſitiuam, vt carentiam vlterioris perfectionis, idq; verum eſt, ſi illa entitas poſitiua non ſit in ſe infinita, nec alteri entitati formaliter infinitæ idem realiter. In propoſito, paternitas, & omnis relatio diuina, quamuis non dicat entitatem formaliter infinitam, dicit tamen entitatem realiter infinitam, cum realiter ſit Eſſentia. ſicq; etiam, in quantum ens, non eſt capax vlterioris perfectionis. Nam ex illa carentia, & actu ſequitur, quod non ſit compoſita, cum infinitum non poſſit excedi: nam realiter, aut formaliter infinita non eſt compoſita vllo modo. Dices, ſaltem, Eſſentia diuina erit compoſita ex entitate, & carentia, nam & ſi dicat entitatem formaliter infinitam tamen in quantum ens, non repugnat ſibi formaliter entitas lapidis, & tamen caret ea, ergo eſt compoſita ex entitate, & carentia alterius entitatis, quod eſt falſum, nihilominus ſequitur ex dicto Scoti. Reſp. quamuis Eſſentia diuina careat realiter, & formaliter perfectione lapidis, quia non eſt formaliter, aut realiter lapis, non tamen caret aliqua perfectione entis, vt ens, cum ſit formaliter, & realiter infinita, & non poſſit vlterius perfeci, & eminenter includit omnem perfectionem lapidis, & vniuſcuiuſque entis finiti, & limitati.

2. *Iacobus*. Scotus lib. 1. d. 6. Q. 2. ad A. dicit; quicquid enim eſt ens, & caret aliqua perfectione entis, eſt ſimpliciter poſſibile, & terminus potentię ſimpliciter. Oppoſitum huius ſic apparet. Nam multa ſunt entia, quæ carent aliqua perfectione entis, & tamen non ſunt formaliter obiectum potentiæ ſimpliciter, & poſſibilia, patet quia relatio creaturæ ad Deum caret aliqua perfectione entis, & tamen non eſt obiectum potentię productiuæ, quoniam nullam per ſe terminat productionem cum in ad aliquid non ſit motus ex 5. Phiſ. 11.

Lucas. Reſp. Scoti dictum 8. pr. ſic intelligitur, quod omne, ſcilicet tale, vel eſt per ſe obiectum potentiæ cauſatiuæ, ſiue per ſe terminus alicuius productionis, vel de neceſſitate concomitatur aliquid, quod eſt per ſe terminus. ſicque licet relatio creaturæ ad Deum non poſſit eſſe per ſe terminus alicuius productionis, de neceſſitate tamen concomitatur ſuum fundamentum, quod verè creatur, & quod eſt verè obiectum potentiæ ſimpliciter, & quod dico de relationibus creaturæ ad Deum, dico de quocunque alio, quod eſt in creaturis. Dices. Scoti dictum ſuperius iam citatum. Carens aliquo gradu entis ſimpliciter eſt poſſibile, non videtur verum. Tum, Ideæ in mente diuina ſunt huiuſmodi, & tamen non ſunt poſſibiles, nec etiam ſunt reſpectu alicuius poſſibilis, vt docet Scotus 30. pr. Tum, omnia etiam, quæ producuntur ab actu intellectus diuini, loquendo de productione ad extra, & vt producuntur ante omnem actum voluntatis diuinæ ad extra, ſunt neceſſaria, & nullo modo poſſibilia, vt ait Scotus lib. 1. d. 3. Q. 4. Reſp. Scotus tantum intelligit de entibus, quo ad eſſe exiſtentiæ, non autem quo ad eſſe ſecundum, quid, & talia ſunt Ideæ, cum ſint tantum obiecta ſecundaria intellectus diuini habentia tantum eſſe cognitum, vt ait Scotus d. 39. 1. lib.

3. *Iacobus*. Scotus lib. 1. d. 8. Q. 1. ad A. dicit. Ad iſtam etiam ſequitur compoſitio actus, & potentiæ obiectiuæ, vbi videtur Scotus potentiam obiecti-

uam componere cum actu. Oppoſitum huius patet ex 7. d. 1. Scoti; nam potentia obiectiua eſt diuiſiua entis contra actum entitatiuum, ergo non videtur componi cum actu entitatiuo.

Lucas. Reſp. Scotus non intelligit componere potentiam obiectiuam cum actu entitatiuo ſimpliciter, & ſic ſunt oppoſita in diuiſione entis. At ſic debet intelligi Scoti dictum, quod eſt compoſitio actus cum carentia ſummæ actualitatis, quæ dicitur à Scoto, potentia: vt ergo habeam calíditatem, vt quatuor, & nunquam habeam eam in gradu intenſiori, tunc habeo compoſitionem ex actu horum graduum, & potentia obiectiua aliorum quatuor. quos nunquam habebo, ſicque non componitur aliqua res ex entitate, & potentia obiectiua eiuſdem entitatis, vt aliqui putant, Nec res componitur ex actu præſente, & potentia obiectiua præterita, nec componitur res ex actu, & potentia futura obiectiua, vt quidam admiſerunt, ſed eſt compoſita ex actu entitatis habitę, & potentia entitatis non habitæ. Dices. Vltima differentia non videtur compoſita ex poſitiuo, & priuatiuo, quia ratione ſui non eſt capax alicuius perfectionis, nec ratione entis etiam, quia non includit ens quidditatiuè. Reſp. Scoti dictum debet intelligi de his, quæ quidditatiuè includunt ens, cuiuſmodi non ſunt vltimę differentię. Vel (vt dicunt aliqui) vltima differentia caret aliqua perfectione, non ratione ſui, quia quidditatiuè non includit ens, ſed ratione alicuius, cui eſt idem realiter, vt rationale, quod eſt idem realiter homini, & animæ. Prior autem reſponſio eſt melior. At nota, quod tales vltimę differentiæ non ſunt propriè creaturę, nec propriè ſubſtantiæ, nec propriè ens, ſed ſunt aliquid entis.

4\. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 8. Q. 2. ad F. dicit. Primis duobus modis relatio capientis, & capti, poteſt concedi realis; tertio vero modo eſt rationis. Oppoſitum habet Scotus ibi parum ſuperius, vbi in primo exemplificauit de homine, & de animali, inter quæ non eſt diſtinctio realis.

Lucas. Reſp. Solutio ex verbis illis Scoti haberi poteſt, vbi ait. Poteſt concedi ex quo non loquitur aſſertiuè. Vel dicas, quod eſt realis reſpectiuè, quia non eſt ita purè rationis, ſicut illa, quæ eſt in tertio modo, & quando pars capti eſt ipſum totum capiens, quia in duobus primis modis ſunt duæ conditiones requiſitæ ad relationem realem, ſed non in tertio modo, quia extrema non ſunt realia, ſcilicet natura, & ſuppoſitum, cum ſuppoſitum ſit duplex negatio, nec conſequenter, realiter diſtinguuntur, cum diſtinctio realis requirat extrema poſitiua, nec exurgit ex natura extremorum, & ſic eſt purè rationis. Aut tandem dic, quod Scotus 8. d. 1. Q. 2. loquutus eſt communiter, cum non ſit locus talis materiæ determinandæ. Per idem reſpondere poteris: ſi formetur difficultas in ſecundo modo accipiendi partem, vt quando pars capti eſt pars capientis, vt ſi homo tantum caperet partem animalis, tunc pars capti eſſet pars capientis. Vel homo capit totum animal, in quantum animal eſt totum eſſentiale, & non in quantum animal eſt totum vniuerſale, quæ ſunt exempla Vigerij, & Ioa. montis. Notandum, quod creatura dupliciter dicitur ens per participationem effectiuè, in quantum efficitur à Deo, & formaliter, in quantum eſt in ea ipſum ens formaliter, & multa alia, quę etiam ſunt formaliter in Deo, & ſic omne participans habet participatum pro cauſa, vt ait Sco. l. 1. d. 1. Q. 4.

Octaua diſt. Quæſt. tertia lib. primi.

1. *Iacobus.* SCOTVS lib. 1. d. 8. Q. 3. dicit. Deus, vel aliquid dictum formaliter de Deo, non eſt in genere. Oppoſitum huius habet Damaſcenus in Elementario, vbi dicit. Deum ſubſtantiam, & in pluribus locis ſuæ doctrinæ multa dicit, quæ videntur innuere Deum eſſe in genere.

Lucas. Reſp. Genus, vt ad præſens ſpectat, eſt triplex, Logicum. Phiſ. & Meth. in nulloque horum eſt Deus, formaliter loquendo, materialiter verò in ſcriptura eſt in prædicamento ſubſtantiæ, in voce, aut in intellectu, eſt in prædicamento qualitatis. Reuera autem Deus, nec aliquid dictũ formaliter de Deo eſt in genere. Ad Damaſcenum autem reſp. Per verbum illud in elementario cap. 8. quo ſoluit omnia videntia dicere Deum in genere. Ait enim ſic ibi. Subſtantia, quæ continet ſuperſubſtantialiter increatam Deitatem cognoſcibiliter autem, & contentiuè omnem creaturam, generaliſſimum genus, non igitur dicit. Subſtantiam, quæ eſt generaliſſimum, continere contentiuè Deitatem, ſicut continet creaturam, ſed ſuperſubſtantialiter, hoc eſt accipiendo illud quod eſt perfectionis in ſubſtantia, quę eſt genus, & relinquendo illud, quod eſt imperfectionis, vt docet Auicen. 9. Meth. Deum eſſe ens per ſe.

2. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 8. Q. 3. reſp. ad 1. arg. Henr. dicit. Nam omnia per ſe diuidentia aliquod commune vt ſunt talia, de iſtis dicuntur extrema contradictionis, & tamen vniuocantur in ipſo diuiſo. Oppoſitum apparet ſic. Nam ens diuiſum non dicitur vniuocè de differentijs vltimis, quo modo igitur diuiſa vniuocantur in ipſo diuiſo?

Lucas. Reſp. Scoti dictum, quod extrema contradictionis vniuocantur in diuiſo, verum eſt, & ſufficit, quod tale diuiſum prædicetur vniuocè, aut ſit prędicatum vniuocum. Tunc; & ſi ens diuiſum vniuocè de differentijs vltimis non prædicetur, ſufficit ad hoc, quod vniuocentur, quod ſit prædicatum vniuocum.

3. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 8. Q. 3. reſp. ad 2. arg. Henr. dicit. Deus eſt alius à creatura, ſeu diuerſus in realitate. Oppoſitum ſequitur ad multa dicta Scoti ex iſto dicto. Nam Scotus ait, quod alietas, ſeu diuerſitas in Deo non eſt relatio realis, & tamen ſi Deus eſt alius, ſeu diuerſus à creatura, extrema hęc, ſcilicet Deus, & creatura ſunt realia, & conſequenter relatio illa alietatis erit realis.

Lucas. Reſp. Id certum eſt, quod nulla alietas, ſeu diuerſitas in Deo eſt relatio realis, ſed tantum relationis, & licet fundamenta ſint realia, ob id non ſequitur, quod relatio debeat eſſe realis in Deo. Nam, vltra extrema realia, requiritur ad relationẽ realem mutua coexigentia extremorũ, quæ in Deo eſſe non poteſt. Nullum enim neceſſarium ſimpliciter coexigit contingens, nec quo ad eſſe, nec quo ad aliquid ſui. Dices, diuerſitas eſt relatio æquiparantiæ, ergo eſt de primo modo relatiuorũ; At omnis talis eſt realis in vtroque extremo, & mutua, ergo diuerſitas in Deo erit realis, & mutua relatio. Reſp. concedo antecedens, & nego vltimam conſequentiam, quia non tenet, niſi vbi vtrunque ex-

tremum eſt finitum, & vnum coexigit aliud ad ſuum modum referendi; cum itaque Deus nullo modo poſſit coexigere creaturam, niſi de tertio modo relatiuorum, & ſic diuerſitas creaturę ad Deum, & econtra, eſt de tertio modo. Similiter dicendum eſt de relationibus cauſalitatis, quæ Deo attribuuntur reſpectu creaturæ. Dicitur enim cauſa prima reſpectu creaturæ, & omnes tales ſunt tertij modi in Deo, quamuis ſint ſecundi modi in creaturis, & breuiter. Hæc ſit regula generalis. Omnis relatio creaturæ ad Deum, quia non eſt mutua, eſt in tertio modo relatiuorum,

4. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 8. Q. 3; reſp. ad 3. arg. Henr. dicit. Homo non eſt perfectior quam aſinus, ſed perfectius animal. Idque poteſt firmari ex dicto. Auer. 12. Meth. 2. Prioritas inuenitur in eodem genere, & in diuerſis generibus, quæ dicuntur reſpectu eiuſdem rei. Et per dictum Ariſt. 5. Meth. 10. Species ſe habent ſicut numeri. Et ordo ſpecierum patet ex Ariſt. 2. Meth. 11. Oppoſitum huius habet Scotus Q. 16. vniuerſalium. vbi dicit. Intenſiuè totum animal eſt in homine, & ita in alijs ſpeciebus, ergo videtur, quod homo non ſit perfectius animal quam aſinus.

Lucas. Reſp. Homo non eſt perfectius animal, quam aſinus in ratione animalis, ſed bene in ratione vltimæ differentiæ contrahentis ipſum animal. Aliqui tamen dicunt ad hoc, quod homo eſt perfectius animal, quam aſinus, ſi animal capiatur ratione ſignati, ſeu ſignabilis, ſed non ſi capiatur ratione ſigni.

5. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 8. Q. 3. reſp. ad 3. arg. Henr. dicit. Omnis comparatio eſt in aliqualiter vniuoco, & ſimpliciter comparatio ſit in ſimpliciter vniuoco, ſcilicet in ſpecie ſpecialiſſima. Oppoſitum huius patet ex Scoto, & ex Philoſophis multis in locis. Nam comparatio fit in aliquo quod ſuſcipit magis, & minus, at ſpecies ſpecialiſſima de prædicam; ſubſtantiæ non participiatur a ſuis indiuiduis, ſecundum magis, & minus, ergo in ea non fit comparatio.

Lucas. Reſp. Comparatio fit in ſpecie reſpectu alicuius accidentis exiſtētis in indiuiduo eiuſdē ſpeciei, non autem fit reſpectu ſpeciei, ſeu ſubſtantiæ. Vel fit comparatio inter indiuidua eiuſdem accidentis, ſi verò teneatur quod ſubſtantia ſuſcipiat magis,& minus,vt tenet Ant. And. 11. Meth. Q. vn. tunc ceſſat difficultas, & ſic poterit reſponderi ad Ariſt. in prædicam. dicentem ſubſtantiam non ſuſcipere magis, & minus, & ad dictum Coment. qui tenet, quod ſubſtantiæ perfectæ non ſuſcipiant magis,nec minus, poterit ſic reſponderi, quod ſubſtantia non ſuſcipiat magis, & minus, eo modo quo ſuſcipiunt accidentia magis, & minus, quia ſubſtantia tantum ſuſcipit in fieri, & non in facto eſſe. Nam, poſtquam poſita eſt in eſſe, non ſuſcepit magis, & minus. Accidentia verò, & in fieri, & in facto eſſe, ſuſcipiunt magis, & minus. Circa id, quid tenendum eſt in via Scoti? Vnquam reperi id à Scoto determinatum, & puto eum, vt peripateticum, tenuiſſe partem Ariſt.

6. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 8. Q. 3. reſp. ad quoddam dictum Aug. conductum ab Henr. in probatione ſuæ opinionis. dicit. Et tunc per hoc. quod dicitur per ſe, contrahitur bonum, quod erat commune, & fit proprium Deo, & iſti inhærendo per fruitionem eſt beatitudo, quæ naturaliter habetur. Oppoſitum huius habet Scotus lib. 4. d. 49. in materia de beatitudine, & Q. 1. Prol. vbi vult beatitudinem non poſſe naturaliter haberi.

Lucas. Reſp. Beatitudo eſt in duplici differentia, vna naturalis, altera credita; naturalis eſt duplex, in communi, & in particulari; de fęlicitate in communi loquitur Ariſt. 1. Ethic. cap. 13. vbi ſic eam diffinit. Beatitudo, cum ſit ſummum bonum, & operatio hominis ſecundum virtutem; De fęlicitate in particulari loquitur Ariſt. 10. Ethic. c. 10. vbi ponit fælicitatem in ſpeculatione ſubſtantiarum abſtractarum: & de his fælicitatibus, quæ ſunt naturaliter, loquitur Sco. lib. 1. Fælicitas autem credita etiam eſt duplex, in patria, ſcilicet, & in via; fęlicitas autem credita in via eſt, dum anima eſt informata habitu fidei, ſpei, & charitatis, alijſque virtutibus. Hancque ſic deſcribit Aug. lib. de vita beata. Vita beata eſt facere quæcunque vult Deus eum facere, bene viuere, & immundum ſpiritum non habere: fælicitas patriæ ſic deſcribitur ab Aug. 3. de Trin. cap. 5. Beatus eſt, qui habet quicquid vult, & vltra hoc nihil vult, quod declaratur à Scoto lib. 4. d. 49. Q. 1. & 3. & lib. 1. d. Q. 4. & alibi ſępe. Hanc etiam definit Boet. 3. de Conſol. Beatitudo eſt ſtatus omnium bonorum aggregatione perfectus. Et Scotus lib. 4. d. 49. Q. 1. Beatitudo eſt ſummum bonum, ſufficiens. excludens omnem imperfectionem, indigentiam, & defectum; iſtaque beatitudo naturaliter haberi nequit. vt ait Scotus lib. 4. & 1. Prol. Q. At dubiũ emergit. An beatitudo viæ credita, & beatitudo patriæ ſint eiuſdem ſpeciei? Reſp. quamuis Scotus lib. 4. d. 49. Q. 5. videatur circa hoc problematicus, tamen declinat ad hanc partem, quod ſint diſtinctæ ſpecie: tanquam probabiliorem, & addit. Et ſi eadem ſit potentia, & obiectum, ſola tamen approximatio facit actus ſpecie diſtinctos. Idq; expreſſe habet Scotus lib. 2. d. 26. & 2. Meth. Q. 3. & clarius lib. 3. d. 13. vbi egregiè habet, quomodo, ſtante identitate potentiæ, & obiecti, ſola diuerſa approximatio facit differre ſpecie, & ita eſt tenendum in via Scoti, ſcilicet, quod differant ſpecie. Dices. Scotus lib. 1. d. 3. Q. 7. ait. Intellectio diſtincta, & confuſa albi ſunt eiuſdem rationis. Dico, ſunt eiuſdem rationis obiectiualis, ſed non ſunt eiuſdem rationis ſimpliciter. Aut dic. Scotum loqui ad hominem, vel cum li, videtur.

7. *Iacobus*. Scotus lib. 1. d. 8. Q. 3. ad Aug. auct. reſp. pro Henr. ait. Conceptus bonitatis eſt perfectiſſimus, quem poſſumus habere in via, concipiendo Deum naturaliter. Oppoſitum huius habet Sco. 3. prol. 9. & d. 3. lib. 1. Q. 2. vbi vult perfectiſſimum conceptum de Deo naturalem eſſe entis infiniti.

Lucas. Reſp. Vigerius quintupliciter huic difficultati ſatisfacit. Primo. Conceptus boni eſt perfectiſſimus poſt infinitatem. Secundo, Conceptus boni eſt perfectimus inter attributales, infinitas autem non eſt attributum, ſed modus intrinſecus. Tertio Scotus 3. prol. loquitur de conceptibus ſimplicibus, inter quos conceptus entis infiniti eſt perefectiſſimus. At 8. d. 1. loquitur de complexis, inter quos conceptus boni eſt perfectiſſimus. Quarto, dictum Scoti 8. d. 1. eſt verum de intellectu practico, & non de intellectu ſpeculatiuo, quia prima notitia practica, in quantum dirigit in opus, eſt circumſtantionata circumſtantia finis, cuius ratio eſt bonitas. Quinto, Conceptus boni eſt perfectiſſimus; verum eſt, vt bonum per ſe idem eſt, quod ens infinitum, quia eſt ens independens, & ens per eſſentiam, & capitur, non vt eſt paſſio entis, & attributum, ſed pro bonitate eſſentiali, quæ eſt infinitas. Adde, &

Sexto

Sexto Sco. dictum d.8.1. habet veritatem inductione, quam facit Aug. Nam in diſcurſu illo eſt manifeſtum, quod perfectiſſimus conceptus, qui poſſit haberi, eſt conceptus boni. Tandem poteſt reſponderi ex illo verbo Scoti, in littera d. 8. 1. ſcilicet li naturaliter, bene ponderato. Nam bonitas Dei eſt conceptus naturalis, vniuerſaliter ab omnibus in Deo conceſſus, ſed non ſic eſt de infinitate, quia Occam, & plures alij in via Philoſophi tenentes Deum finiti vigoris, dicunt infinitatem eſſe creditam. Itaq; dico, quod Sco. 8. d. 1. loquitur inter conceptus naturales, naturaliter ab omnibus conceſſos.

8. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 8. Q. 3. ad E dicit. Opportet dicere, quod ratio entis ſit ratio ſubiecti, dicitur enim de vtriſque in quid, & ita erit vniuocum vtroque modo. Oppoſitum huius videtur, quod ſcilicet hęc conſequentia non valeat. Eſt prædicatum in quid, ergo eſt vniuocum. Nam Scotus 4. Methap. Q. 1. & 4. Q. Prædic. & Franc. in prol. aiunt, quod ſtat aliquod prædicatum eſſe æquiuocum, & tamen prædicari in quid.

Lucas. Reſp. Vig. inquit, quando æquiuocum prædicatur in quid; ſumitur pro ſignificato ſubiecti, & eſt eiuſdem de ſe ipſo prędicatum, vt aſſerrentes ens eſſe ęquiuocum, ad ſubſtantiam, & ad accidens. Si dicatur, quod hæc ſit in quid. Subſtantia eſt ens, intelligitur, vt ens ſupponit pro ſubſtantia, quando autem dicitur, canis latrabilis eſt canis, eſt in quid, non vt ſupponit pro voce æquiuoca, ſed vt ſupponit pro ſignificato ſubiecti. Sco. 8. 1. intelligit conſequentiam de prædicato ſupperioris reſpectu inferiorum, quia talis conceptus eſt alius, & includitur eſſentialiter in illis inferioribus, ergo eſt prędicatum in quid propriè loquendo. At melius. Scotus in logicis, & Methap. loquitur ſæpe communiter, & non eſt accipienda ab illis facultatibus determinatio.

9. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 8. Q. 3. in initio contra Henr. ait eſſe ponendum conceptũ vniuocũ de multis. Oppoſitũ huius habet Ariſt. 4. Meth. 4. vbi dicit. Statim enim genera exiſtentium habentia ens, & vnum, ergo non habent aliquid de quibus dicantur vniuocè.

Lucas. Reſp. Dictum Ariſt. ſic exponitur à Scoto in editione in Methaph. ſtatim enim exiſtunt &c. ideſt æqualiter ſe habent ad omnes ſubſtantias, & iſta gloſula iam nihil eſt contra nos. Dicitur ſecundo, quod litera illa male iacet, & ſi bene iaceret, nihil faceret in nos, quod malè iaceat, patet. Quoniam litera Auer. ſic habet. Cuius prima genera ſunt ens & vnum. Beſſarion ſic legit. Sunt autem ſubinde habentia genera ipſum vnum, & ens. Sic Arigiropolus. Nam vnum ipſum, & id quod eſt, genera habent continuò, & ita poteris ex his nouis translationibus reſpondere. Dicitur tertio, quod ſunt ſtatim genera in reſpectiuo ſermone, quia ibi non ſunt tot contractiua, ſicut ſunt, ſi ens, & vnum debent deſcendere in genera ſubalterna, & in ſpeciebus ſpecialiſſimis. Dicitur tandem. Sunt ſtatim, ideſt non deſcendunt per differentias eo modo, quo genus in ſuas ſpecies deſcendit: iſtumque modum innuit Scotus in expoſitione illius tex. vlt. 8. Methap. Dices. Ariſt. 8. Metha. t. vlt. ait Intelligentiæ ſunt ſtatim ens, & vnum, ideſt habent id quod ſunt, ſicut ens eſt ſtatim aliquod prædicamentorum. Reſp. Auer. ſic dicit in com, quod, li, ſtatim, capitur tranſumptiuè, ita quod ipſæ Intelligentiæ ſunt ſtatim ens, & vnum, ideſt non ſunt ſicut compoſita ex materia, & forma, quia Intelligentiæ non habent cauſam aliam a ſe, vt ſint ens, & vnum: hoc quidem, & clarius ait Scotus in expoſitione

tione illius textus. Dices amplius Ariſt. 12. Meth. t. 19. habet hæc verba formalia. Extra ſubſtantiam, & alia prædicamenta nihil eſt commune. Reſp. Retulit id Ariſt. arguitiuè, & non ex intentione, vt ibi videre eſt ex proceſſu literæ. Vel dic quod loquitur de principijs propinquis, & ſic extra prædicamenta nihil eſt, ſcilicet, quod poſſit eſſe tale principium propinquum, eſtq; ſolutio iſta Auer. 12. Meth. com. 22. & Scoti exponentis locum illum. Dices adhuc. Si ens eſſet vniuocum, tunc non eſſet immediata illa propoſitio, in qua vnum genus negatur ab alio, quod eſt contra Ariſt. 1. Poſt. Triplicem reſponſionem affero. Prima eſt, quod Ariſt. loquitur de medio, quod eſt diffinitio. Secunda eſt, quod Ariſt. loquitur exemplariter. Tertia eſt, quod loquitur conditionaliter, vt patet ibi in textu ſuo. Finaliter dices. Nihil prædicatur in quid de aggregato per accidens, vt ait Scotus lib. 3. d. 22. ſed creatura eſt ens per accidens, cum includat relationem, & fundamentũ. Diſtinguas de creatura, pro fundamento, pro formali, & por aggregato.

10. *Iacobus.* Scotu lib. 1. d. 8. Q. 3. verſus principium, citans dictum Aug. 7. de Trin. cap. 4. Omnis res ad ſe ſubſiſtit, quanto magis Deus, ſic exponit, li ſubſiſtit, ideſt exiſtit. Oppoſitum huius patet de relatione, quæ in via Scoti, & Phil. non exiſtit.

Lucas. Reſp. Dictum Aug. eſt verum de creatura, quæ per ſe, & primo poteſt eſſe terminus creationis, cuiuſmodi non ſunt relationes. Aut dic, quod relationes in ſe habent formaliter exiſtentiam, ideſt, quod reſpectus ad Deum non eſt formalis ratio, nec exiſtentiæ, vt volebat Henr. & tunc verba Scoti verificantur 3. Q. 8. d. 1. cum dicit. Si idem accipiatur in præmiſſa, & concluſione, ideſt ſi exiſtentia accipiatur in præmiſſa pro exiſtentia, quæ conuenit creaturæ, vt refertur ad Deum ſub ratione exiſtentis.

11. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 8. Q. 3. circa principium dicit contra Henr. Relatio in creatura habet in virtute ſua cauſare cõceptus relationis ſibi correſpõdentis. Oppoſitum huius apparet ex doctrina Scoti. Nam relatio realis, nec relatio intentionalis vllam habet actiuitatem, nec realem, nec intentionalem.

Lucas. Reſp. Dum Scotus dicit. Relatio habet virtutem cauſandi, non vult, vt propria virtute, id ſibi conueniat, ſed id facit virtute fundamenti. Vel dic. Scotum arguitiuè ibi ſe habere contra Henr. ſic affirmantem, & dicentem.

12. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 8. Q. 3. arguendo contra Henr. in principio dicit. Relatio Dei ad creaturam, quæ eſt tantum rationis, non includit in ſe Eſſentiam diuinam, quam tamen Eſſentiam, vel perfectionem abſolutam oportet ponere eſſe fundamentum relationis Dei ad creaturam. Oppoſitum huius patet ſic pluribus locis a Scoto. Nam relatio Dei, ſub ratione potentiæ cauſatiuæ, ad creaturam cauſatam fundatur in volũtate diuina, & non in Eſſentia.

Lucas. Reſp. Relatio cauſæ finalis fundatur in Eſſentia, ſub ratione bonitatis infinitæ. Relatio verò potentiæ cauſalitatis effectiuæ, fundatur in voluntate, vt in tribus. Relatio autem cauſæ exemplaris in Eſſentia, vt includit intellectum. Relatio verò primi in eminentia in Eſſentia abſolutè accepta. Tunc ad difficultatem dico. Relatio cauſalitatis fundatur in voluntate, idque explicat Scotus dum ait. Quam tamen Eſ-

ſentiam

ſentiam, vel perfectionem abſolutam. Oportet ponere fundamentum; loquitur enim diſiunctiuè, & per li, perfectionem abſolutam intelligit voluntatem, quæ fundamentum eſt potentiæ ipſarum relationum in creatura.

13. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 8. Q. 3. contra reſp. Henr. ad Achilem Scotiſtarum dicit, loquendo de modis ſignificandi Logicis) ſic Logicales, vt pænès quoſcunque modos conſiderandi diuerſos, ſicut pænès vniuerſale, & partilare, vel pænès explicitè, vel implicitè, explicitè, ſicut diffinitio, implicite ſicut diffinitum exprimit, & addit huiuſmodi modos tantũ differre ratione. Oppoſitum huius habet Scotus lib. 1. d. 2. Q. 2. vbi vult quod diffinitio, & diffinitum, non ſolum differunt pænès modos, qui ſunt ab intellectu, ſed etiam ex natura rei.

Lucas. Reſp. Diffinitio, & diffinitum biſariam conſiderantur, primo pro materiali, ſeu in fundamento, ſicque differunt ex natura rei, alio modo cõſiderantur, pro formali, & ſic tantum differunt ratione, vel in gradu ſecundo diſtinctionis rationis. De modis ſignif. gram. & log. vide 16. Q. Vniuerſalium Scoto.

14. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 8. Q. 3. circa finem impugnationis Henr. pertractans dictum Dion. de diu. nom. tenet, quod negatio præſupponit poſitiuum. ait, In tertio gradu non ſtatur in ſola negatione, ſed in aliquo poſitiuo conceptu à creatura accepto, cui attribuitur illa negatio. Oppoſitum huius habet Scotus lib. 3. d. 1. Q. 1, & 19. Quol. vbi dicit, quod aliud eſt negatio ſine affirmatione oppoſita ſibi correſpondente.

Lucas. Reſp. Negatio conſideratur dupliciter, aut ſimpliciter, aut ſecundum quid, ſimpliciter negatio eſt illa, quæ importat tres negationes, aptitudinalem, potentialem, & actualem, hæcque negatio non poteſt inesse alicui, niſi per aliquod poſitiuum: de iſta loquitur Scotus 8. d. 1. Negatio ſecundum quid, quę tantum importat duas ex illis tribus negationibus, vt eſt negatio ſuppoſitiua, poteſt ineſſe, imo neceſſario ineſt ſine aliquo ſuppoſito, quod neget, vt docet Scotus lib. 3. d. 1. vel dicas, quod eſt verum de negatione extra genus, quod non ſupponit aliquod poſitium, ſed bene de negatione in genere.

15. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 8. Q. 3. verſus finem impugn. Henr. tenet, quod Deus cognoſcitur ſub ratione cauſę proportionabiliter ex creaturis. Oppoſitum huius habet Scotus lib. 1. d. 3. Q. 1. ad C. vbi dicit. Diſcurſus præſupponit notitiam ſimplicem illius, à quo diſcurritur, & id non videtur conforme dictis Sco. mox citatis, vbi ex creatura diſcurrimus ad Deum, qui non cognoſcitur, ſed fit cognitus ex creatura cognita, ſicut Ariſt. 8. Phiſ. in princ. ex æternitate motus arguit æternitatem Motoris.

Lucas. Reſp. Dictum Sco. 3. 1. ibidem eſt verum, quia nunquam probamus ex eſſe effectus cauſam eſſe, niſi prius naturaliter cognoſcamus ſaltem quid nominis cauſæ. Dices. Cognitio, quid eſt ſupponit cognitionem ſi eſt, quomodo ergo ſcimus quid eſt, ignorato ſi eſt? Reſp. Si eſt, vt dicit aptitudinem bene pręſupponitur ad quid eſt, at non præſupponitur, vt dicit actualem exiſtentiam. Aut dic. Et ſi etiam, ſi eſt præcedat quid rei, non tamen præcedit quid nominis, & maximè quando ſi eſt, dicit tantum aptitudinem. Pro differentia ſi eſt, vt dicit aptitudinem, & vt dicit exiſtentiam conſule Scotũ lib. 4. d. 1. Q. 2. art. 2.

16. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 8. Q. 3. in fine impugnationis Henr. dicit (tractans dictum Ariſt. 2. Meth. Principia ſempiternorum eſſe veriſſima) quod Ariſto. probat per exemplum de igne, qui eſt cauſa cæteris vniuoca in iſtis inferioribus. Oppoſitum huius habet Sco. lib. 2. d. 15. & Auer. 12. Metha. com. 18. citans Ariſt. lib. de animalibus dicentem, quod calor ignis non eſt calor, qui eſt in ſemine, quoniam calor ignis facit ad calefactionem, & ad deſiccationem, non autem ad formam animatam, & quod ignis corrumpit animalia, & non generat, & ideo talis calor non eſt ignis, nec igneus, hoc ergo ſtante, quomodo poteſt eſſe ignis cauſa caloris vniuoca in iſtis inferioribus?

Lucas. Reſp. Vigerius ait, quod ignis in ſphera ſua calidiſſimus eſt cauſa caloris in alijs ignibus inferioribus, at hæc expoſitio non eſt ad propoſitum textus. Nam ſicut comparat Philoſophus Deum ad iſta inferiora, quæ ſunt alterius rationis, ita eſt de exemplo ignis ibi poſito. Etiam Auer. in com. ait. Ignis eſt cauſa in rebus calidis, ideo eſt magis dignus habere hoc nomen, calidum, & eius intenſionem, quam omnia calida. Ex quo dicitur ad dubium, quod ignis poteſt calefacere animal calore eiuſdem rationis cum ſuo, ita enim calefacit animal, ſicut lapidem, ſi iuxta ignem ponatur.

17. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 8. Q. 3. ad V. (citans dictum Boetij lib. de Trin. cap. 12.) dicit. Eſſentia continet vnitatem, & relatio multiplicat Trinitatem, quia relationes competunt perſonis, vt ſunt, quibus conſtituuntur in eſſe perſonali. Oppoſitum huius habet Scotus lib. 1. d. 4. Q. 2. in corp. quæſt. Nam creatio eſt formaliter relatio, & competit Deo ratione ſingularis Deitatis, vt hæc ſit vera. Deus creat. pro ſingulari Deitatis.

Lucas. Reſp. Vera eſt ſententia Boetij iam citata, quod relatio multiplicat Trinitatem. At duplex eſt relatio, ad intra propria, vt paternitas, generatio, proceſſio actiua, & paſſiua, & ſimilia. De hac loquitur Boetius. Altera eſt relatio ad extra, & communis, vt creatio, iuſtificatio, redemptio &c. De his non intelligitur dictum Boetij.

18. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 8. Q. 3. ad X. tenet, quod eſt grandis differentia inter cõpoſitum ex re, & re, & realitate, & realitate. Oppoſitum habet lib. 4. d. 4. Q. 3. ſolu. princ. vbi habet hæc verba. Nec oportet exponere res per realitates, & formalitates, quia ſimilis eſſet diſtinctio rei, & rei, ſicut realitatis, & realitatis, & formalitatis, & formalitatis.

Lucas. Reſp. Res capitur dupliciter, ſimpliciter, & ſic eſt differẽtia inter rẽ, & rẽ, realitatem, & realitatem, & ſecundum quid, & ſic eſt eadem diſtinctio rei, & rei, & realitatis, & realitatis. Sic capit Scotus lib. 4. vbi ſic ait. Ad primum extendit duas res, ad realitatem ſecundum quid &c. ex illo verbo, ſecundum quid, patet ad inſtantiam, & lib. 4. d. 46. Q. 4. in Report. ſic inquit. Ad primum princ. huius Q. dico, quod ſunt duæ res, extendendo dualitatem ad qualitatem formalitatum, & formalium rationum. Hæc Scotus. Et nota, quod ad hoc, vt aliquid ſit in prædicamento, requiritur, quod ſaltem ſit compoſitum ex realitate, & realitate. Idque intelligitur de eo, quod eſt in genere per ſe, & directe, & non de omni, quomodocunque poſito in genere, propter vltimas differentias, & paſſiones non ſic compoſitas.

19. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 8. Q. 3. ad F. tenet, quod genus, & differentia dicant aliam, & aliam realitatem. Oppoſitum videtur habere 1. Repor. d. 33. Q. 2. vbi ait hæc verba, & dicit Socinas 7. Methap. 12. & Greg.

lib. 1. d. 8. Q. 3. Niſi multa eſſent eadem ſimpliciter, quę non ſunt eadem adæquate, ſequeretur, quod forma accidentalis, vt albedo, eſſet compoſita realiter. Nam ſi ratio communioris, a quo accipitur ratio generis, eſſet alia ratio ab illa, a qua accipitur ratio differentiæ ſpecificæ albedinis, tunc albedo eſſet compoſita ex duabus realitatibus, quod negatur communiter, ſunt ergo vna realitas hæc duo in albedine, & tamen neutrum adæquatum eſt ratio albedinis per ſe, quia tunc vnū vel aliud ſuperflueret. Hæc Scotus.

Lucas. Reſp. Intentio Sco. eſt pluribus locis, & ſingulariter 7. Meth. Q. 19. quod genus, & differentia dicant aliam, & aliam realitatem. Idem Ant. Andr. 7. Methap. Q. 14. Idque ſic firmatur. Primo, cum differentiæ ſint plures ſub vno genere, & non ſint aliud, id a quo genus accipitur ab eo a quo ſumitur differentia, tunc erunt tot genera, quot differentię, quod eſt falſum. Secundo, ſi conceptus generis non ſit alius a conceptu differentiæ, tunc genus erit æquiuocum. Tertio Ariſt. 12. Meth. à 19. vſque ad 29. determinat, quod principia non ſunt eadem, niſi ſecundum proportionem, & analogiam, & Auer com. 33. ait. Dicere principia eſſe eadem proportionabiliter, eſt dicere, quod materia, forma, & priuatio ſunt principia decem Prædicam. Et com. 26. dicit. Potentia, & actus in ſubſtantia ſunt alia a potentia, & actu, in alijs prędicam. ergo in via Auer. Accidentia habent realitatem generis, & differentiæ, ſicut ſubſtantia. Quarto, Accidentia, propria genera, & differentias proprias, vt dicit Ariſt. in Antepræd. habent, ergo (Methap. loquendo) eodem modo componuntur, ſicut ſubſtantia, proportione tamen. Quinto, In 12. Meth. 33. dicitur. Diffinitio eſt ratio habens partes, & ſicut diffinitio ſe habet ad diffinitum, ita partes, ad partes, quod non eſſet, ſi genus, & differentia eamdem dicerent realitatem. Sexto, ſi non, tunc in diffinitione eſſet nugatio, quia idem bis diceretur. Septimo, nullo intellectu conſiderante, natura generis eſt contrahibilis, & non contractiua, & e conuerſo natura differentiæ eſt contractiua, & non contrahibilis. Octauo, ea, quę immutant intellectum ad diuerſa, ſunt diuerſæ entitates, at genus, & differentia ſunt ſic, nam de linea viſuali, ratione ſui generis, ſcilicet lineæ, habetur Geometria, ratione verò differentiæ, ſcilicet viſualitatis habetur Perſpectiua. Rurſus. Tunc aliquis poſſet intelligere animal, non intelligendo rationale, huius oppoſitum patet. Tandem Auic. 7. Meth. dicit. Nulla eſt cathegoria, quæ non habeat exitum de potentia ad actum. Hiſque patet intentio Scoti. Ad dictum autem eius citatum à Paulo, & Greg. dico, quod falſe loquuntur, & falſum imponunt Sco. quod nunquam dixit. At loco illo, iſta ſunt verba formalia Scoti. In formis accidentalibus eadem eſt entitas, a qua ſumitur ratio generis, & differentiæ. Aliter albedo, non eſſet forma ſimplex, ſed haberet in entitate ſua compoſitionem rei cum re. Hęc Sco. Vbi vides, quomodo tantum habet pro inconuenienti, vt albedo ſit compoſita ex re, & re, ſed nō ex realitate & realitate. Dices, quod ſe toto eſt actus, nō eſt compoſitum, ex actu, & potentia, ſed accidens eſt ſic, cum ſe toto ſit in ſubiecto. Dico, & concedo, quod accidens eſt totaliter actus, & totaliter informat, & totaliter eſt ratio agendi reſpectu ſubiecti, in ſe tamen diuiditur in partem potentialem, & actualem. Dices adhuc. 7. Methap. 43. Genus nihil eſt, præter eas, quę ſunt generis ſpecies.

Dico

Dico auctoritatem illam truncatè adduci. Nam Ariſt. addidit. Si eſt, eſt vt materia, quod concedo. Dices amplius. Tunc vna res faceret duos conceptus in anima, quod eſt falſum, Concedo, quod res propter diuerſas realitates, in ea exiſtentes, poteſt facere duos conceptus in intellectu. Tandem dices. Albedo eodem modo mouet viſum, quo diſgregat; at diſgregat ratione vltimæ differentię, & mouet ratione coloris, ergo diſgregat ratione coloris, & ſic genus, & differentia ſunt vna realitas. Diſgregat eodem modo, & mouet realiter, ſed non formaliter, ſiue ex natura rei. Vel dic, quod color non eſt aptus natus mouere viſum, niſi in ſuis ſpeciebus. Vel quod ratio motionis eſt communis colori, & differentiæ, ſed non ratio diſgregationis, quę competit albedini ex ſua vltima differentia.

10. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 8. Q. 3. ad 1. dicit. In aliquibus creaturis, genus, & differentia accipiuntur ab alia, & alia re, & addit paulo inferius. Aliquando ibi non ſunt res, ſicut in accidentibus, ſaltem in vna re eſt vna realitas, à qua ſumitur genus, & alia à qua ſumitur differentia. Oppoſitum videtur habere lib 1. d. 3. Q. 3. ad Q. vbi dicunt aliqui, quod genus, & differentia tantum ſumuntur à diuerſis realitatibus, & non rebus.

Lucas. Reſp. In via Scoti poteſt deſumi realitas generis, & differentiæ à diuerſis rebus, quod patet ſic. Corpus, quod eſt genus, ſumitur à forma mixtionis, & rationale ab anima intellectiua. At forma mixtionis, & anima intellectiua ſunt formæ realiter diſtinctæ, vt patet à Sco. lib. 4. d. 11. Q. 3. ſicq. aliquando deſumuntur hæ realitates à diuerſis rebus, & quandoque a diuerſis realitatibus, vt patet à Scoto lib. 1. d. 3. Q. 3. & clarius lib. 2. d. 3. Q. 6.

11. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 8. Q. 3. ad 1. dicit. Genus, & differentia accipiuntur ab alia, & alia re, ſicut ponendo plures formas in homine, animal accipitur à ſenſitiua, & rationale ab intellectiua. Ex quibus verbis videtur in homine ſenſitiuam, & intellectiuam diſtingui realiter. Oppoſitum habet lib. 2. d. 15. Q. 5. quod intellectiua, ſenſitiua, & vegetatiua non diſtinguuntur realiter.

Lucas. Reſp. In homine vegetatiua, ſenſitiua, & intellectiua ſunt tres animæ non diſtinctæ realiter. Ita habetur in doctrina Scoti. Idem, Greg. lib. 2. d. 29. Q. 2. & Soncinas 8. Meth. Q. 13. & ferè omnes Thomiſtæ. Et Parienſes 2. de anima Q. 1. dub. 3. Pro iſtaque via ſic arguitur. Primo, formæ illæ ſunt compoſſibiles, quarum vna virtualiter continet aliam, at intellectiua virtualiter continet vegetatiuam, & ſenſitiuam, minor eſt Scoti d. 15. lib. 2. Et Ariſt. 2. de anima 31. Verum tamen eſt, quod Ariſt. dicit, ibi quod Vegetatiuum continetur in Senſitiuo, & non dicit, Senſitiuum continetur in intellectiuo. Ait enim ſic. Vegetatiuum continetur in Senſitiuo, ſicut Trigonum in Tetragono. Secundo ſequeretur tunc, quod homo prius eſſet planta, poſt animal, & poſtremo homo. Etiam, deſtructis diſpoſitionibus facientibus pro anima intellectiua, & non pro ſenſitiua, illa ablata, adhuc homo viueret, quod eſt falſum. Tertio, eſt auctoritas Aug. de Eccles: dignit: vbi dicit. Nec duas animas dicimus in vno homine, ſicut Iacobus, & alij Sirenorum ſcribunt, vnam animalem, qua animatur corpus, & mixta ſit ſanguini, & alteram ſpiritualem, quæ rationem miniſtrat. Sed dicimus vnam eſſe, & eandem animam in homine, quæ & corpus ſua ſocietate viui-

cet, & ſemetipſam ſua relatione diſponat, habens in ſe libertatem arbitrij, vt in ſua ſubſtantia eligat cogitare, quod vult. Quarto arguitur ex intentione Aug. 10. ſuper Gen. vbi dicit. Anima rationalis non ſolum præbet carni animalem vitam, verum etiam ſecundum ipſam carnem aliquid concupiſcit. Si ergo animalem vitam præbet, ergo præter hanc fatuum eſt dare aliam, quæ ſit ſenſitiua. Idem habet Aug. de f.de, & ſimbolo. Homo, inquit, excepta forma membrorum, quæ diuerſis generibus animantium diuerſa tributa eſt, non diſtat à pecore, niſi rationali ſpiritu, qui mens etiam nuncupatur. Tandem. Damaſcenus lib. 2. dicit. Anima rationalis continetur organo corporeo, & ei eſt vitæ, & augmentationis, & ſenſus, & generationis tributiua, hancque ſententiam ponit Aug. de quantitate animę. His itaque fundamentis, tenendum eſt in homine eſſe ſolum animam intellectiuam, virtualiter continentem vegetatiuam, & ſenſitiuam. Ad dictum autem Sco. 8. d. 1. dico, quod loquitur ibi exemplariter, & exemplum non eſt ad mentem eius, ſed tenentium, vt Occam lib. 4. Q. 10. Diff. 5. & in Quol. Q. 3. & 10. Quod anima ſenſitiua diſtinguatur realiter in homine ab intellectiua. Dices, Impoſſibile eſt in eodem inſtanti contraria eſſe in eodem, at ſi anima ſenſitiua, vegetatiua, & intellectiua non diſtinguerentur realiter, contraria eſſent in eodem, quia ſimul, & ſemel in homine eſſet actus appetendi aliquid, & inuehendi in illud. Reſp. Ob hanc rationem moti ſunt Manichei ad ponendum in homine duas animas, vt refert Aug. l. 10. ſuper Gen. Ad quam dicitur. Anima intellectiua, quia virtualiter continet alias omnes, facit omnes operationes virtute ſua, quas facerent illę animæ. Adde, quod actus appetendi naturaliter renuẽdi ipſius appetitus, & rationalis non ſunt contrarij, niſi virtualiter, non autem formaliter. Dices adhuc. Senſationes ſunt ſubiectiuè in anima, ſed non ſunt in intellectiua, ergo in ſenſitiua, ergo hæc anima non eſt illa. Ad hoc Greg. reſp. negando minorem, ſcilicet non recipiantur in anima intellectiua. Addunt Pariſienſes. Recipiuntur in potentijs ſenſitiuis realiter ab anima diſtinctis. Adde tu, quod recipiuntur in organo toto mixto. in hocque differunt ab intellectionibus, & volitionibus. Nam hæ immediate recipiuntur in anima, & ſenſationes immediatè in mixto .i. compoſito ex anima, & corpore vt docet Scotus Q. 9. Quol. Dices amplius. Non poteſt eadem forma eſſe corruptibilis, & incorruptibilis. Dic. Anima ſenſitiua ſolũ eſt in homine virtualiter, & ſic eſt incorruptibilis, ſicut, & intellectiua. Dices iterum. Alio homo eſt homo, & alio eſt animal, ſed primum habet ab intellectiua, & ſecundum à ſenſitiua, ergo hæc, & illa ſunt duæ formę. Dico, quod per eamdem formam, ſicut Sortes albedine eſt albus, & coloratus, & qualis, cum forma ſpecifica includat eſſentialiter omnes formas ſuperiores, & maximè hæc, quæ eſt aliqualiter illimitata per virtualem continentiam. Dices amplius. In omni generatione eſt aliquid, quod eſt terminus formalis generationis, quod accipit eſſe per illam generationem, ſed anima intellectiua non accipit eſſe per generationem, ergo oportet, quod ſit ibi alia forma, quę erit ſenſitiua. Ad hoc difficulter Thomiſtæ reſpon. tenentes in homine nullam aliam formam præter animam intellectiuam. At contra Scotiſtas ponentes formam corporeitatis aliam realiter ab anima, vt patet lib. 4. d. 11. Q. 3. Non currit argumentum. Dices tandem, Impoſſibile

bile eſt idem eſſe extenſum: & non extenſum, ſed anima ſenſitiua eſt extenſa, & non anima intellectiua, ergo &c. Concedo, quod anima ſenſitiua in homine non eſt extenſa, quia ibi non eſt formaliter, ſed tantum virtualiter continetur in intellectiua, quæ nullo modo extenditur, ſed eſt tota in toto, & tota in qualibet parte ſecundum Peripateticos.

82. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 8. Q. 3. ad O. dicit. Sicut de ratione generis generaliſſimi non eſt habere ſub ſe plures ſpecies, ſed non habere aliud ſuperueniens genus, ſicut hoc prædicamentum, Quando, quia non habet ſuperueniens genus, eſt generaliſſimmum, licet paucas habeat ſpecies, aut nullas. Oppoſitum huius patet in lib. ſex Principiorum, & ab omnibus tractantibus facultatem Logicæ, dicentibus oppoſitum, ſcilicet Quando habere ſpecies.

Lucas. Reſp. Scoti dictum eſt vna propoſitio diſiunctiua, cuius prima pars paucas habeat ſpecies, & eſt verum. Altera, aut nullas, eſt falſum. Vel dic, quod illa ſecunda pars diſiunctiuę, aut nullas, ſic debet intelligi, quod prædicamentum, Quando, nullas habet ſpecies nobis notas; idq; dicunt Pariſienſes in ſumulis, & addunt, quod eiuſdem genera ſuplentur per iſta, Eſſe, fore, fuiſſe; & eius ſpecies per hæc, in hora, in menſe, in anno, & eius indiuidua, in hac hora, in hoc anno, & ſimilia. At naſcitur dubium. Si genus in vnica ſpecie poſſit ſaluari. Reſp. Pariſienſes, quod genus ſecundum exiſtentiam poteſt ſaluari in vna ſpecie, nam deſtructis omnibus ſpeciebus (dempto homine) adhuc homo eſt animal, & bene ſequitur, homo eſt, ergo animal eſt. Dicunt ſecundo. Genus ſecundum potentiam poteſt ſaluari in vna ſpecie, nam Deus poteſt facere, quod omnes ſpecies deſtruantur (dempto homine) & tamen homo erit animal. Addunt tertio, quod ſecundum aptitudinem genus non poteſt ſaluari terminatiuè in vna ſpecie, ex eo, quod prędicari de pluribus ſecundum aptitudinem, ponitur in eius diffinitione. Sed magis ſapit ſententia Scoti in Vniuerſalibus Q. 18. qui dat duos modos dicendi. Vnus eſt, quod genus tantum requirat multas ſpecies in aptitudine; alter eſt, ad quem magis declinat in fine illius quæſt. ſcilicet quod genus actu requirat multas ſpecies, & hic eſt modus eius vt patet ex illo verbo, ſimpliciter poſito in fine illius quæſt. Et Mauritius ſuper illo paſſu in art. 3. dub. 1. dicit, quod hic modus magis ſapit, & eſt melior logicè loquendo. Ex quo verbo, ſcilicet logice loquendo, poteris euadere plurimas difficultates in hunc modum dicendi.

83. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 8. Q. 3. ad O. dicit. Subſtantia continet virtualiter omnia accidentia. Opoſitum huius habet Scotus lib. 3. d. 1. Q. 1. in initio vbi ſic ait. Accidens ad ſubiectum ſuum duplicem habet habitudinem, ſcilicet informantis ad informatum, & poſterioris naturaliter ad ſuum prius, a quo dependet, non vt ab aliqua cauſa, quia ſi habet ſubiectum pro aliqua cauſa, illud habet pro cauſa materiali, & hoc eſt, inquantum informat ipſum.

Lucas. Reſp. Scotus lib. 3. mentionem non fecit de aptitudine cauſæ efficientis, quia loquitur de habitudine tantum ſimili habitudini Verbi ad naturā & quia habitudo ſubſtantiæ in ratione efficientis non eſt ei ſimilis, ideo non enumerauit eam: & ex illo verbo; Inquantum informat, patet reſp. ad contradict. 1. Accidens non dependet à ſubſtantia, niſi tanquam à cauſa materiali, inquantum informat ipſam. Dices. Acciden-

tia

tia infuſa non ſunt ab aliqua ſubſtantia, ergo ſubſtantia non erit principium effectiuum accidentium, vt dicit Scotus. Reſp. quod loquitur de Prædicamentis. In doctrina Ariſt. Et certum eſt, quod ſubſtantia prædicamentalis continet accidentia, quæ ponuntur in prædicamentis accidentium. Ariſt. autem non concedit alia accidentia infuſa.

24. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 8. Q. 3. ad K. tenet, quod linea infinita ſit in genere quantitatis, & conſequenter videtur tenere poſſe dari infinitum in magnitudine. Oppoſitum huius habet Scotus 2. Meta. Q. vlt. in fine, vbi ſe allegat in 1. d. 2. Q. 3. & in 3. d. 13. exponens illud 3. Phyſ. 69. Quantumcunque contingit eſſe in potentia, tantum contingit eſſe in actu. Et in his locis expreſſe tenet, etiam per potentiam diuinam non poſſe fieri magnitudinem aliquam actu infinitam.

Lucas. Reſp. In via Scoti eſt impoſſibile vllo modo dari infinitum in magnitudine, & iſta eſt mens eius, vt locis ait iam citatis. Ad Scotum autem 8. d. 1. Dico, quod loquitur conditionatè, id eſt ſi infinita linea daretur, eſſet ponenda in prædicamento Quantitatis, & non loquitur abſolutè, vt dictum eſt. Franc. lib. 1. & Greg. lib. 1. d. 44. Q. 4. & lib. 2. d. 1. Q. 3. & Bacc. lib. 2. d. 1. Q. 7. tenent expreſſe Deum per potentiam infinitam poſſe facere corpus actu infinitum. Idem Thom. d. 16. 1, Et dicunt, quod tale corpus non eſſet figuratum, nec mobile, quia tales ſūt paſſiones corporis finiti. Sed contra nos eſt Ariſt. 6. Phyſ. 18. & 1. cæli 33. 34. & 39. vbi dicit, quod tale corpus eſſet immobile, quia ſi poſſet moueri, tunc motus infinitus poſſet moueri tempore finito, quod eſſet fallum. Ad hoc reſp. Greg. quod tale corpus poſſet moueri circulariter, at non rectè. Contra hoc Ariſt. 1. cæli 39. vbi pluribus rationibus probat, quod corpus actu infinitum non poteſt moueri circulariter. Conſule illas, quia pulchræ ſunt; ſicque patet ad mentem Scoti: fauet etiam Occam lib. 2. d. & Quol. 2. Q. 5. quod non poteſt dari magnitudo actu infinita. At num valeat dari multitudo actu infinita. Franc. Greg. Baccon. reſp. hoc poſſibile fore per potentiam diuinam; ſed quicquid ſit de alijs Doctoribus, videatur quæ ſit mens Scoti, qui lib. 2. d. 1. Q. 3. tenet, quod non eſt dabilis talis multitudo, & ille eſt locus, ad quem confugiunt Scotiſtæ pro opinione Scoti habenda. Dices. Sco. lib. 4. d. 43. Q. 1. art. 3. ponit quatuor modos dicendi, quomodo in die iudicij fiat innoteſcentia meritorum, & in quarto modo, qui videtur modus eius, dicit, quod Deus in intellectu cuiuſcunque ſimul creabit actus diſtinctos, & intellectiones diſtinctas omnium perſonarum, meritorum, & demeritorum, ergo videtur, quod Deus ſimul cauſet infinita in actu. Reſp. Verum eſt, quod habebunt in die iudicij diſtinctos actus cognoſcendi perſonarum, meritorum, & demeritorum, ſed negatur, quod illa obiecta ſint infinita; nam perſonæ merita, & demerita ſimul ſumpta ſunt finita numero, & conſequenter illi actus non erunt infiniti. Dices amplius, Sco. lib. 1, d. 14. Q. 2. vult, quod anima Chriſti recipiat ſimul infinitas viſiones, & infinitas ſpecies infinitorum obiectorum à Deo creatas, ergo Deus poteſt facere infinitum multitudine in actu. Ad hoc ipſemet Sco. reſp. ibi, vbi habet hæc verba formalia. Poſſet dici, quod iſta concluſio poſſet poni duobus modis, primo quod anima Chriſti haberet viſionem vnam reſpectu Verbi, vt primi obiecti, & omnium obiectorum ſecundariorum relucentium in Verbo, ad quæ haberet reſpectus diſtinctos, nec

ſeque

ſequeretur infinitas actus fundantis tales reſpectus; qui non eſſent niſi in potentia, & iſto modo nulla ponitur infinitas in actu. Secundo, quod reſpectu cuiuſcunque obiecti eſt propria viſio, ita quod eſſent ſimul infinitæ viſiones in anima receptæ à Verbo cauſante, & ſecundum iſtam viam oportet ponere aliqua infinita, quod videtur contradicere multis dictis Philoſophorum, & Sanctorum. Hæc Scotus. Ex quibus verbis habes ſolutionem, quoniam Scotus adhæret primo modo dicendi, & non ſecundo, quia repugnat auctor. Sanctorum, & Philoſophorum. At num ſit dabile infinitum in intenſione in via Scoti? Partem negatiuam tenet Sco. lib. 1. d. 13. & clarius lib. 3. d. 13. Q. 2. & 3. vbi habet, quod gratia Chriſti ſit in termino, itaquod ſibi repugnat augeri. Idem tenet D. Thom. d. 46. pr. Franc. autem, Greg. & Baccon. vt ſupra, dicunt, Deus poteſt graduare vnam qualitatem in infinitum, quod non implicat contradictionem. Sine eos. Dicatur, ſi aliqua qualitas eſſet in infinitum intenſa, eſſet Deus. Reſp. Franc. Non valet, quia non eſt infinita niſi ſecundum quid, & iſta infinitas limitatur ad aliquid determinatum genus, non ſic de infinitate Dei. Si quæratur. An tale accidens, cum ſit infinitum, ſit nobilius ſubſtantia. Reſp. Franc. Infiniti aſini non valent vnum hominem, quod poteſt firmari, Maxima Scoti lib. 2. d. 1. Q. 6. Infinitum perfectioris ſpeciei eſt nobilius ſummo ignobilioris ſpeciei, & addit Franc. Anima Chriſti habet ſummam gratiam vnibilem, ſed non ſummam ſimpliciter, quia Deus poteſt creare vnam gratiam intenſiorem: & illa nulli animæ eſſet vnibilis. Si amplius quæras, An habens infinitam qualitatem, per eam ageret in inſtanti? Reſp. Greg. lib. 1. 1. d. 44. Q. 4. quod ſic. Si tamen quæras. An intellectus noſter habens notitiam infinitam de Eſſentia diuina, per talem notitiam comprehendat eam. Reſp. Greg. quod non, Nã notitia cõprehenſiua de Eſſentia diuina debet eſſe increata: hæc autem eſſet creata. Et nota. Si daretur infinitum extenſiuè, eſſet in genere. Sed quid de infinito intenſiuè? Tale infinitum eſt duplex quoddam in gradibus non dicentibus aliam formalitatem a re, cuius gradus ſunt, vt Deus, cuius infinitas eſt gradus non dicens aliam formalitatem ab Eſſentia ſua, & tale infinitum non eſt in genere. Aliud eſt infinitum intenſiue, ſecundum quod componitur ex gradibus dicentibus aliam formalitatem a re, cuius ſunt gradus, vt albedo habens infinitos gradus, ſecundum tenentes quod albedo eſt intenſibilis in infinitum, & tale infinitum eſt in genere, & iſti gradus albedinis sũt inſequentes naturam indiuidui, & non ſpeciei, quia talis gradus ſpecificus non dicit aliam formalitatem a natura finita albedinis.

23. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 8. Q. 3. ad S. dicit citans dictum Auic. 1. Methap. Ens in ſe non habet principium. Oppoſitum videtur habere Ariſt. 4. Metha. 1. vbi ait. Neceſſe eſt & entis elementa eſſe, non ſecundum accidens, ſed in quantum entia. Vnde, & entis in quantum ens primæ cauſæ ſunt accipiandæ. Ecce quomodo Ariſt. vult, quod entis in ſe ſint principia.

Lucas. Reſp. dictum Ariſt. citatum multipliciter exponitur. Primo à D. Thoma prol. Meth. & in 4. lect. 1. vbi dicit, quod ens, quod eſt ſubiectum in Methap. non habet principia extrinſeca, quia omne ens continetur ſub eo; habet tamen principia intrinſeca, id eſt inclusa in ſuo obiecto, & hoc modo Deus eſt principium entis, inquantum ens, quia eſt cauſa

ſa, teneatur ſpecificatiuè, non autem ſi tenetur reduplicatiuè, quia tunc inferret de omni, hæcque poteſt eſſe mens Auic. Sed Auer. 1. c6. 4. Methap. aliter reſp. Quærentur principia entis ſimpliciter, ideſt, quia non quæruntur principia entium, in quantum ſunt mobilia, nec inquantum ſunt Mathematica.

16. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 8. Q. 3. ad Y. tenet, quod Deus, & creatura conueniunt, & vniuocantur in conceptu entis realis. Oppoſitum patet ex illo principio deſumpto à Philoſopho. Primo diuerſa in nullo conueniunt; ſed ſic ſunt Deus, & creatura. Itaq; &c.

Lucas. Reſp. Id tenendum in via Scoti. Ens, ſcilicet conceptum communem Deo, & creaturę admittere; ita vt Deus, & creatura conueniant in aliquo conceptu quidditatiuo de ipſis prædicante in quid, ſed non conueniunt in aliqua realitate. Nam cum ſit ſumme ſimplex, in ipſo nullo modo ſunt intelligendæ duæ realitates, itaque conceptus ille non eſt communis Deo, & creaturę communitate reali, ſed ſolum communitate rationis. Dices, num talis conceptus ſit primæ, vel ſecundæ intentionis? Minimè, quia talis conceptus non ſolum fit ab intellectu, ſed cauſatur a rebus, a quibus abſtrahitur, ideo non eſt ſecunda intentio, cum non cauſetur per actum collatiuum intellectus, ſed per actum rectum. At, an ille conceptus ſit aliqua intellectio, vel aliqua res cognita? Dico, eſt res concepta, imperfecte tamen, quia debilitas noſtri intellectus non poteſt illam perfecte intelligere; ideo in conceptu quodam communi tantum illam intelligit. Et nota, quod communitas illa eſt tantum facta per intellectum, ideo poteſt vocari communitas rationis, & eſt conceptus, cui nihil realiter correſpondet, & non poteſt cõcipi, niſi imperfectè, & ab in intellectu imperfecto. Verum, dices, Quomodo poteſt eſſe conceptus, & communitas rationis abſque communitate reali. Dico, apud intellectum confuſe concipientem, poteſt eſſe communitas rationis abſque communitate reali, ſed non apud intellectum diſtinctè concipientem. Ex quo ſequitur, quod in intellectu diuino non poteſt eſſe vniuocatio entis, cum non poſſit aliquid confuſè concipere, poteſt tamen Deus cognoſcere noſtram cognitionem eſſe confuſam, & nos habere vniuocationem entis, & ſi ipſe non habeat, & ſic dicas de intellectu ſeparato, & de quocunque diſtinctè cognoſcente ex hoc inferri poterit. Scotiſtæ non habent vniuocationem entis, cognoſcunt tamen eam in intellectu quorumdam Thomiſtarum, & ipſi eam habent, & cognoſcunt ſe habere. Dices. Can. 1. Phiſ. Q. 3. dicit. Ens commune Deo, & creaturæ communitatem habet realem. In hoc non teneo Can. Aut dicas, quod intellexit, ſit ens reale, vt diſtinguitur contra ens rationis fabricatum per actum collatiuum intellectus, & non inquantum diſtinguitur ab ente rationis fabricato per actum rectum. Multi Scotiſtæ admittunt hanc diſtinctionem, quæ non eſt habenda, ſcilicet quod duplex eſt realitas, ſubiectiua, & obiectiua, at hoc non poteſt ſtare. Nam illa realitas, quomodocunque ſit, ſi ſit à poſteriori, ſemper intelligitur potentialis, & contrahibilis. Ex quo puto non eſſe auſcultandum Tromb. in formal. cap. de Ident. & Diſt. ex natura rei, concedentem ens reſpectu finiti, & infiniti, eſſe in potentia Methap. & ſi non in potentia Phiſica. Et talis potentia methap. ſecundum eum non dicit imperfectionem, & multa addit fundamenta ſuper hoc principio, quod non puto verum, & tandem

dem ait. Deus & creatura, ſicut ſubſtantia, & accidens, ſunt primo diuerſa quidditatiuè, & non modaliter. At hoc non puto verum. Nam, ablatis modis, adhuc differunt per propria prædicata nobis ignota. Dices. Si conceptus ille eſt rationis ad ſenſum datum, tunc dicendo, Deus eſt ens, idem de ſe ipſo prædicaretur, quia idem imperfectè conceptum prædicaretur de ſe ipſo perfectè concepto. Et nota: intellectio, qua cõcipitur ens cõfuſè, nõ poteſt concipi niſi ab intellectu Brandanico, at intellectus perfectus cognoſcit brandanicum intellectum habere illum conceptum communem. Tandem dices. Simpliciter ſimplex, vt ens, aut totaliter ſcitur, aut totaliter ignoratur, quomodo ergo poteſt cognoſci ens confuſe? Reſp. Notitia diſtincta ſuperioris dicitur notitia confuſa inferioris, vt quando concipio animal diſtinctè, tunc concipio hominem confuſè, ſic illa notitia eſt perfecta reſpectu entis, & imperfecta reſpectu Dei, & creaturæ. Si eſt imperfecta, ergo non ponitur in Deo. Concedo; nam vt dictum eſt ſuperius, in intellectu diuino non eſt vniuocatio entis, nec in aliquo intellectu diſtinctè cognoſcente.

27. *Iacobus.* Scotus lib. primi d. 8. Q. 3. ad B b. videtur dicere infinitatem pręcedere exiſtentiam, ait. n. ſic. Et ideo ex ſe eſt hoc, & ex ſe infinitum, vt quaſi per prius intelligatur aliquo modo infinitatem eſſe gradũ entitatis per eſſentiam, quàm intelligatur eſſe hæc. Oppoſitum habet lib. 1. d. 2. p. 1. Q. 1. vbi ait. Exiſtentia eſt de quidditate Dei. Nam hæc propoſitio, Deus eſt, eſt per ſe primo modo, ergo non poterit ſequi ad infinitatem, cum infinitas non ſit de quidditate Dei.

Lucas. Reſp. Scotiſtæ capiũt communiter à Scoto loco citato. d. 8. primi. quod Scotus voluerit exiſtentiam *præſupponere*, & ſequi entitatem, at id non habetur ex litera Scoti, ſed tantum, quod modus, quo Deus eſt hic, ſequatur infinitatem, ſed non dicit, talem modum eſſe ipſam exiſtentiam, vt plures mali eliciũt ex illo loco: ſed ibi habetur, quod modus, quo Deus intelligitur ſingularis, præſupponit infinitatem, quicunque ſit ille modus. Dices. Sco. ibi ait, Deus de ſe eſt hoc, & ex ſe infinitum, & infinitas præcedit eſſe hoc, ergo infinitate erit Deus. Dico, quid ſi ponderetur litera Scoti non poteſt colligi, quod infinitate ſit Deus, at ſolum ex ſe infinitus. i. non per aliam formalitatem; ſed non intelligitur, quod ſit ex ſe. i. ſua quidditate infinitus: hicque eſt verus intellectus illius loci. Vnde cum exiſtentia ſit de quidditate Dei, in primo ſigno habet Deus omnia prędicata quidditatiua; in ſecundo, & in tertio ſingularitatem: qui verò tenẽt exiſtentiam modum intrinſecum; aliter debẽt dicere. ſ. vt primo ſit infinitudo, deinde exiſtentia, & ſingularitas. Dices amplius. Sco. lib. 2. d. 3. Q. 3. dicit, ſingularitatem præcedere exiſtentiam. Dico, verum eſt in naturis creatis, quæ ſingularizantur per aliquam formalitatem; aut dicas, in creaturis exiſtentia eſt modus intrinſecus: hinc eſt, quod ſequitur ſingularitatem, in Deo autem, cum ſit de quidditate, non eam ſequitur; ſingularitas eſt de intrinſeca ratione, ergo non eſt poſterior exiſtentia. Verum eſt, ad hunc ſenſum. i. quæ non ponit aliam formalitatem illi, quod ſingularizatur per eam.

28. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 8. Q. in fine dicit Sapientia noſtra eſt indiuiduum ſapientiæ traſcendentis, eo quoniam in nobis perfectio ſimpliciter da-

tur ex Auguſt. 15. de Trinit. Oppoſitum huius ibidem dicit, quod ſit indiuiduum ſapientiæ genericæ, cum ſit habitus poſitus in genere qualitatis.

Lucas. Reſp. Scotus d. 8. primi mouet hanc difficultatem de ſapientia noſtra, ſi ſit indiuiduum ſapientiæ traſcendentis, vel qualitatis, an alterius tātum, & dimittit dubium (aliquibus, pro, & contra adductis) irreſolutum. Ex quo non poteſt ſumi eo loci autor. à Sco. ad hanc, vel ad illam partem. Sed quid ſentit Scotus? Multi multa dicunt, an ſapientia ſit indiuiduum ſapientiæ qualitatis, vel traſcendentis. Paulus, & Gratianus aiunt, quod eſt indiuiduum ſapientiæ traſcendentis. At id non poteſt eſſe de mente Scoti ponentis habitus ſcientiales in genere. Lichetus tenet, quod eſt tantum indiuiduum qualitatis, quāuis dicat, quod poſſit teneri alia via ad mentem Scoti. At tunc ſapientia in commum non de ea prædicaretur, nec per ſapientiam noſtram cognoſceremus ſapientiam Dei, nec ſapientia noſtra diceretur ens per participationem reſpectu ſapientiæ diuinæ, quæ dicitur perfectio ſimpliciter, & ens per eſſentiam. Franciſcus tenet, quod eſt indiuiduum ſapientiæ traſcendentis tantum, & cum hoc concomitatur illud indiuiduum qualitatis. Alij dicunt, quod ſapientia noſtra eſt indiuiduum vtriuſque, hoc eſt, quia ſapientia in ſe habet duas rationes formales, & ſecundum vnam tantum includit qualitatem, & ens, & ſecundum aliam includit ſapientiam tantum in cōmuni; & ſecundum hanc rationem, tales propoſitiones non includunt ens quidditatiue, ſed tantum denominatiuè, & ſunt perfectiones ſimpliciter: & ſic dicitur, quod ſecūdum vnam rationem eſt indiuiduum vnius, & ſecundum aliam indiuiduum alterius, & ſecundum hunc modum dicendi ſapientia noſtra eſt vna res, non tamen vnus conceptus, ſicut homo, & riſibilis ſunt vna res, ſed non vnus conceptus. Et iſte eſt vltimus modus, quem ponit Scotus lib. 2. d. 27. & clarius d. vlt. vbi habet hæc verba. Ad Anſelmum dico, quod libertas abſolutè eſt perfectio ſimpliciter; vnde formaliter ponitur in Deo. Et ſecundum eumdem, libertas in nobis eſt limitata: poteſt tamen conſiderari ſecundum eius rationem formalem ſine illa limitatione, & tunc non eſt perfectio limitata, ſed perfectio ſimpliciter. Exemplum. Sapientia eſt perfectio ſimpliciter, & illius ratio abſolutè eſt in nobis, non tantum ſic, ſed cum limitatione, itaquod ſapiētia noſtra includit duo, quorum alterum eſt perfectio ſimpliciter, alterum non. Adde. Sapientia poteſt conſiderari dupliciter, vno modo in ratione informantis, & inhærentis, & ſic non trāsfertur ad diuina, quia non eſt perfectio ſimpliciter, & ſic eſt in genere. Alio modo in ratione manifeſtantis, vel declarantis, vel perficientis, & trāsfertur ſic ad diuina, & eſt perfectio ſimpliciter, & non eſt in genere. Idque poteſt colligi à Sco. lib. primi. d. 8. Q. 1. verſus finem. Idem poterit dici de intellectu, & voluntate. Et nota, quod Deus non ſit in genere, eſt Arti. n. 15. Oxonienſis dicens ſic. Quod prima cauſa eſt in genere, & non extra genus, error.

Octaua diſt. Quæſt. quarta, libri primi.

1. *Iacobus.* SCOTVS lib. 1. d. 8. q. 4. ad B. dicit. Perfectum ſemper eſt independens ab imperfecto ſicut imperfectum dependens à perfecto. Oppoſitum patet ex pluribus locis Scoti. Nam totum eſt perfectius partibus, & tamen dependet à partibus, quæ ſecundum Scotum ſunt imperfectiores toto.

Lucas. Reſp. Lych. ſic dicit. Aliquid dependere ab aliquo dicitur tripliciter: Primo, vt a partibus eſſentialibus, vt compoſitum. Secundo, vt à cauſa efficiente, vel finali. Tertio, vt menſuratum à menſura. Tertio, & Secundo modo perfectum non poteſt dependere ab imperfecto, at primo modo poteſt, vt compoſitum. Rurſus. Dictum Scoti hic intelligitur de ſimpliciter perfecto, & non tali ſpecie limitata, vt eſt totum. Hinc addit eo loci Sco. Nullum creatum eſt perfectio ſimpliciter, ſed quodlibet limitatum, & ſimpliciter quælibet eius perfectio eſſentialis. Ex quibus verbis patet, quod loquitur de ſimpliciter perfecto.

2. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 8. Q. 4. ad B. dicit, quodlibet creatum ineſſe quidditatiuo eſt limitatum, & quælibet perfectio eius eſſentialis. Oppoſitum patet ex doctrina ſua. Nam ratio entis in homine eſt eſſentialis, & tamen non eſt perfectio limitata.

Lucas. Reſp. Lychetus ſic diſtinguit. Perfectio eſſentialis creaturæ poteſt dupliciter conſiderari, in eſſe reali, & exiſtente, & in eſſe conceptibili primo modo verificatur dictum Sco. Nam hic homo multa includit eſſe dicitur hoc ens, hęc ſubſtantia, hoc corpus, hoc animal, & hic homo, hæ perfectiones ſic in iſto homine ſunt limitatæ in eo exiſtentes; at in eſſe conceptibili non habet veritatem, quia conceptus ſumpti ab his perfectionibus neceſſario non ſunt limitati, vt patet de conceptu entis, qui abſtrahitur ab hoc ente, & de conceptu ſubſtantię, vt dicit ens per ſe abſolutè, ſecus eſt de ſubſtantia prædicamentali. Aut dicas. Dum ait Sco. quodlibet creatum in eſſe quidditatiuo eſt imperfectum, & ſimiliter quælibet eius perfectio eſſentialis; intelligitur de imperfectione eſſentiali creata, & ſic ceſſat inſtantia de ente, & ſubſtantia.

3. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 8. Q. 4. ad C. elicitiuè, tenet quod creaturę tantum in eſſe quidditatiuo habent Ideam, & perfectio ſimpliciter in creatura, vt natura talis limitata in eſſe quidditatiuo, habeat Ideam, ſed non in quantum eſt perfectio ſimpliciter. Oppoſitum ſic patet. Nam in via Sco. d. 35. 1. Idea eſt eſſe cognitum rei, ſed ſapientia noſtra vt eſt perfectio ſimpliciter, habet eſſe cognitum, ergo habet Ideam.

Lucas. Reſp. Scotus arguitiuè ſe habet in d. 8. 1. arguit enim contra Theologos antiquos tenentes Ideam eſſe rationem cognoſcendi ipſi Deo, idq; negat Sco. d. 35. 1. Illi enim ſic ex fundamentis illorum debent dicere; ſapientia noſtra, vt noſtra, in tali gradu limitato non habet aliquid ibi formale correſpondens, & tamen ſi debeat neceſſario cognoſci, vult Ideam, ſed, in quantum eſt perfectio ſimpliciter, habet ibi aliquid formaliter correſpondens, per quod poteſt à Deo cognoſci, vt ſic non re-

quirit Ideam, & hoc eſt quod voluit Sco. d. 8. q. 1. iuxta mentem illorum arguens ad hominem. Et nota quod de Idea plures ſunt opiniones. Prima. Idea omnium eſt Eſſentia diuina, quæ eſt reſpectu omnium, ij, enim tantum vnicam Ideam ponunt. Secunda D. Thome, & Henr. tenentium. Idea eſt relatio Dei ad alia à ſe cognita, & hi ponunt infinitas. Tertia ponit, quod Idea eſt aggregatum ex eſſentia, & relatione. Quarta eſt Scoti, Occam, Gabr. & plurium theologorum, vt patet 35. 1. quod Idea nihil aliud ſit niſi res cognita in mente diuina. Idea, referente Gabr. d. 35. 1. Q. 5. eſt obiectum cognitum à principio effectiuo intellectuali, ad quod actiuum reſpiciens poteſt aliquod in eſſe reali rationabiliter producere. Scotus autem ex intentione Aug. ait. Idea eſt ratio ęterna in mente diuina, ſecundum quam aliquid eſt formabile extra, & ſecundum propriam rationem eius, li ſecundum quã, non dicit circumſtantiam potentiæ intellectiuæ, nec circumſtantiam habitus, nec obiecti mouentis, ſed tantum circumſtantiam obiecti terminantis. Idque notant Gabr. & Occam. d. 35. 1. Hæc ex iis ſequuntur Primo, Ideæ ſunt tantum in Deo obiectiuè. Secundo, omnium rerum factibilium diſtinctæ ſunt Ideæ. Tertio, Omnes partes tam eſſentiales, quam, accidentales, habent proprias Ideas. Quarto, Ideæ primo ſunt ſingularium, & non vniuerſalium, quia ſingularia ſunt primo producibilia. Quinto, Deus habet infinitas Ideas, cum habeat infinita obiecta cognita. Sexto, Priuationum, & negationum nõ ſũt Ideæ, Septimo, Secundę intentiones, per multos, non habent Ideas. At quomodo cognoſcantur à Deo dicetur alias. Et nota Franc. citare Scotum d. 47. 1. Q. 2. & addit, Scotum dicere. Idea eſt quidditas producta in eſſe intelligibili. At nunquam vidi locum, vbi id dixerit.

4\. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 8. Q. 4. ad C. dicit. Continens omnem Ideam æqualiter videtur reſpicere omne ideatum. Vnde ſapientia attributum, non magis reſpicit ſapientiam Ideatam, quam colorem ideatum, quia vtrunque eſt limitatum. Oppoſitum patet ex doctrina Sco. Nam creaturæ imitantur Deum ſecundum diuerſos gradus, ergo non reſpiciuntur æqualiter.

Lucas. Reſp. In dicto Scoti, li æqualiter, tenetur ex parte ipſius recipientis, quod eſt ſapientia, itaquod non magis aſpicit hoc, quam illud, ſed æqualiter omnia continet, cum ſit infinitum. Aut dicas, li æqualiter debet capi geometricè, non aritmeticè, & hoc accipiendo æqualiter ex parte contentorum. Aut dicitur, æqualiter, ideſt non magis ab vno, quam ab alio accipi poteſt attributum in diuinis. Sed hæc vltima reſponſio parum valet. quia ſequitur ex dictis aliorum, Dices. Scotus ait ibidem, vtrumque eſt limitatum, loquens de ſapientia ideata, & de colore ideato, ergo creaturę non ſecundum gradus perfectionum imitantur Deum, ſic æqualiter, vt dicit Scotus, ſunt limitatæ. Dico, creaturę dicuntur æqualiter limitatę, inquantum comparantur ad Deum infinitum, qui in infinitum ſuperat omnia, & ſic omnes creaturæ diſtant in infinitum æqualiter, ſed non omnes æqualiter participant Dei perfectiones. Idque elicitur à Scoto lib. 4. d. 12. Q. 2.

5\. *Iacobus.* Scotus d. 8. Q. 4. ad D. vocat intellectum, & voluntatem Dei attributum dicens ſic. Diſtinctio attributorum eſt fundamentum reſpectu diſtinctionis emanationum perſonalium. Oppoſitum huius habet Scotus lib. 1. d. 26. vbi ait Intellectum, & voluntatem non eſſe attributa, at modos.

Reſp.

Lucas. Reſp. Antequam difficultat ſatisfiat: ſcias quod attributum eſt perfectio Eſſentiæ, quaſi ſecundaria reperta in creaturis, remota imperfectione annexa his, quę ſunt in creaturis, & dicitur attributum, quaſi Deo ex creaturis tributum. Hinc prædicata primi modi, vt entitas, vita intellectualis, intellectus, voluntas &c. non ſunt attributa, quia non ſunt perfectiones ſecundæ. Nam relationes in diuinis ſunt attributa, quia non ſunt perfectiones ſimpliciter. Immenſitas etiam, omnipotentia, neceſſitas, æternitas, & ſimilia, non ſunt attributa, cum non ſint reperta in creaturis. Nec attributum poteſt ſumi à conceptu quidditatiuo creato, quia talis conceptus eſt ex ſe limitatus, & ſibi repugnat perfectio ſimpliciter, & quodlibet attributum in creaturis, vt bonitas, ſapientia, dupliciter conſiderari poteſt, aut in quantum eſt Eſſentia creata, & ſic notat limitationem, aut in quantum perficit ſubſtantiam, quæ in ſe eſt perfecta ſubſtantialiter, & non importat ſic limitationem. Nam perficere, vt perficere, non includit imperfectionem, licet perficiens, inquantum informans, dicat imperfectionem; attributum ergo acceptum à creatura, & Deo tributum, ei tribuitur, inquantum perficiens, & non inquantum informans. His notatis, dicitur ad Contrad. Vigerius d. 26. pr. ſic reſpondet. Intellectus, & voluntas ſi capiantur pro vita intellectiua, & volitiua, ſunt modi intrinſeci. Sed hoc non videtur ſtare. Nam Sco. 1. Q. Quol. ait. Si Eſſentia diuina diffiniretur, vita intellectualis eſſet intra eius rationem. Non ſunt ergo modi intrinſeci, vt Vigerius dicit. Quid ad Sco. d. 26. pr. Hæc ſe habent per ordinem. Primo ſunt prædicata eſſentialia Dei. Secundo modi intrinſeci. Tertio attributa. Intentio Sco. erat 26. pr. probare intellectualitatem non eſſe attributum; at vt id faceret ſufficiebat intellectum remouere à tertio loco, & collocare in ſecundo loco; ideo dixit, intellectualitatem eſſe modum intrinſecum, non quod velit, vt ſe vera ſit modus intrinſecus, cum in litera ibidem immediatè præcedenti cõpararit intellectualitatem rationali. At manifeſtum eſt rationale non eſſe modum intrinſecum homini, at de eius ratione formali; quidam aiunt, intellectualitatem bifariam accipi, vt eſt habitudo, & vt potentia, at nil valet iſta diſtinctio cum nullo modo, ſiue ſic, ſiue ſic accipiatur, eſt modus intrinſecus. Erit ne attributum? Non, niſi fuſo vocabulo, & propriè intellectus, & voluntas ſunt prædicata primi modi, & tunc loquendo ſic fuſo vocabulo ratio Sco. valet in Thomam. Si hæc, quæ tantum largo modo ſunt attributa differunt, à fortiori ea, quæ ſunt verè attributa ab intra differerent.

Iacobus. Scotus lib. 1. d. 8. Q. 4. ad D. dicit. Emanationes diſtinguntur realiter, vt ſpiratio, & generatio, & reſpiciunt intellectum, & voluntatem aliquo modo diſtincta, quia ſpiratio, & generatio ſunt alterius rationis, hinc principia debent eſſe diſtincta. Oppoſitum, imo maximum inconueniens ſequitur ex hoc. Nam ſpiratio, & creatio ſunt alterius rationis, ergo debent habere principia aliqualiter diſtincta, quod eſt falſum. Etiam. Intellectus noſter per actum dicendi producit verbum, & per actum generationis producit habitum, at dicere, & generare ſunt alterius rationis, & tamen ſunt ab eodem principio.

Lucas. Reſp. Omnes propoſitiones enumeratæ in difficultatibus propoſitis ſunt alterius rationis ratione terminorum, at non ratione principij actiui, & ſic ſatisfit omnibus obiectis. Poteris notare, hæc talia tribus modis diffe-

differre, aut ratione principij actiui, aut ratione terminorum, aut ex ſuis rationibus formalibus, vt docet Sco. lib. 2. d. 1. Q. 6. & alibi. Thomiſtæ nitentes reſpondere huic dicto. Generatio, & ſpiratio ſunt alterius rationis, ergo præſupponunt aliqua diſtincta ex natura rei. Dicunt. Productiones non præſupponunt aliqua diſtincta ex natura rei, inter intellectum, & voluntatem, ſed tantum, quod illa duo in Deo ſint formaliter, & quod diuina Eſſentia, ex hoc, quod eſt intellectus, non eſt voluntas, & e conuerſo, ex quo ſequitur, quod aliquid conuenit ei, in quantum intellectus eſt, quod non conuenit ei, inquantum voluntas eſt. Ex hoc non ſequitur aliqua diſtinctio actualis, ſed quod ſolum ante actum intellectus inchoata eſt diſtinctio rationis attributorum in Eſſentia diuina. At illa reſponſio non videtur ſtare. Nam intellectus, & voluntas ante actum intellectus, ſunt pęnitus idem, aut non, ſi non, habetur propoſitum, ſi ſic. Ergo, quicquid intellectui competit, voluntati competit, & econtra, & multa alia abſurda ſequuntur. Alij Thomiſtæ dicunt, non eſt vera illa propoſitio, vbi principium pænitus indiſtinctum æquipollet diſtinctis principijs realiter, & tunc poteſt eſſe principium emanationum, non minus, quam ſi eſſent principia realiter diſtincta. Sed ponit hęc reſponſio intellectum, & voluntatem tantum per æquipollentiam, & non formaliter, quod eſt valde inconueniens. Gaietanus ait, quod obiecta intellectus, & voluntatis, vt verum, & bonum ſunt diſtincta fundamentaliter. Id eſt falſum. Nam ſi actualis intellectio, & actualis volitio ſit, ergo obiecta debent eſſe actu. Inſuper. Intellectus, & voluntas reſpiciunt obiecta ſub alia, & alia ratione, ergo, vt verè reſpiciunt ea, oportet, quod ſint verè diſtincta, & ad id, quod addit Gaietanus. In diuinis ante actum intellectus eſt diſtinctio formalis non formaliter, ſed virtualiter, ideſt eminenter contenta hoc modo, quia quodlibet diuinum propriam operationem exequitur, ac ſi eſſet diſtinctum ab alio. Intellectus, enim ita intelligit, quod non vult, & voluntas ita vult, quod non intelligit, ac ſi eſſet diſtinctio formalis formaliter. Hæc Gaetanus. Sed quomodo operatur diſtinctos actus ſine aliqua actuali diſtinctione?

7. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 8. Q. 4. ad E dicit. Vbi eſt mera diſtinctio rationis, non requiritur reſpectus ad aliquid extra. Oppoſitum huius apparet ſic. Omnis relatio rationis fit ſemper ex comparatione vnius ad alterum, ergo ſicut relatio rationis requirit rem ad extra comparatam, ita & diſtinctio rationis requirit reſpectum ad aliquid extra.

Lucas. Reſp. quamuis omnis relatio rationis ſit cauſata, vel ſaltim derelicta per aliquem actum collatiuum intellectus, vel alterius potētiæ comparantis vnum obiectum ad aliud, ſicque non poteſt fieri ſine tali re comparata, tamen multa ſola ratione diſtinguuntur ſine reſpectu, ad extra, ideſt vt intelligantur diſtingui ratione, non habent hoc per reſpectum ad extra, imo per impoſſibile, remoto omni reſpectu ad extra, adhuc diſtinguerentur. Nam licet intentio generis, & ſpeciei ſint cauſatæ ſuo modo per actum intellectus comparantis vnum obiectū ad aliud, tamen quod inter ſe diſtinguantur, non habent id per reſpectū ad extra.

8. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 8. Q. 4. ad E dicit. Vbi verè eſt diſtinctio rationis, non requiritur reſpectus ad extra, ſicut eſt in diffinitione, & diffinitio. Oppoſitum patet de propoſitione per ſe nota, vbi vult diffinitionem, & diffinitum ex natura rei diſtingui.

Reſp.

Lucas. Reſp. Diffinitio, & diffinitum conſiderantur multipliciter, aut pro vocibus, & ſic realiter diſtinguntur, aut pro conceptibus formalibus, & ſic etiam realiter diſtingútur, aut pro conceptibus obiectiuis tantum, ſicq; diſtinguntur ex natura rei, aut tandem, vt ſunt intentiones, & ratione diſtinguntur. Aut dicas, Scotus d. 8. pr. loquitur ad hominem, dum ait. Diffinitio, & diffinitum ratione diſtinguntur, id ex datis a Thomiſtis, & alijs, ſic tenentibus.

9. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 8. Q. 4. ad I. dicit. Nulla diſtinctio realis neceſſario prę exigit diſtinctionem, quę eſt tantum rationis. Oppoſitum ſic apparet ex doctrina ſua. Nam diſtinctio realis creaturarum, puta, hominis, & equi, realiter exiſtentis praexigit de neceſſitate diſtinctionem Idearum, ſcilicet eſſe cognitum vtriuſque, quod eſt ens rationis.

Lucas. Reſp. Scoti dictum ſic intelligitur. Reale non præexigit rationale, vt ſuum diſtinctiuum, quia nulla relatio rationis poteſt eſſe ratio diſtinguendi aliqua realiter, at non negat dictum ſimpliciter, & abſolute; neque Ideę, quamuis præexigantur, non tamen in ratione diſtinguendi; quia, ſi per impoſſibile, non eſſet Idea lapidis, & hominis, adhuc realiter inter ſe diſtinguerentur. Si autem intellectus, & voluntas eſſent in Deo tantum ens rationis, vt Antiqui notant, ens tunc rationis eſſet ratio diſtinguendi aliqua realiter, ſcilicet generationem,& ſpirationem quæ diſtingútur realiter,quod pro inconueniéti habet Sco. in Antiquos.

10. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 8. Q. 4. ad G. dicit, quod eſt purè reale non præexigit aliud; quod eſt merè ens rationis. Oppoſitum huius habet Scotus 35. d. 1. & d. 1. 2. Q. 1. vbi vult, quod eſſe reale creaturæ neceſſario præſupponat eſſe cognitum in mente diuina. Et lib. 2. d. 1. Q. 2. vult, quod creatura non poteſt fieri de ſimpliciter nihilo, vt ſimpliciter excludit omne ens, quia, vt excludit eſſe cognitum ipſius, non poteſt fieri. Rurſus. In intellectu diuino ante productionem cuiuſcunque creaturæ ſit aliqua relatio rationis, ſcilicet comparando ſe ipſum ad alia, vel ad ſuam Eſſentiam, vt patet d. 30. pr.

Lucas. Reſp. Sic intelligas dictum Sco. Ens verè reale non præſupponit ens rationis, ita quod ens rationis ſit ratio eſſendi entis realis, ſicut intellectus diuinus eſt ratio productionis filij per modum naturæ, & voluntas eſt ratio producendi per modum libertatis; eſſe autem cognitum, & ſi præſupponatur, non eſt tamen ratio eſſendi creaturæ, nam circumſcripto, adhuc voluntas diuina poteſt producere. Nam ponitur tale eſſe cognitum, ſiue ideale, quia intellectus diuinus ante omnem actum voluntatis de neceſſitate intelligit obiecta poſſibilia, vt ait Sco. lib. 1. d. 3. Q. 4. Et d. 35. 36. 39. 41. & 43. Etiam, poſito quod tale præexigatur, non tamen eſt ſimpliciter purum ens rationis, quia ſibi non repugnat eſſe realis exiſtentię: vt homo ab ęterno habet eſſe cognitum, & ſibi non repugnat verum eſſe reale. Adde, homo, vt habet eſſe cognitum in intellectu diuino, eſt ſimpliciter perfectius,& verius ens, quam in ſua actuali exiſtentia, licet in ſe ſit verius tale. Et ſi requirat, non vt ſui effectiuum, & principiatiuum.

11. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 8. Q. 4. ad G. dicit, quod eſt poſterius naturaliter non poteſt eſſe perfectius ens ente priori naturaliter. Oppoſitum huius patet de compoſito, quod eſt poſterius partibus eſſentialibus, & tamen eſt perfectius illis. Similiter forma eſt naturaliter poſterior materia, & tamen eſt perfectior.

Reſp

Lucas. Reſp. Lichetus dicit, aliquid eſſe poſterius alio ſtat multipliciter. Primo, vt compoſitum eſt naturaliter poſterius ſuis partibus. Secundo, vt forma eſt poſterior materia. Tertio, vt effectus eſt naturaliter poſterior ſua cauſa. Quarto, vt menſuratum eſt poſterius menſura. Quinto, vt imperfectum abſolutè eſt naturaliter poſterius perfecto. Tunc dicit. Poſterius primo, & ſecundo modis eſt perfectius ſuo priori, at tertio, & quarto, & quinto modis, ſemper poſterius eſt imperfectius, licet tertio poſſit eſſe quandoque perfectum, quando ſcilicet eſt cauſa vniuoca, ſi autem æquiuoca partialis minus principalis, tunc effectus eſt perfectior cauſa, ſi vero ſit cauſa æquiuoca totalis, ſiue partialis magis principalis, tunc cauſa eſt perfectior effectu, vt habet Scotus vbiq; Cum itaque Scotus dicit. Poſterius naturaliter non poteſt eſſe perfectius priori naturaliter, debet intelligi tertio, quarto, & quinto modis non autem primo, & ſecundo modis. Dum igitur ens rationis non præexigatur enti reali primo modo, quia non eſt pars eſſentialis eius, nec ſecundo modo, quia non eſt ſubiectum perfectibile ab ente reali, ſi ergo præexigatur, aliquo modo trium ſequentium pręexigitur, at id non; quia de neceſſitate ens reale eſſet ens rationis. Cum itaque diſtinctio emanationum ſit realis, & poſterior intellectu, & voluntate, & intellectus, & voluntas ſunt principia diſtinguendi illa duo modo prædicto, itaque non eſt ibi ens rationis, ſed ſunt ibi verè ex natura rei. Hæc Lichetus. Aliter dicitur. Ens reale non præſupponit ens rationis, tanquam prius, vt principium productiuum.

12. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 8. Q. 4 ad H. dicit. Illa autem beatitudo, vt dicitur, requirit rationem propriam obiecti, & potentię, & operationis. Oppoſitum patet in materia de beatitudine ex Scoto. Nam ipſa operatio eſt beatitudo, ergo non videtur poſſe requiri ad beatitudinem.

Lucas. Reſp. Foret hic diſputandum, an beatitudo conſiſtat in vna, vel in pluribus operationibus, At pro hoc conſule Sco. l. 4. d. 49. Q. 3. per totum, vbi reperies plures modos dicendi, in quo conſiſtat beatitudo, & ad præſens dico, quod duplex eſt beatitudo, formalis, & obiectiua, formalis beatitudo eſt operatio, ſed requiritur etiam obiectiua, vt inquit Scotus d. 8. pr.

13. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 8. Q. 4. ad I. volens probare, quod quælibet perfectio ſimpliciter eſt formaliter in ente perfecto ex natura rei, dicit. Tum quia aliter non eſſet Deus perfectus, ſimpliciter, quia non eſſet, quo maius excogitari non poteſt. Oppoſitum ſic deducitur ex 5. Q. Quol. vbi habet Scotus, quod Eſſentia, & quodlibet attributum habet ſuam propriam infinitatem diſtinctam formaliter ab infinitate alterius, eo modo quo diſtinctio formalis inter modos reperiri poteſt, ſicque ſi Deus careret aliqua perfectione harum poſſet maius excogitari.

Lucas. Reſp. & ſi Deus careret aliqua perfectione ſimpliciter, certum eſt, quod in ſui ratione, remaneret infinitus, ſed non eſſet ſimpliciter perfectus ſine omnibus perfectionibus, & ſi diſtinguantur ab eo, & habet infinitudinem formaliter diſtinctam. Dices. Si in ſui ratione remaneret infinitus, ergo ſi careret, vt poté, ſapientia, videtur quod permaneat perfectus. Reſp. Perfectio eſt duplex, quidditatiua modaliter, & ſimpliciter. Deus tunc eſſet perfectus quidditatiué, & modaliter, ſed non ſimpliciter.

14. *Iacobus.* Sco. l. 1. d. 8. Q. 4. ad M. dicit intellectus diuinus actu ſuo non poteſt cauſare

aut

niſi relationem rationis. Oppoſitum huius habet Sco. & elicitur ex 1. d. 3. Q. 4. in corp. quæſiti & d. 36. pr. vbi vult, quod intellectus diuinus actu ſuo producat omne ens in eſſe cognito, & tamen illud eſſe cognitum non eſt ſola relatio rationis, vt declarat Sco. d. 30. pr. & alibi, Immo vult expreſsè d. 43. pr. quod intellectus diuinus actu ſuo producit quodlibet ens in eſſe poſſibili, & tamen illud ens poſſibile non eſt ſola relatio rationis, ſed eſt ens quidditatiuè, vt patet à Scoto d. 11. lib. 3. Q. 5. & d. 36. & d. 3. 2. lib.

Lichet. Reſp. Omnibus ijs, & ſimilibus Lichetus ſatisfacit. Actus intellectus diuini dupliciter conſideratur; primo, vt reſpicit obiectum in ſe, ſecundo, inquantùm reſpicit obiectum cognitum, & hoc modo non poteſt cauſare niſi relationes rationis, quia tantum in quantum cognitum, dicitur habere eſſe diminutum. Debet ergo ſic intelligi Sco. quod intellectus actu ſuo comparatiuo, qui eſt reſpectu obiecti cogniti comparati ad aliud, inquantum huiuſmodi cauſat entia rationis. At breuius dici poteſt, quod Scotus intelligit de actu negociatiuo, quo dicebat Henr, attributa cauſare. At quid eſt actus collatiuus, ſeu ſecunda intentio, in via Scoti? Reſp. Scotus lib. 1. d. 13. Secunda intentio eſt relatio rationis, non quæcunque, at pertinens ad extremum, vel actum intellectus componentis, vel diuidentis, aut ſaltem conferentis vnum ad alterum, hocque patet, quia ſecundum omnes, ſecunda intentio cauſatur per actum intellectus negociantis circa rem primæ intentionis. Hæc Sco. & nullibi clarius diffinit ſecundam intentionem. Tamen d. 2. p. 2. Q. 1. ait. Quicquid intellectus cauſat ſine actione obiecti circa obiectum præcisè, hoc eſt virtute propria intellectus, & hoc loquendo de obiecto, vt in intellectu, habet eſſe præcisè in intellectu, & de intellectu conſiderans eſt præcisè relatio rationis. Hæc Scotus. Dices. huius oppoſitum habet Scotus lib. 4. d. 1. Q. 2. vbi dicit, quod ſecunda intentio ſit comparatio paſſiua &c. Reſp. illa comparatio paſſiua non eſt ens rationis, ſeu ſecunda inteñtio. Sed Scotus appellauit eam ens rationis, quia per eam immediatè cauſatur ens rationis, & non ſic cauſatur per actum rectum. In ſe enim illa comparatio eſt ens reale, per quam immediatè cauſatur ens rationis. Et nota, quod in plus ſe habet relatio rationis, quam ſecunda intentio, patet. Sco. lib. 1. d. 47. & lib. 2. d. 6. Q. 2. & alibi dicit, quod relatio rationis non tantum cauſatur ab intellectu, ſed etiam à voluntate, & relatio rationis cauſata à voluntate non eſt ſecunda intentio. & ob id Sco. in diffinitione dixit, eſt relatio rationis, non quæcunque, ſed pertinens ad extremum, vel actum intellectus componentis, & diuidentis. Dices tandem, quærendo, quomodo ſecunda intentio eſt relatio pertinens ad extremum, vel actum intellectus componentis, & diuidentis? Lichetus ſuper 23. D. pr. ſic exponit, id eſt, pertinet ad ſubiectum, vel prędicatum propoſitionis affirmatiuæ, vel negatiuæ, & ſic accipitur ſecunda intentio, vt ponitur ſubiectum decem Prædicamentorum, quia omne ſubiectum, vel prędicatum pertinet ad terminos ſimplices, qui ſunt vniuerſale, ſingulare, proprium, accidens, & ſimilia, & tales pertinent ad actum intellectus componentis, & diuidentis, id eſt, quod accipitur pro relatione fabricata in propoſitione affirmatiua, vel negatiua, vel ad actum intellectus comparantis vnum ad aliud, & hoc vltimo dicit Scotus in vniuerſalibus, & hoc dictum Doctoris, quod intellectus negotians,

circa obiectum cognitum non poteſt cauſare, niſi relationem rationis. d. 8. Q. penult. declaratur. Hæc Lichetus.

Ioſ. Iacobus. Scotus lib. 1. d. 8. Q. 4. ad M. dicit. Intellectus diuinus non cognoſcit aliquod obiectum, niſi ſecundum quod exiſtens. Oppoſitum huius apparet ſic. Nam ab æterno intellectus diuinus (vt ait Scotus Q. de ſinceris veritatibus, & alibi) cognouit creaturas, quæ tamen non fuerunt exiſtentes in propria exiſtentia.

Lucas. Reſp. Intellectum diuinum cognoſcere ſtat tribus modis. Primo, vt obiectum primarium in ſe formaliter exiſtens virtute propria ſuo modo mouens, & ſic intuitiuè cognoſcit Eſſentiam ſuam. Secundo tanquam obiectum non primarium, nec eminenter contentum in Eſſentia diuina, neque ex ſua ratione formali aliquo modo mouens intellectum diuinum ad cognitionem ſui, vt proprietates hipoſtaticæ ad intra cognoſcuntur virtute Eſſentiæ intuitiuè, & non continentur eminenter in illa propter perfectã identitatem earum realem cum Eſſentia diuina. Tertio, tanquam obiectum ſecundarium eminenter contentum in Eſſentia. Nam Eſſentia eſt perfectiſſima ratio cognoſcendi omnem creaturam maximè in eſſe quidditatiuo; ſicque cognitio intuitiua intellectus diuini terminatur ad aliquod exiſtens in propria exiſtentia, aut ad aliquod, quod ſecundum ſuam totam entitatem continetur in verò exiſtente, quod eſt cauſa talis cognitionis. Hocque tertio modo creaturæ cognoſcuntur quidditatiuè ab intellectu diuino ab æterno. At quæres. Quomodo Deus cognoſcit relationes rationis, cum nequeat cognoſcere niſi intuitiuè, quæ cognitio requirit propriam exiſtentiam? Reſp. huic difficultati Lich. ſuper 4. Q. d. 8. lib. 1. quod cognoſci intuitiuè in Deo contingit tripliciter. Primo, vt eſt in propriã exiſtentia, vt Eſſentia diuina. Secundo, vt eminenter continetur in Eſſentia. Tertio, quando non habet propriam exiſtentiam, nec in ſe, nec in alio, nec etiam continetur eminenter, tamen perfectiſſimè cognoſcitur ſecundum ſuam totam entitatem, quantum poteſt cognoſci cognitione perfectiſſima, quæ nata eſt haberi de illo. Hoc tertio modo, relationes rationis cognoſcuntur perfectiſſimè ab intellectu diuino. Tu verò vide, an modus iſte tintillet. Ioa. de Baſolis Q. 1. Prol. dicit Ad notitiam intuitiuam requiritur tantũ, quod exiſtat obiectum primarium, & non requiritur, quod exiſtat obiectum ſecundarium, quia Deus cognoſcit ſecundaria, poſſibilia, negationes, & impoſſibilia, quæ non exiſtunt extra, nec poſſunt exiſtere, & tamen intuitiuè à Deo cognoſcuntur. At id nihil eſt: nam & ſi obiecta ſecundaria non habeant illam exiſtentiam realem in genere proprio, vt habet Eſſentia, tamen neceſſario volunt aliquam exiſtentiam realem idealem, vt intuitiuè cognoſcantur a Deo. Quidam dixerunt. Deus cognoſcit ſecundas intentiones, & entia rationis, media quadam notitia, quæ nec intuitiua eſt, nec abſtractiua. Vnde Franc. Q. 10. prol. ponit vltra has duas notitias illatiuam, & illatiuam dicit eſſe, quando cognoſcuntur relationes ex cognitione fundamentorum, & id vllo pacto tueri poteſt. Nam cognitio abſtractiua, & intuitiua contradicunt, ob id medium non admittunt, & illæ duæ notitiæ mediæ, ſi benè ponderentur ambæ ſunt diſcurſiuæ, & omnino Deo repugnant, & reducuntur aut intuitiuam, aut ad abſtractiuam. Landulphus lib. 1. & 2. d. 11. Q. 7. & 8. ponit notitiam mediam inter intuitiuam, & abſtractiuam, & dicit, quod talis cognitio media eſt, quę

habet

habet obiectum exiſtens, & præſens, ſed non transfertur in ipſum; niſi ſub ratione quidditatiua, non concernendo præſentialitatem, ſicut, roſa pręſente, conſidero præcisè quod ſit roſa. Hęc Landul. At certè iſta talis notitia eſt intuitiua, quoniam exiſtentia non eſt ratio notitiæ intuitiuæ, at ratio tantum ſine qua non, & tunc Deus cognoſceret alio modo, quam intuitiuè, quod non conceditur. Nonnulli alij dicunt. Secundę intentiones vt cognoſcantur, ſufficit, quod fundamenta earum reluceant in mente diuina. Tandem ponitur modus Sco. quod ſecundæ intentiones cognoſcuntur ab intellectu diuino intuitiuè, & quamuis non poſſint eſſe in Deo eminenter (cum non ſint capaces talis eſſe, tamen ſunt in Deo ſubiectiuè, vt patet ex Scoto d. 39. p. Q. 4. ſol. 2. arg. quod taliter ſint in Deo patet ſic. Non magis repugnant Deo modi ſignificandi logicè, quam grammaticè, ſed manifeſtum eſt, quod modi ſignificandi grammatici attribuuntur Deo, ergo & logici ab eo non debent negari. Dices. An in Deo poſſit aliquid de nouo ineſſe. Profecto, logicè, & grammaticè poteſt, at non phiſicè, & Methaphiſicè, & Lich. addit. Minimè, realiter, & intrinſicè, ſed benè prædicatiuè; ſicut dicimus, quod paries eſt viſus; viſio tantum ineſt parieti pręedicatiuè, & denominatione extrinſeca, ſicut dicitur Dominus ex tempore denominatione extrinſeca, & tantum prædicatiuè, & non per nouam relationem inexiſtentē ſibi. Et nota, quod tenentes notitiam intuitiuam ſumi à ratione motiua obiecti, conſequenter dicunt, entia abſoluta ſolum cognoſci intuitiuè, & nullā relationem poſſe intuitiuè cognoſci, quod tamen eſt falſum. At de ratione notitiæ intuitiuæ non eſt, quod obiectum moueat, ſed quod terminet in propria præſentia, & id patet ex diffinitione notitiæ intuitiuæ ex Scoto lib. 1. d. 2. p. 2. Q. 1. vbi ait. Notta intuitiua eſt obiecti, vt obiectum eſt pręſens in exiſtentia actuali. Et nunquam dixit, quod requiratur, vt moueat. Quod obiectum præſens requiratur in ratione terminatiua, & non motiua, patet ſic. Si Deus ſupleret totám actiuitatem obiecti, & tamen faceret notitiam terminari ad obiectum præſens, vt pręſens, eſſet intuitiua. Rurſus notitia intuitiua, & abſtractiua differunt ſpecie, ergo per aliqua eſſentialia, & mouere eſt accidentale ex 15. d. lib. 3. ergo differunt eſſentialiter per terminare.

16. *Lectobar.* Scotus lib. 1. d. 8. Q. 4. ad Q. dicit. Infinitas non deſtruit formaliter rationem illius, cui additur. Ex quo loco Auct. Formal. de diſtinctione, & identitate ex natura rei, colligit diffinitionem modi intrinſeci, ſic dicens. Eſt autem modus intrinſecus, ſecundum Scotum, qui additus alteri, non variat rationem formalem conſtituti per ipſum. Oppoſitum huius deducitur iſta ratione. Si non variat rationem formalem, ſubſtantia non diſtinguitur formaliter à nouem prædicamentis, patet ſic Nam ens deſcęndit in decem prædicamenta per modos, ſcilicet per ens in ſe; & ens in alio, deſcendit per quantum, quale, & c. ſed diſtinctio per modos non variat rationem formalem, vt dictum eſt, ergo prædicamenta non ſunt diſtincta formaliter.

Lucas. Reſp. Duo faciam in pręſenti difficultate, primo, de modo intrinſeco dicam aliquid, poſtea ſatisfaciam contradictioni. Diffinitio modi intrinſeci datur etiam a Franc. d. 8. p. Q. 5. & non eſt eadem cum diffinitione, quam dat Auct. Formal. loco citato, cum addat, conſtituti per ipſū, quod non ponitur a Scoto. Vnde nota, quod modus intrinſecus ad

tria poteſt comparari, primo ad illud, cui aduenit, vt quando aduenit ſapientiæ, vel bonitati & ſic non variat eius rationem. Secundo, ad illud, quod contrahit, vt ad ens, & ſic non variat rationem eius, quod contrahit, & in hoc conuenit modus cum differentia, quia etiam differentia non variat rationem eius, quod contrahit, vt rationale non variat rationem animalis. Dices, finitas, & infinitas variant rationem entis, quia ens finitum, & infinitum diſtinguntur formaliter, & quidditatiue. Reſp. Tromb. in formal. Ens finitum, & infinitum dupliciter conſiderantur fundamentaliter, & formaliter. Fundamentaliter diſtinguuntur eſſentialiter, & non præcisè ratione finitatis, vel infinitatis, ſed ratione eſſentiæ, ad quam iſta ſequuntur, ſe ipſis diſtinguntur eſſẽtialiter. Si vero capiãtur formaliter, tãtũ modaliter diſtingũtur, Quæres Conceſſo, quod modus intrinſecus non variat rationem formalem cui additur, nec eius, quod contrahit. An variet rationem formalem conſtituti per ipſum? Hęc eſt tertia comparatio modi intrinſeci, quando comparatur ad conſtitutum, & non variat rationem eius, vt dicit Franc. d. 8. Q. 5. Et in hoc differt modus a differentia. Nam differentia variat rationem conſtituti per eam, & modus intrinſecus non. Vnde per ſui appoſitionem, & remotionem variat rationem formalem hominis, & ita concludo, quod modus nullius variat rationem formalem, nec contracti, nec eius, cui aduenit, nec conſtituti per eum. Trombetta vult, quod dicatur modus intrinſecus, quia non ingreditur in quidditatem eius, cuius eſt, & quia non diſtinguitur ab eo formaliter poſitiuè, quia nullam formalitatem habet, quod eſt verum de modo intrinſeco ſpecifico, ſed non de conſequente eſſe indiuiduale, ſicut intenſio, & remiſſio: nam illi gradus ſunt formalitates, quia terminant motum alterationis. Franc. d. 8. q. 3. & d. 9. q. 1. dicit, quod dicitur modus intrinſecus, quia reducitur ad idem genus, ad quod ratio formalis, cuius eſt modus, & quia non variat rationem formalem conſtituti, & eſt per ſe inconceptibilis, quia non poteſt concipi ſine re, cuius eſt modus, tamen poteſt diffiniri: & ſic non in ſe vt terminat, ſaltem intellectionem concomitantem rem, cuius eſt modus, & non ſeorſum, & in ratione talis concumitantię diffinitur, & noſcitur. Adde; quod ſunt aliqui tenentes modum intrinſecum variare rationem formalem conſtituti, & id eſt contra. Auct. Formal. Salua eum. Diſtinguendo de vltima ratione conſtitutiua, quæ bene variatur, ſed talis non debet vocari ratio formalis, cum modus non ſit formalitas, ſed tantum ratio modalis. His dictis. Reſp. contradic. Decem prædicamenta non tantum per modos diſtinguntur, ſed (vt ait Canon.) per proprias quidditates nobis ignotas, tamen quantum ad noſtrum modum concipiendi confusè diſtinguntur per modos; abſolutè verò, & formaliter per quidditates. Dices, ſi modus intrinſecus non variat rationem formalem, Deus non eſt diſtinctus formaliter à creatura, quia ens diuiditur per finitum, & infinitum. Reſp. quære. Dices amplius quando prædicatur concretum de abſtracto, propoſitio non eſt vera, niſi in primo modo dicendi per ſe, ſed in hac, Eſſentia diuina eſt infinita, prædicatur concretum de abſtracto, ergo eſt in primo modo, ergo modus intrinſecus non variat rationem formalem; nam quod ſic prædicatur, dicit formalitatem. Dico. Eſſentia diuina eſt infinita, ergo prædicatio quidditatiua, tunc eſſet verum, quando eſſet in primo

modo

modo, & in primo gradu, at iſta non eſt in primo gradu primi modi. Et ſic patet ad difficultatem.

17. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 8. Q. 4. ad R. dicit. Includere aliquid formaliter, vt in communi, eſt includere aliquid in ratione ſua eſſentiali, ex quo patet, quod ſuperius ſit idem formaliter ſuo inferiori. Oppoſitum huius patet lib. 1. d. 2. p. 2. Q. 1. ad Hh. vbi vult, quod inferius ſit idem formaliter ſuperiori.

Lucas. Reſp. Eſſe idem formaliter tripliciter ſumitur. Primo, vt idem eſt, quod includere aliquid in ſua ratione formali. Secundo quod idem eſt, quod eſſe de ratione formali alterius. Tertio, vt idē eſt quod dicere eādē formalitatem. Dico ergo. Inferius eſt idem formaliter ſuperiori primo modo, & non econtra, & eſt identitas formalis non mutua. Sic loquitur Scotus d. 2. pr. Superius eſt idem formaliter inferiori directe poſito ſub eo, ſecundo modo, & non e contra, & eſt etiam identitas formalis non mutua. Hoc modo loquitur Sco. d. 8. pr. At ſuperius, & inferius, non dicunt eadem formalitatem.

18. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 8. Q. 4. adfert in corp. quæſt. rationes, & auctoritates probantes diſtinctionem formalem inter attributa. Oppoſitum ita deducitur. Nihil eſt ponendum in diuinis, niſi quod habetur ratione naturali, vel fide, aut ſacra pagina, vel Auctore autentico, At hæ formalitates non habentur ab aliquo horum, quod in Deo ſint ponendæ, ergo non ſunt ponendæ.

Lucas. Reſp. Vtique ratione naturali, fide, ſacra ſcriptura, & dictis Doctorum autenticorum intentum Scoti probatur. Et primo, ratione naturali. Quandocunque aliqua ſic ſe habent, quod aliquid conuenit vni ex natura rei, ſecluſo opere intellectus, quod non conuenit alteri, ibi eſt diſtinctio ex natura rei, at intellectui, ſecluſo omni opere intellectus, diuino conuenit intelligere, & non conuenit voluntati, ergo diſtinguuntur ex natura rei. Tum, quando vnum eſt abſolutum a parte rei formaliter, & quidditatiue, & aliud eſt formaliter relatiuum, illa dicunt diſtinctas formalitates, multa ſic ſunt in Deo. Pro iſta probatione naturali poterunt adduci illę duodecim contrad. Franc. lib. 1. d. 8. Q. 3. Prima eſt, Pater producit filium intellectu, & non voluntate, & Spiritum Sanctum voluntate, & non intellectu, ergo &c. Secunda Actus intelligendi terminatur ad bona, & ad mala, & actus volendi terminatur tantum ad bona, ergo diſtinctio. Tertia. Deus ſua volitione bona vult, & non mala, & ſua nolitione mala, & non bona, ergo &c. Quarta. Deus ab æterno voluit omnia, quæ facta ſunt voluntate beneplaciti, ſed non voluntate ſigni. Quinta, Potentia ordinata non poteſt velle aliquid, quod poteſt velle potentia abſoluta. Sexta, Notitia ſimplicis viſionis non eſt notitia ſimplicis intelligentiæ. Septima, Sapientia diuina eſt de æternis, & ſcientia de temporalibus. Octaua, Aliquid conuenit iuſtitiæ, quod non conuenit miſericordiæ. Nona, Deus fruitur ſe, & nō creatura, & vtitur creatura nō ſe. Decima, Infinitas repugnat relationi diuinæ, non tamen neceſſitas. Vndecima, Ratio ſubſtātiæ cōmunicatur lapidi, & non ſpiritus ratio. Vltima fundatur in cauſalitate, & ęternitate. Deus eſt æternus. id eſt naturaliter notum, Deus eſt efficiens; non eſt ſic, loquendo de efficientia, vt loquuntur Theologi. Fide quoque ſic patet. Credimus, quod Eſſentia diuina eſt communicabilis, & de facto communicatur tribus perſonis, & eſt abſolutiſ-

ſima

ſima. Paternitas autem nec eſt communicabilis, nec communicatur, nec eſt eiſ abſolutum, ergo fide, in Deo eſt diſtinctio formalitatum. Et ſcriptura probatur. Ad Rom. 1. Inuiſibilia Dei, per ea, quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur. Hæc autem inuiſibilia, aut ſunt eſſentialia, & habetur propoſitum, quod multa eſſentialia ſunt conſpecta, & non ficta; aut ſunt perſonalia. Hæc autem ſecundum Aug. & Hilar: non conceduntur plura in neutro genere. Perſonæ enim ſunt plures, & non plura. Rurſus ad Rom. c. 2. dicitur, quod benignitas Dei adducit illum ad pœnitentiam, qui in futurum iram eius theſaurizat, & ſic Deus, nunc ad illum habet benignitatem, & non iram, & in futurum iram, & non benignitatem, ergo, inter hæc a poſteriori eſt neceſſaria aliqua diſtinctio. Etiam ad Rom. 11. O altitudo diuitiarum ſap. & ſcien. Dei &c. Aut idem intelligitur per ſcientiam, & ſapientiā, & tunc foret inutilis repetitio; aut aliquo modo non ſunt idem, & habetur propoſitum. Tandem pr. ad Cor. cap. 2. Ea quę ſunt Dei, nemo nouit, niſi Spiritus Dei. Ex quo habetur, quod Spiritus Sanctus plura cognoſcit intuitiuè, ergo ſunt ibi ex natura rei. Ex dictis etiam ſanctorum patent hæ formalitates, lege Scotum d. 8. Q. 4. lib. 1. Dices; omne illud, quod eſt perfectum ſimpliciter includit omnem perfectionem ſimpliciter modo perfectiſſimo, ſed Deus eſt ens perfectiſſimum & attributa dicunt perfectionem ſimpliciter, ergo Eſſentia diuina continebit attributa modo perfectiſſimo, cum quo non poteſt ſtare formalis diſtinctio. Franc. lib. 1. d. 8. Q. 2. ſic reſp. huic difficult. quamuis primus modus perſeitatis ſit principalior, non tamen maior, quia non ſolum primus, ſed etiam ſecundus ſtat cum infinitate, & ſumma perfectione, ſicut primum ſignum originis eſt principalius, ſed non perfectius ſecundum Hil. lib. de Trin. Attributa autem, quamuis ſint ita perfecta, ſicut Eſſentia. vt pręciſa ab omnibus attributis, ſicut cum eis ſumpta ſimul, & hoc eſt, propter vnicam quantitatem virtutis, ſcilicet infinitatem, tamen opus eſt, quod in perfectiſſimo ſit omnis perfectio ſimpliciter, ſed non quidditatiue. Dices adhuc. Diuina Eſſentia eſt perfectiſſima in ſua ratione quidditatiua, & tamen poteſt intelligi aliquid perfectius ea, ſi, vt ſic accepta, non includat omnem perfectionem ſimpliciter, ſicut ſuppoſitum non includens omnem perfectionem ſimpliciter non eſt perfectiſſimum. Ad id ſic reſp. Franc. Eſſentia eſt perfectiſſima in ſua ratione formali, quia omnem perfectionem includit eo modo. quo aliquid eſt natum includere, non quidditatiuè, quia hoc ſibi repugnat, ſed tantum identicè. Dices, tandem, omnis creatura eſt imperfecta, eo quod caret aliqua perfectione, ergo Eſſentia diuina, ſi caret aliqua perfectione, in ſua quidditate erit imperfecta. Reſp. idem Franc. Eſſentia diuina non caret ſimpliciter aliqua perfectione, ſed tamen cum præciſione, ſcilicet quidditatiuè caret, quæ carentia proprie nunquam eſt ibi pro illo ſigno, pro quo natum eſt ineſſe ſibi oppoſitum carentiæ, ſicut catulus ante nonum diem non eſt cæcus, quia nullo pacto nata eſt ſibi ineſſe viſio. Pro diſtinctione attrib. potes videre Auer. 12. Meth. 39. qui ibi tenet, quod tantum diſtinguuntur ratione, tamen lib. Deſt. deſt. diſp. 4. dub. 3. & diſp. 5. dub. 4. ponit attributa ſecundum rationem formalem, & diſputatur ibidem. Vnde eſt, cum attributa ſint formaliter in Deo, quod non faciant compoſitionem. Ex quo patet, nihil reſoluti poſſe haberi de

diſtin-

diſtinctione attributorum in via Auer. Imo Baccon. lib. 1. d. 2. Q. vn. ar. 5. ait, in ſequendo viam Auerr. Tenendum eſt, quod ea, quę sũt in Deo, differant ſola ratione, ſed ſecus eſt (ait ille) in ſequendo viam Theologicam beati Aug. qui Baccon. circa attributorum diſtinctionem poſuit mediam opinionem inter Sco. & D. Thom. & loco citato dicit ſic, Venio ad punctum quęſt. & ſic teneo, quod attributa diſtinguuntur ex natura rei, quod eſt contra Aureolum, non per abſolutas rationes, at per reſpectiuas. Vnde intelligendum eſt, quod diſtinctio attributorum ex natura rei poteſt intelligi dupliciter: primo, intelligendo attributum, quantum ad per ſe rationem formalem attributi, ſcilicet prout quælibet ratio attributalis dicit quandam perfectionalem rationem abſolutam, per quem modum Sco. accipit attributum. Secundo, quod eſt contra Sco., quod quælibet ratio attributalis habeat propriam intelligibilitatem per quam conuenit ſibi diſtinctè repræſentari intellectui, vt in hoc exemplo. Non ſolum ſapientiæ, & veritas, quę ſpecialiter reſpiciunt intellectum, retinent ſuos reſpectus, ſecundum quos nata ſunt repræſentari ipſi intellectui, quæ etiam reſpiciunt voluntatem, vt bonitas, & fælicitas retinent proprios reſpectus in ordine ad voluntatem, & e contra, intellectus, & voluntas retinent ſuos reſpectus in ordine ad alia obiecta; & ſic de alijs attributis, retinent ſuas proprias intelligibilitates, ſiue repræſentatiuitates, ſecundum quas nata ſunt diſtinctè concipi ab intellectu. Hæc Baccon. Vbi vult, quod illi reſpectus ſint ex natura rei, ſed non ipſa abſoluta. At hæc poſitio ſtare non poteſt. Nam diuerſi reſpectus ex natura rei non oriuntur niſi ex diuerſitate fundamentorum, & abſolutorum ex natura rei; ergo implicat illa ſua diſtinctio reſpectuum ſine diſtinctione abſolutorum. Dimittatur itaque iſta opinio includens contradictionem. Motiua Thomiſtarum, Occam, & aliorum, & reſponſiones illorum ad argumenta, & impugnationes reſponſionum videas in Licheto d. 8. Q. 4. lib. 1. vbi expoſita litera Scoti, omnium aduerſariorum Scoti fundamenta euertit.

19. Iacobus. Scotus lib. 1. d. 8. Q. 4. ad Y. dicit. Deus quidditatiuè eſt bonus, & ſapiens. non ſic eodem eſt Deus, & pater. Oppoſitum huius videtur habere Damaſc. lib. 1. cap. 4. Si iuſtum, ſi bonum, ſi tale quid dixeris, non naturam, ſed quæ circa naturam dicis, igitur Deus non eſt quidditatiuè bonus, & ſapiens.

Aneas. Reſp. Quidditatiuæ in litera Scoti, biſariam ſumitur, primo, vt idem eſt, quod eſſentialiter, & ſic Deus non eſt quidditatiuè bonus, & ſapiens, & ſic concludit Damaſcenus, qui etiam poteſt eſſe contra Thomiſtas tenentes omnes perfectiones ſimpliciter poni in diffinitione Eſſentiæ diuinæ. Secundo, vt diſtinguitur contra hipoſtaticè, ſeu notionaliter, & hoc modo capitur a Scoto. Nam Deus eſt quidditatiuè bonus, & ſapiens, ideſt vt Deus, & non vt in perſonis.

20. Iacobus. Scotus lib. 1. d. 8. Q. 4. ad Z. dicit, Concipiendo abſtractum, vltima abſtractione concipitur, ad quodcunque, quod eſt extra propriam rationem quidditatis; ideo hæc eſt falſa. Animalitas eſt rationalitas, & ecõuerſo. Oppoſitum tamen videtur ſequi ex hoc in doctrina Scoti. Nam videtur concedere, quod iſta poſſit eſſe vera humanitas, vt humanitas, non excludit ea, quæ ſunt de ratione formali quidditatiua, ergo hæc eſt vera. Humanitas eſt animalitas.

Reſp.

Lucas. Reſp. Lich. ſic ait. Animalitas, vt animalitas nullum ſuppoſitum concernit, & ideo nullo modo poteſt verificari de inferiori, vt dictum eſt lib. 1. d. 5. Q. 1. Non enim dicit Sco. quod illud quod eſt de quidditate alterius poſſit prędicari de eo vltima abſtractione, ſed quod ſi prædicaretur, tunc prædicaretur in primo modo. Vigerius ait ſic. Si debet verificari talis prędicatio, prædicatum in huius modi debet dicere præciſam, & adæquatam quidditatem, quod vt vides, non facit animalitas reſpectu humanitatis. Adde tu. Ideo hęc non eſt vera, humanitas eſt animalitas, quia prædicatur pars per modum partis, hec autem eſt vera, homo eſt animal, quia prædicatur pars per modum totius. Errant igitur affirmantes, quod hęc ſit vera, humanitas eſt animalitas, & cõtra hos eſt Sco. 16. Q. Vniuerſaliũ, vbi ſic ait. Si iſta eſſet vera, humanitas eſt animalitas, eſſet per ſe, & ſic iſta eſſet per ſe, humanitas eſt rationalitas. Et ex his in tertia figura ſequeretur quod iſta eſſet per ſe rationalitas eſt per ſe animalitas, quod eſt contra Ariſt. 3. Meth. 11. vbi vult genus non poſſe prædicari de differentia per ſe.

12. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 8. Q. 4. ad princip. reſp. vult, quod attributa ſint formaliter infinita, & ab inuicem formaliter diſtincta. Oppoſitum videtur ſequi in doctrina eius. Nam hoc admiſſo, viderentur eſſe plures exiſtẽtiæ in Deo formaliter diſtinctæ; quia quidditas, & exiſtentia ſunt idem realiter.

Lucas. Reſp. Lichetus ſic ait. Nullum video inconueniens eſſe, immo hoc eſt ſimpliciter neceſſarium ponere in Deo plures exiſtentias ex natura rei diſtinctas, eſſet tamen inconueniens ponere plures exiſtentias realiter, & eſſentialiter diſtinctas. Idem dicendum eſt de infinitate. Infinitas vnius attributi diſtinguitur formaliter ab infinitate alterius, & tot ſunt ibi infinitates, quot ſunt attributa, Licet Franc. d. 2. Q. 1. velit, quod vnica infinitate, omnia, quæ in Deo ſunt infinitentur, poteſt tamen ad bonũ ſenſũ trahi, vt ſit vna infinitas realis, ſicut dictũ eſt de exiſtentia.

13. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 8. Q. 4. ad Z. dicit. Oppoſitum eſt in Deo, quia abſtrahendo ſapientiam à quocunque, quod eſt extra rationem ſapientiæ, & bonitatem ſimiliter abſtrahendo à quocunque, quod eſt extra rationẽ eius formaliter, remanet vtraque quidditas præcisè ſumpta formaliter infinita. Oppoſitum videtur colligi ex 5. Q. quol. vbi Scotus vult, quod modus intrinſecus non ſit de quidditate rei, & tamen ex dicto Scoti d. 8. 1. colligitur, quod modus intrinſecus ſit de quidditate, & quod prędicetur in primo modo dicendi per ſe, cum prædicetur de illa quidditate vltimatè abſtracta, vt puta, bonitas eſt infinita.

Lucas. Reſp. Antequam dicam ad difficult. Nota, quod huiuſmodi prædicationes, bonitas eſt ſapientia &c. ſunt veræ prædicatione identica, quæ prædicatio tunc eſt, quando ambo extrema, vel ſaltem alterum extremum eſt formaliter, aut permiſſiuè infinitum, quicquid dicat Vigerius, aſſerens, quod iſtæ propoſitiones, rationalitas eſt entitas, bonitas eſt entitas, ſunt tantum veræ, prout conueniunt in tertio, & non poſſunt reddi veræ ratione infinitatis permiſſiuè, quoniam Scotus d. 8. p. Q. 4. ad princip. tantum facit mentionem de propoſitione identica ex infinitate alterius extremi infiniti formaliter, & non facit aliquam mentionem de propoſitione identica propter infinitatem permiſſiuam alterius extremi, ſed id eſt contra omnes Scotiſtas communiter, præcipuè Auctor. for. cap. de diſt. & ident. Formali, & Tromb. ibidem, alligantes

res; quod propoſitio identica fit tribus modis, vt iam dictum eſt, & 3. Q. 1. dicit Sco. quod tales propoſitiones identicę ratione identitatis per miſſiuè conceduntur propter infinitatem alterius extremi excedentis. Cum dicitur.Sco. non poſuit hanc propoſitionem d. 8. p. Dic Locus ab auctoritate negatiuè non valet. Rurſus, facit ibi mentionem de propoſitione identica, quæ ad rem ibi faciebat. His viſis, dico ad contrad. hæ propoſitiones, bonitas eſt infinita &c. conceduntur in bono ſenſu, tamen de rigore ſermonis ſunt falſæ, quia cum ſubiectum ſit vltimatè abſtractum, & prædicatum non poſſit prædicari niſi formaliter, ſi eſſent veræ, eſſent in primo modo, quod non eſt verum. Dices. Sco. ait, facta illa abſtractione adhuc vtraque quidditas remanet formaliter infinita.Dico.Sco. ſic intelligit;remanét formaliter infinitę,ideſt non ſunt tantum infinitæ realiter, vt relationes, ſed formalitate propria; iſtaque expoſitio eſt neceſſaria, quia aliter modus intrinſecus variaret rationem formalem, quod tamen negatur à Scoto.

23. *Iacobus.* Scotus lib. 1.d. 8. Q. 4. ad princ. dicit hæc non conceditur in diuinis. Paternitas eſt ſpiratio actiua, neque vt vera formaliter, neque per identitatem. Ex quo ſequitur, quod generatio actiua, & ſpiratio actiua ſunt diſtincta realiter. Oppoſitum huius eſt determinatio Eccleſiæ,quæ determinauit, quod in Deo ſunt tres res realiter diſtinctæ, & Deus non eſſet trinus, at quaternarius.

Lucas. Reſp. Franc. lib. 1. d. 8. Q. 5. habet hæc verba. Sed in diuinis eſt trinitas rerum, ſed non quaternitas, Eſt ibi ſecundum omnes quaternitas relationum, non fabricata ab anima, ergo diſtinctio ex natura rei inter quatuor relationes, quæ non eſt realis, quia ibi ſic eſſent tot res, quot ſunt relationes, quod eſt falſum. Hæc Franc. Bonau. d. 26. pr. Q. 4. dicit,quod generatio actiua, & ſpiratio actiua diſtinguntur realiter. Burliſer exponit, ideſt formaliter,& dicit, ita ſe gloſare Bonauenturam, vt eum concordet cum Scoto tenente, quod, tantum diſtinguntur formaliter. At id eſt falſum, vt patet ex litera Scoti ſuperius citata, & Burliſer dixit inſequendo opinionem Scotiſtarum, qui in hoc errat, vt patet etiam ex ſententia Scoti d. 13. lib. 1. His notatis, dico ad formam dubij. Eccleſia determinauit, quod tantum ſunt tres res ſubſiſtentes realiter diſtinctæ, ſed non abſolutè determinauit, quod ſint tres res. Sunt in diuinis igitur quatuor res diſtinctæ, & neceſſariò ſunt. Nam duæ ſunt origines, & cuicunque origini correſpondent duæ relationes, actiua, ſcilicet, & paſſiua, ergo de neceſſitate erunt quatuor relationes Dices. Si ſpiratio actiua diſtinguitur realiter ab alijs, cur non habet perſonam correſpondentem ſibi, ſicut alię? Dico, quod habet perſonam correſpondentem, ſcilicet Spiritum Sanctum. Quare non conſtituit, quia non eſt propria vni perſonæ, ſed duabus, & relatio propria eſt illa, quę vltimatè conſtituit.

Octaua diſt. Quæſt. quinta, lib. primi.

1. *Iacobus.* SCOTVS l.1.d.8.Q.5.ad A. citās dictū Ariſt.7.Phi.dicit.ōne quod mouetur ab alio mouetur. Oppoſ.huius patet in via Sco.plurimus loci. Nā ele

méta mouétur à ſe ipſis,& multa poſsũt eſſe in actu virtuali,& in potẽtia formali reſpectu eiuſdẽ,vt eſt ſubiectum reſpectu paſſionis, & animatum reſpectu quantitatis, & grauia, & leuia reſpectu ſuorum vbi, & animalia ſe mouentia progreſſiuè, & aqua calefacta reducit ſe ad frigiditatem, & potentia cognitiua, & appetitiua mouent ſe ad actus ſuos. His ergo ſtantibus, quomodo eſt verum dictum Ariſt. Omne quod mouetur ab alio mouetur.

Lucas. Reſp. Omnia, quæ dicta ſunt, & omnes illę potentiæ dupliciter poſſunt ſe mouere. vel ad actus ſecundos, vel ad actum primum, verum eſt quod poſſunt ſe mouere ad actus ſecundos, ſed non ad actum primum itaque effectiuè, quantum ad actum primum mouentur ab alio,& ita ſaluatur dictum Ariſt. Omne quod mouetur &c. Id etiam docet Scotus lib. 2. d. 2. Q. 10. & 9. Methap. Q. 14. Hoc idem ait Rubioni d. 8. p. Q. 7. cum iſta gloſula tenet ratio Ariſt. At nota quod Galenus in lib. contra demõſtrationem Ariſt. dicit,quod ratio illa nihil valet. Idem ait Greg. vt recitat Soncin. Q. 8. 9. Meth. Themiſtius dicit. Illam rationem ſuperfluere. Scotus ait. Si fortè valet, tamen diminutè concludit,licèt ducat eam ad bonum ſenſum lib. 2. vt dictum eſt. D. Thom. vult illam rationem eſſe à priori, & propter quid. Auer. verò, quod ſit tantum demoſtratio ſigni. Huic aſſentit Sco. vt habet 9. Methaph. Q. 14. Cum dixit Ariſt. quod tantum quieſcit ad quietem partis, li, ad tenetur conſecutiuè non cauſaliter. Et Auer. reſp. Galeno pro Ariſt. 7. Phiſ. cap. 1. ait Galenus fuit deceptus: nam cum dixit Ariſt. Omne quod mouetur &c. Non intellexit ab extrinſeco, ſed ab alio, quatenus mouetur à parte, & mouet ſe ipſam. At ſemper dubitatur, quomodo ratio Ariſt. concludat intentum ſuum. Habet enim probare,quod omne, quod mouetur, mouetur ab aliquo extrinſeco, quod non facit illa ratio, vt patet. Idcirco non mirum eſt, ſi multi dixerunt eam non valere. Poterit tamen dici quod ratio Ariſt. probat, præſuppoſito, quod Deus non habeat partes integrales; quo ſtante, ſequitur ipſum non poſſe moueri ad quietem ſuarum partium cum non ſint.

Iacobus. Scotus lib. 1. d. 8. Q. 5. ad A. dicit ad hoc, vt rationes illæ 5. 7. 8. Phiſ. vbi Ariſt. probat immortalitatem Dei, valeant, indigent expoſitione. Et fortè non plus concludunt, niſi quod primum non mouetur,vt corpus, ſed vt virtus in corpore, ſicut anima mouetur per accidens in corpore moto. Oppoſitum huius habet lib. 2. d. 2. Q. 10. vbi exponendo loca illa Ariſt. tuetur. rationes illas valere.

Lucas. Reſp. Scotus d. 8. pr. dicit (fortè non plus concludunt &c.) Vt Theologus, tenens Angelos eſſe ſimpliciter mobiles, & ab eo declaratur lib. 2. d. 2. Q. 9. At Philoſopho ſat eſt ad concludẽdã immobilitatẽ, quod non moueatur, vt corpus, at vt virtus in corpore, quia ad id bene ſequitur immobilitas. Ex hocque concludit Ariſt. quamlibet ſubſtantiam abſtractã,ſeu non eductam de potentia materiæ eſſe ſimpliciter immobilem. Idcirco 8. phiſ. poſt quam concluſerat per hoſce proceſſus motorem immobilem, ait. Vtrum autem ſit vnus talis motor: aut plures, alterius negocij eſt, quam Phiſici, quia pertinet ad Methap. Ideo 12. Methap. concludit Ariſt. tot eſſe tales motores, quot ſunt orbes mobiles; & ſi (vt ipſe concludit) ſit vnus primus motor ſimpliciter immobilis, ideſt independens in ſuo motu. Rationes tamen philoſophi non concludunt contra theologum. ſ. probando ſubſtantias abſtractas, alias

a pri-

à prima, eſſe ſimpliciter immobiles, quia communiter adducuntur rationes Ariſt. 6. phiſ. quibus probat indiuiſibile non poſſe moueri. Ad quas poſſet dici, quod concludunt indiuiſibilia de genere quantitatis non poſſe moueri, contra Democr. & Plat. aſſerentes oppoſitum. Vel indiuiſibile non poteſt moueri per Ariſt. arguentem contra illos, dicentes totam cauſam ſucceſſionis, continuitatis motus eſſe ex parte mobilis, & tamen ponebant indiuiſibile poſſe moueri, ita quod illa argumenta ſunt ad hominem. Ad argum. vero 8. phis. & 12. Metha. poteſt dici, quod, vt procedunt de alijs à primo, concludunt, quod ens abſtractum non ſit mobile, vt corpus, vel vt virtus in corpore, ex hoc ſi inferas, ergo ſimpliciter immobile, negatur. Nam ad concludendam immobilitatem ſimpliciter, requiritur infinitudo, ſeu in dependentia, quia incompoſſibilitas terminorum, vt dicitur in 2. eſt cauſa ſucceſſionis in motu reſpectu potentiæ finitæ. Itaque infinitas in entitate, & neceſſitas à ſe, & huiuſmodi prędicata concludunt immobilitatem.

3. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 8. Q. 5. ad B. dicit. Henr. dicens, primum modum habendi eſſe, ſcilicet ex ſe formaliter eſſe neceſſe eſſe, & ab alio cauſaliter, non eſſe ad mentem Ariſt. Dicit inquam Sco. non bene ſe habere. Oppoſitum huius patet ex Ariſt. 2. Phiſ. 29. & 2. Meth. 6. & 5. Meth. 2. vbi diffiniens cauſam efficientem, ait, quod eſt cauſa, vnde motus, ergo ſi Intelligentiæ haberent cauſam efficientem, eſſent effectæ per motũ, quod eſt falſum.

Lucas. Reſp. Scotus 9. Meth. Q. 3. & 4. docet, quod Ariſt. nec in Phiſ. nec in Methap. diffinit potentiam actiuam methaph. at phiſicè ſemper. Dices, quomodo debet methaph. diffiniri? Sic methap. habet diffiniri ait Scotus. Potentia actiua eſt principium efficiendi aliud, inquantum aliud; ſicque patet ad difficultatem. Dices. Philoſophus naturalis non debet diffinire, niſi quod eſt ſenſibile, vel ex ſenſibilibus deducibile, ſed nec per ſenſum, nec ex ſenſibilibus poſſumus concludere, quod ſit agens ſine motu, ergo &c. Negatur minor; nam ſicut ex mobilibus manu ducimur ad primum immobile, ita ex effectibus ad primum efficiens; at de his ſuperius ſat diximus. Adhuc dices. Si habet eſſe ab alio, ergo ex ſe habet non eſſe, ergo eſt poſſibile non eſſe, & ita non habet eſſe neceſſarium. Dico ex se habet non eſſe effectiuè, ſed non formaliter. Denuo dices. Auer. 12. Methap. 9. ait. Omne compoſitum eſt nouum, & ità Intelligentiæ cum ſint compoſitæ, erunt nouæ, quod ſint compoſitæ patet, ex l. 1. d. 8. Q. 1. Dico ad dictum Auer. ſic. Omne compoſitum eſt nouum, ideſt dependens; ſi ſic, daretur ſaltem creatio æterna; concedo in via Philoſophi dari creationem ęternam. Dices iterum, vel neceſſitas eſt de eſſentia talis entis, vel non; dico, quod neceſſitas eſt modus intrinſecus, & non eſt de eſſentia, & illud ens eſt formaliter neceſſarium ex ſe, ſed non à ſe. Dices tandem: aut producitur per motum, aut per mutationem, non per motum, quia tunc non eſſet æterna, nec per mutationem, quia talis requirit ſubiectum, vt ait Scotus l. 2. d. 4. & 5. & alibi. Dico, nec per motum, nec per mutationem, ſed per ſimplicem creationem, quæ nec eſt motus, nec mutatio.

4. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 8. Q. 5. ad B. dicit, citans dictum Ariſt. 12. Methap. Cuiuſcunque eſt cauſa finalis, eius eſt cauſa efficiens. ex quibus verbis elici poteſt, quod corpora cæleſtia, & Intelligentiæ dependent à pri-

ma non ſolum in genere cauſæ finalis, ſed etiam efficientis.] Idque clarius dicit lib. 2. d. 1. Q. 2. & ita in via Ariſt. ex Scoto datur vera creatio in qua creans tantum natura, & non tempore præcedit creatum. Oppoſitum habet Ariſt. 1. Phiſ. 71. & Auer. in com. vbi concorditer aiunt Ex nihilo nihil fit, ergo Intelligentiæ non poſſunt ſic cauſari.

Lucas. Reſp. Pro hac difficultate tollenda, principió videndum eſt, quomodo à Philoſopho detur creatio; deinde firmatur opinio Scoti, & tandem reſolutio habebitur: quo ad primum. Concedit creationem in hunc modum, ideſt productionem verè realem, ex puro nihilo. Vbi eſſe creantis tantum præcedit eſſe creati ordine naturæ, & non durationis; & in tali creatione ex carentia ſubiecti eſt tantum productio ſine omni mutatione. Creationem verò, quæ nullum ſubiectum præſupponit, cuius non eſſe duratione præcedit eſſe, nullo pacto Ariſt. concedit at ſic Theologus. At quid eſt creatio? Dico ex Scoto lib. 4. d. 1. Q. 1. creatio eſt productio de nihilo. Creare ex prima d. 2. Q. 2. Eſt aliquid de nihilo producere in effectu. Creatura autem ex Scoto lib. 3. d. 11. Q. 1. eſt, quę accipit eſſe immediatè a primo efficiente poſt omnino nihil. Opinio Scoti eſt, quod Intelligentiæ omnes, corpora cæleſtia, materia prima, & omnia æterna (quicquid dicant Greg. & Baccon. l. 2. d. 5. Q. 1.) dependent à prima, non ſolum in genere cauſæ finalis, ſed etiam efficientis, modo iam prædicto creantur, & firmatur hæc ſententia his dictis. Primo, Ariſt. 2. Meth. t. 7. 8. probat ſtatum in genere cauſæ efficientis, quod non eſſet, niſi omnia eſſent effecta a Deo; ſed effectum primum, vt dicit Scotus lib. 2. d. 1. Q. 2. fuit factum, nullo alio præſuppoſito, ergo creatum. Secundo, id expreſsè ponit Ariſt. 6. Methap. cap. 2. & 9. Meth. cap. 4. vbi ponit verè creationem, inquantum eſt proceſſio naturæ creantis ad creatam. Tertio, eſt auctor. Ariſt. 2. Methap. 4. Principia ſempiternorum eſſe cauſas extremorum & quantum ad entitatem, & quantum ad veritatem. Et Auer. ibi dicit. Prima cauſa eſt tantum per ſe ens, & per ſe vera; alia autem ſunt entia, & vera per veritatem eius, & eſſe eius. Quarto Auer. 12. Methap. dicit. In Intelligentijs eſt cauſa, & cauſatum &c. Quinto, Ariſt. 12. Methap. in fine, vult omnia dependere à prima cauſa in genere finalis cauſæ (quod etiam concedunt Greg. & Baccon.) ſed cauſatio finis eſt mouere efficiens. Sexto, Ariſt. 5. Methaph. 6. concedit quorũdam neceſſariorum eſſe alteras cauſas. Septimo, Auer. 8. phiſ. 15. in fine com. ait, quod ſunt res neceſſariæ, quæ non habent principia, nec cauſas, quia tunc procederetur in infinitum, deinde declarat, multa neceſſaria habere cauſas: & 6. Methap. expreſſè dicit. Entia abſtracta ſunt cauſæ corporum cęleſtium, & 9. Methap. 1. & 2. vult, quod potẽtia actiua in plus ſe habeat, quam tranſmutatiua. Cauſatio autem non eſt mutatio, ſed tantum productio, & ita poterit dari creatio, vbi materia non erit. Et lib. de ſubſt. orbis, ait, Intelligentiam non ſolum mouere orbem, ſed ipſum cauſare, & conſeruare, at conſeruare ſpectat ad genus cauſæ efficientis. His notatis, dico ad formam difficultatis. Creatio poteſt conſiderari dupliciter, vno modo, vt eſt productio in eſſe vero ex nihilo; ſecundo modo, vt origo paſſiua, per quam aliquid capit eſſe per iſtans; hacque diſtinctione poſſunt omnes auctoritates verificari, loquendo de creatione; ſecundo modo, & non primo. Rurſus. Dum ait Ariſt. de nihilo nihil fit, loquebatur de gene-

generatione, & non de creatione. Dices, data veritate huius, ſequitur quod materia ſit effecta ab æterno, ſed id eſt contra Ariſt. 1. Phiſ. 82. dicentem. Materia eſt ingenerabilis, & incorruptibilis. Concedo materiam non eſſe genitam, nec generabilem, nego tamen non eſſe effectam ſeu creatam, quia aliud eſt rem generari, & rem creari. Dices adhuc. Intelligentia ſecunda eſt ſempiterna, ergo non eſt facta, quia, quod factum eſt, non poteſt eſſe incorruptibile ex 1. cæli 134. Dico; quędam eſt factio, quam concomitatur motus, vel mutatio. Alia eſt, quæ eſt ſimplex productio ſine motu, & mutatione. Ratio concludit primo modo, ſed non ſecundo. Dices tandem. Secunda intelligentia ſi eſt facta, ergo poſſibilis, quia omne factum poſſibile eſt, vt fiat, quia impoſſibile non poteſt fieri. Si cum hoc eſt neceſſaria, tunc natura poſſibilis vertitur in neceſſariam, contra Auer. 134. Dico, quod eſt poſſibilis poſſibilitate logica, quæ eſt non repugnantia terminorum ſed non eſt poſſibilis, vt poſſibile quod conuertitur cum contingenti; aut diſtingue poſſibilitate ab æxtrinſeco, vel ab intrinſeco,

5. *Iacobus.* Sco. l. 1. d. 8. Q. 5. ad B. dicit. Nec eſt ſimile de figuris, & numeris, quia eſt, ibi prior, licet non ſit cauſa effectiua poſterioris, eſt tamen cauſa materialis, Oppoſitum apparet ex contrarietate; nam impoſſibile eſt, quod vna ſpecies ſit cauſa alterius ſpeciei.

Lucas. Reſp. Scoti dictum intelligitur materialiter, non formaliter; quoniam (teste Porph.) duę ſpecies completæ non poſſunt tertiam conſtituere formaliter, ſecus eſt effectiuè, vt patet de generatione burdorum.

6. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 8. Q. 5. ad B. dicit. Neceſſitas enim eſt conditio exiſtentiæ; non igitur ſpeciei conuenit, niſi in indiuiduis. Oppoſitũ habet Scotus l. 4. d. 45. vbi vult naturam ſpecificam habere exiſtentiam competentem ſuę entitati.

Lucas. Reſp. Quamuis non habeat propriam exiſtentiam, ſibi correſpondentem, tamen ſicut ſua Eſſentia non diſtinguitur realiter à ſingulari, ita nec ſua exiſtentia ab exiſtentia ſingularis, & tantum in ſigularibus reperitur; & ita debet intelligi Scotus. Ex quo ſequitur, quod ſpecies corruptibilium ſolum per accidens ſunt neceſſarię, & elementum ab intrinſeco ſecundum ſe totum eſt corruptibile, at non deſtruitur, quia rueret ordo vniuerſi; ſicque tantum ab extrinſeco eſt incorruptibile.

7. *Iacobus.* Scotus lib. 1, d. 8. Q. 5. ad B. dicit corruptibile eſt ex cauſa intrinſeca, quãdoque neceſſariò non eſt. Oppoſitum huius habet lib. 1. d. 8. Q. 1. vbi vult, quod nec materia, nec forma poſſint aſſequi actum ſuum ſine agente extrinſeco.

Lucas. Reſp. Corruptibilia ſunt in duplici differentia, homogenea, & ætherogenea, & vtraque corruptibilia ſunt ab intrinſeco, & extrinſeco, ſed diuerſimodè. Nam ętherogenea corruptibia ſunt ab intrinſeco tripliciter. Primo, ex conſumptione humidi radicalis. Secundo, quia illius partes ſunt diuerſarum rationum, & mutuo pugnant ad inuicem. Terno, quia ex impuritate alimenti pars ſecundum ſpeciem fit pars ſecundum materiam, vt ait Scotus lib. 2. d. 19. & lib. 4. d. 44. Q. 2. At eſt alius modus communis tam toti ætherogeneo, quam homo geno, ſcilicet appetitus materiæ ſemper machinantis ad maleficium, ſed ex hoc præcisè tamen, nunquam reducetur ad actum ratione huius tantum, ſed neceſſariò requiritur agens extrinſecum. Hiſque patet ad contradictionem.

Scotus

8. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 8. Q. 5. ad G. dicit. Ex poſitione poſſibilis in eſſe, non ſequitur impoſſibilitas, nec noua incompoſſibilitas alicui neceſſario, & alludit ad id, quod habet Ariſt. 9. Methap. 7. & 8. phiſ. 36. & 1. de gener. 8. vbi diffiniens poſſibile, ſic dicit. Eſt autem poſſibile hoc, cui ſi exiſtent actus, cuius dicetur habere potentiam, nihil erit impoſſibile; hæcque diffinitio eſt ſimilis illi, quæ habetur de contingenti Priorum lib. 1. 18. Dico autem contingere, & contingens, quo non exiſtente neceſſario, poſito autem in eſſe, vel non eſſe, per hoc nihil erit impoſſibile. Oppoſitum huius habet Scotus lib. 4. d. 49. Q. 13. in reſp. ad vltimum princ. vbi ſic ait. Ex poſſibili poſito in eſſe, ſequitur noua impoſſibilitas.

Lucas. Scoti dictum in 4. intelligitur de impoſſibilitate, quę eſt ab extrinſeco, & non ab intrinſeco, ſcilicet ratione potentiæ in ſe; quantum enim ſit ex parte ſubiecti, ita poteſt recipere formas nouas, ſicut ante; ab extrinſeco ergo, & non ratione ſui eſt illa repugnantia. Dices. Continuum eſt diuiſibile in infinitum, & tamen ſi eſſet actu infinitum diuiſum, ſequeretur impoſſibile. Dico, actus correſpondens diuiſibilitati continui non eſt continuum ex ſe actu diuiſum; ſed iſtud. continuum ſemper diuiditur, vt ait Zerbus. Vel conſule reſp. Scoti lib. 2. d. 2. Q. 9. Dices amplius. Album poteſt eſſe nigrum, & ſedens poteſt ſtare, ſed ſi ponatur in eſſe, ſequitur impoſſibilitas. Dico, quod album poteſt eſſe nigrum, & ſimiles ſunt verę in ſenſu diuiſo. Replicabis. Superficies ſimul habet potentiam ad albedinem, & ad nigredinem, ergo ſimul poteſt recipere. Dico, verum eſt quantum eſt ex ſe, ſed repugnantia eſt ab extrinſeco. Vel diſtingue, de ſimultate potentiæ, & de potentia ſimultatis.

9. *Iacobus.* Scotus l. 1. d. 8. q. 5. ad I. dicit. Philoſophi concedunt communiter, quod prima cauſa naturaliter, & neceſſario cauſat primum cauſatum. Oppoſitum videtur habere Ariſt. 11. Met. 36. vbi dicit prima cauſa mouet, vt appetibile, & intelligibile. i. cauſat cauſatum per intellectum, & voluntatem, ergo non naturaliter.

Lucas. Reſp. Naturaliter capitur dupliciter primo large, & idem eſt, quod neceſſario cauſare, id eſt non coactè cauſare, & ſic ſpectat ad intellectum, & voluntatem, ſecundo ſtrictè, & ſic ſpectat ad intellectum ſolum; naturaliter capitur à Scoto primo, & nõ ſecũdo modo. Nota, quod ait. Cauſat primum cauſatum; quoniam vlt. Q. Quol. in fine habetur, quomodo ſine ſui mutatione poteſt Deus contingenter cauſare aliquid de nouo in iſtis inferiorioribus & iſta contigentia accipitur ex diuerſitate accepta in his inferioribus. At non ſic eſt de primo cauſato.

10. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 8. Q. 5. ad K. dicit. Intellectus agens naturaliter perficitur ſua actione. Oppoſitum patet ex Scoto pluribus locis, nam actio intellectus agentis, ſiue ſit intellectio, ſiue ſpecies intelligibilis recipitur in intellectu poſſibili, ergo per eam non perficitur intellectus agẽs.

Lucas. Reſp. Vigerius dicit, quod intellectus agens capitur a Scoto pro intellectu poſſibili. Adde tu, Intellectus agens capitur pro intellectu actiuo. Vel dic, Intellectus agens perficitur realiter, non formaliter.

11. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 8. Q. 5. ad L in quadam reſp. pro Auic. dicit. Ita tamen quod illa productio perfectionis in alio non ſit finis, ſicut nec finis aquę eſt infrigidare, Ex quibus verbis vult habere, quod Deus, licet cauſet alia, non tamen perficitur ab illis. Oppoſitum habet Ariſt. 12. Me-

thap-

thap. 48. diceus, Omnis ſubſtantia impasſibilis eſt ſortita optimum finem, ergo videtur ſubſtantia impasſibilis perfici.

Lucas. Reſp. Duplex eſt finis, perficiens, & prouenıens ex perfectione, beatitudo in ſubſtantijs impasſibilibus eſt finis perficiens, ſed mouere (quia dicit Ariſt. ſortitæ ſunt optimum finem, quia ſunt causæ actiuę lationum) eſt finis ex perfectione proueniens. Similiter debet gloſari dictum Auer. 12. Meth. 36. motus eſt finis Intelligentiarum, non finis perficiens, ſed finis prouenıens ex perfectione.

12.*Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 8. Q. 5. ad O. dicit. Ex minus imposſibili non ſequitur imposſibilius, ſicut, nec ex minus falſo ſequitur falſius. Oppoſitum huius eſt id, quod communiter dicitur. Ad imposſibile ſequitur quodlibet.

Luca. Reſp. Scoti dictum, ex minus imposſibili non ſequitur imposſibilius, veritatem habet in formali conſequentia. Nam benè de materia ſequi poteſt ſecundum communiter dictum. Ad impoſ. ſeq. quod. licet nunquam id dixerit Ariſt. Sed dixit. quodlibet cum quolibet, vel eius oppoſitum ſtat. Similiter poteſt dici de falſo, & minus falſo, de neceſſario, & minus neceſſario & conſimilibus.

13.*Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 8. Q. 5. ad O. tenet quod ex negatione minus neceſſarij non ſequatur negatio magis neceſſarij: at e conuerſo bene ſequitur. Oppoſitum huius habet Scotus lib. 2. d. 1. Q. 1. art. 3. vbi ait. Per imposſibile, negata productione ad intra, propter id non debet negari productio ad extra, ergo ex negatione minus neceſſarij non debet negari magis neceſſarium.

Lucas. Reſp. Vigerius ſic ait. Quamuis productio ad intra ſit magis neceſſaria & ideo negare illam ſit maius imposſibile, tamen comparando eas inter ſe, negando primam, maneret tamen tota potentia cauſatiua in vna perſona, ſicut nunc eſt in tribus. Et ideo minor eſt neceſſitas ſecundæ productionis, ſcilicet ad extra ad ſuam cauſam. Aut dicas: Sco. intelligit, quando inter magis neceſſarium, & minus neceſſarium eſt talis ordo, quod ab intrinſeca ratione repugnat minus neceſſarium poni, magis neceſſario non poſito, quod ſic non eſt de productione ad intra, & de productione ad extra, vt lib. 2 notat Sco. Adde. Hæc inſtantia non videtur contra Scotum. Nam Scotus 8. pr. habet pro inconuenienti, quod magis neceſſarium ponatur non eſſe propter non eſſe minus neceſſarij, & non vult, quod poſſit minus neceſſarium poni in eſſe, magis neceſſario non poſito.

14.*Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 8 Q. 5. ad R. dicit. Sicut in entibus entitas cauſæ eſt formaliter alia ab entitate cauſati. Oppoſitum habet lib. 1. d. 2. p. 2 Q. 2. & alibi, vbi vult, quod inter cauſam, & cauſatum ſit diſtinctio realis.

Lucas. Reſp. Dum ait Scotus d. 8. pr. quod inter cauſam, & cauſatum eſt deſtinctio realis, his verbis, ponat veritatem aliam à veritate &c. Sicut in entibus entitas cauſæ eſt formaliter alia ab entitate cauſati, li, formaliter, capitur, vt eſt aduerbium deductum à forma, & non deducitur à formalitate. Similiter poteſt dici, de li, realiter, vt venit à re, & vt venit à realitate, vt notat Auct. formal. cap. de diſt. & Ident. reali.

15.*Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 8. Q. 5. dicit in rationibus contra Philoſophos. Deus ſe ſolo poteſt cauſare omnem entitatem abſolutam, non ſic eſt de reſpectiua, vt notant Scotiſtæ. Oppoſitum poteſt ſic deduci in via Scoti. Deus poteſt ſuplere omnem cauſam efficientem, ergo poterit ſuplere

cau-

cauſalitatem effectiuam fundamenti, & termini, ſicque ſine fundamẽto, & termino poterit cauſare relationem.

Lucas. Reſp. Vigerius ita ait. Deus poteſt ſuplere cauſalitatem efficientis in abſolutis, non autem in reſpectiuis. At melius. Deus & ſi poſſit ſupplere cauſalitatem effectiuam fundamenti, & termini, non tamen ſuplet rationem fundatiuam, vel terminatiuam.

16. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 8. Q. 5. ad T. dicit. Cauſa prior prius naturaliter reſpicit cauſatum, quam cauſa poſterior. Ex quibus verbis videtur velle, quod prima cauſa ſit prior prioritate naturæ, perfectionis, & originis. Oppoſitum habet lib. 2. d. 37. ad V. vbi ſic inquit. Reſp. Dico, quod prioritas, quæ includit poſſe eſſe ſine contradictione, non eſt ordo in cauſis vt cauſant effectum communem, ſed ſimul cauſant. Sicut enim; loquendo de diuerſis generibus cauſarum, non prius natura materia, materiat, quam efficiens efficiat, quaſi ſine cotradictione poſſit eſſe materiatum, & non effectum, vel e conuerſo: ſed tantum prius natura, ideſt perfectius vna cauſa cauſat, quam alia, ita in eodem genere cauſę, diuerſæ cauſæ ordinatæ, licet habeant ordinem ſecundum perfectius, & imperfectius cauſare, non tamen habent prioritatem naturæ, quæ dicat poſſe eſſe ſine inuicem reſpectu tertij, imo ſicut in vno inſtanti naturæ materia materiat, & efficiens efficit, ita duæ cauſæ efficientes ordinatæ in vno inſtanti naturæ cauſant effectum communem: ita quod neutra cauſat ſine altera. Hæc Scotus.

Lucas. Reſp. Lich. ſic dicit. Si illa cauſa prior ſit libera, tunc tantum dicitur prior prioritate perfectionis, & ita dicitur prius cauſare, ideſt perfectius cauſare, ſed tamen non eſt aliqua prioritas naturæ, ſed ſi talis cauſa prior ſit naturalis, tunc eſt prior, ideſt prius influit prioritate naturæ & etiam prioritate perfectionis. Vigerius autem ait. Ratio Scoti d. 8. pr. eſt ad hominem, & ſecundum dicentes cauſam primam in aliquo priori naturæ cauſare effectum, quam cauſa ſecunda. Et certè in via Scoti debet tueri, quod in eodem inſtanti temporis, naturæ, & originis prima concurrat cum ſecunda ad cauſandum effectum, ita quod ſi ibi ſit ordo cauſarum inter ſe, non tamen in cauſando effectum, quem omnes ſimul attingunt. Idque dicit Sco. lib. 2. vt dictum eſt, & 9. Meth. Q. 3. & 4. id poteſt deduci. Hinc puto Licheto Vigerium melius dixiſſe, quod v. hæc probatio Scoti non eſt ad eius mentem, at aliorum. Et nota, ſigna naturæ inter primam, & ſecundam cauſam, in quantum cauſant vnum effectum communem, ſunt ſigna a quibus, & non ſigna in quibus.

17. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 8. Q. 5. ad V. dicit. Prima Intelligentia eſt mutabilis ab intellectione ad intellectionem. Oppoſitum huius habet d. 8. Q. 1. vbi negat omnem mutabilitatem, & compoſitionem à prima Intelligentia.

Lucas. Reſp. Quære.

18. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 8. Q. 5. ad Y. dicit Intellus creatus poteſt habere intellectionem cuiuſcunque intelligibilis, non autem vnicam omnium, nec infinitas ſimul omnium intelligibilium. Oppoſitum huius habet lib. 3. d. 14. Q. 2. vbi vult, quod anima Chriſti poteſt recipere infinitas viſiones, & non ſolum hoc, ſed quod actiuè poteſt ſe habere ad illas.

Lucas. Reſp. Scotus lib. 3. ponit plures modos dicendi, de intellectũ animæ Chriſti, quorum tres ſunt topicè dicti, quartus verò, qui eſt ad mentem eius, vult quod tantum habitualiter, & non actualiter poſſit anima

Chri-

Chriſti videre infinita; ſicque patet ad dubium.

19. Iacobus. Scotus lib. 1. d. 8. Q. 5. ad Y. dicit. Voluntate antiqua poteſt fieri nouus effectus, ſine mutatione voluntatis, vt Deus in æternitate voluit aliud à ſe eſſe pro aliquo tempore, & tunc illud creauit, quando voluit eſſe. Oppoſitum habet Auer. 8. Phiſ. c. 8. & 15. vbi ait. Voluntas Dei non expectat tempus, cum talis expectatio imperfectionem ponat in expectante.

Lucas. Reſp. Queras. Reſp. At nota, quod voluntate antiqua poſſit venire effectus nouus ſine eius tranſmutatione patet ex Articulo Pariſienſi publicato ſub Stephano illius vrbis Epiſcopo 1226. Dominica 4. quadrageſimæ de Conſilio illius ciuitatis omnium Theologorum, dicente ſic. A voluntate antiqua non poteſt nouum prouenire ſine eius tranſmutatione præcedente, error. Et ſi omnes cauſæ aliquando fuerunt ſub quiete neceſſe eſt ponere Deum mutabilem. Error. Et ſcias hęc, Deus voluit pro æterno, & ab æterno fore, li æterno poteſt determinare li voluit, & li fore, ſi determinat, voluit, eſto quod à ſit contingens, ſunt ambæ verę, ſed ſi determinat, fore, ſunt ambæ falſę, & cum dicitur omnis actio infert paſſionem, verum eſt de actione facta cum motu. Et ſi dicatur, Agens agit actione, verum eſt, vt actu productiuo, ſed non vt principio formali producendi, & nota, error Philoſophorum eſt quia dicebant, Deum referri realiter ad creaturam, ſicut creatura refertur realiter ad Deum. Ex quo ſequitur, quod nihil immediate poteſt producere Deus ſine mutatione ſui, quod eſt falſum.

20. Iacobus. Scotus lib. 1. d. 8. Q. 5. ad Y. dicit. Voluntas Dei vult, eſt immediata propoſitio reſpectu omnium contingentium. Oppoſitum habet Sco. 43. pro. Q. ad N. vbi vult quod prima contingentium ſit. Eſſentia vult.

Lucas. Reſp. Si ordo ſit in contingentibus, & quomodo ſit, aliàs dictum eſt. At ſcias id verum in via Scoti, primam omnium contingentium eſſe hanc Deus vult. Ad id quod dicit Sco. d. 8. pr. cum ibi non fuerit locus diſputandi, quæ ſit prior, ſufficit ſibi, quod ad propoſitum ſuum ibi, quod hæc, voluntas vult, ſit prior, ita quod non habeat cauſam priorem, tamen in rigore ſermonis, & ſecundum Scotum. Hæc eſt prima. Deus vult. Iſta verò, voluntas vult, non eſt vera de rigore ſermonis, ſed conceditur ad bonum ſenſum.

21. Iacobus. Scotus lib. 1. d. 8. Q. 5 ad Z. dicit. Neceſſitas repugnat omni reſpectui ad poſterius, quia ex quo omne poſterius eſt non neceſſarium primum, non poteſt habere neceſſariam habitudinem ad aliquid eorum. Oppoſitum huius patet ſic in via Scoti. Relationes ſunt poſterius Eſſentia, & tamen ſibi non repugnat neceſſitas, imo conuenit.

Lucas. Reſp. Diſtingue poſterius tempore, & origine. Nota, quod, vt aliquid ſit perfectio ſimpliciter, duo requiruntur: quod ſit eſſentiale, & quod ſit ad ſe. Vnde omnis perferfectio ſimpliciter eſt neceſſaria in Deo, ſed non e contra, omne neceſſarium eſt perfectio ſimpliciter, quia paternitas in patre eſt neceſſaria, & tamen non eſt perfectio ſimpliciter. Ideo neceſſitas dicit perfectionem, vbi ipſa perfect.o eſt compoſſibilis, vbi autem non eſt compoſſibilis, non dicit perfectionem, vt in relationibus.

ſima. Paternitas autem nec eſt communicabilis, nec communicatur, nec eſt eſs abſolutum, ergo fide, in Deo eſt diſtinctio formalitatum. Et ſcriptura probatur. Ad Rom. 1. Inuiſibilia Dei, per ea, quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur. Hæc autem inuiſibilia, aut ſunt eſſentialia, & habemus propoſitum, quod multa eſſentialia ſunt conſpecta, & non ficta; aut ſunt perſonalia. Hæc autem ſecundum Aug. & Hilar. non conceduntur plura in neutro genere. Perſonæ enim ſunt plures, & non plura. Rurſus ad Rom. c. 2. dicitur, quod benignitas Dei adducit illum ad pœnitentiam, qui in futurum iram eius theſaurizat, & ſic Deus, nunc ad illum habet benignitatem, & non iram, & in futurum iram, & non benignitatem, ergo, inter hæc a poſteriori eſt neceſſaria aliqua diſtinctio. Etiam ad Rom. 11. O. altitudo diuitiarum ſap. & ſcien. Dei &c. Aut idem intelligitur per ſcientiam, & ſapientiā, & tunc foret inutilis repetitio; aut aliquo modo non ſunt idem, & habetur propoſitum. Tandem pr. ad Cor. cap. 2. Ea quę ſunt Dei, nemo nouit, niſi Spiritus Dei. Ex quo habetur, quod Spiritus Sanctus plura cognoſcit intuitiuè, ergo ſunt ibi ex natura rei. Ex dictis etiam ſanctorum patent hæ formalitates, lege Scotum d. 8. Q. 4. lib. 1. Dices; omne illud, quod eſt perfectum ſimpliciter includit omnem perfectionem ſimpliciter modo perfectiſſimo, ſed Deus eſt ens perfectiſſimum & attributa dicunt perfectionem ſimpliciter, ergo Eſſentia diuina continebit attributa modo perfectiſſimo, cum quo non poteſt ſtare formalis diſtinctio. Franc. lib. 1. d. 8. Q. 2. ſic reſp. huic difficult. quamuis primus modus perſeitatis ſit principalior, non tamen maior, quia non ſolum primus, ſed etiam ſecundus ſtat cum infinitate, & ſumma perfectione, ſicut primum ſignum originis eſt principalius, ſed non perfectius ſecundum Hil. lib. de Trin. Attributa autem, quamuis ſint ita perfecta, ſicut Eſſentia. vt pręciſa ab omnibus attributis, ſicut cum eis ſumpta ſimul, & hoc eſt, propter vnicam quantitatem virtutis, ſcilicet infinitatem, tamen opus eſt, quod in perfectiſſimo ſit omnis perfectio ſimpliciter, ſed non quidditatiuè. Dices adhuc. Diuina Eſſentia eſt perfectiſſima in ſua ratione quidditatiua, & tamen poteſt intelligi aliquid perfectius ea, ſi, vt ſic accepta, non includat omnem perfectionem ſimpliciter, ſicut ſuppoſitum non includens omnem perfectionem ſimpliciter non eſt perfectiſſimum. Ad id ſic reſp. Franc. Eſſentia eſt perfectiſſima in ſua ratione formali, quia omnem perfectionem includit eo modo. quo aliquid eſt natum includere, non quidditatiuè, quia hoc ſibi repugnat, ſed tantum identicè. Dices, tandem, omnis creatura eſt imperfecta, eo quod caret aliqua perfectione, ergo Eſſentia diuina, ſi caret aliqua perfectione, in ſua quidditate erit imperfecta. Reſp. idem Franc. Eſſentia diuina non caret ſimpliciter aliqua perfectione, ſed tamen cum præciſione, ſcilicet quidditatiuè caret, quæ carentia propriè nunquam eſt ibi pro illo ſigno, pro quo natum eſt ineſſe ſibi oppoſitum carentiæ; ſicut catulus ante nonum diem non eſt cæcus, quia nullo pacto nata eſt ſibi in eſſe viſio. Pro diſtinctione attrib. potes videre Auer. 12. Meth. 39. qui ibi tenet, quod tantum diſtinguuntur ratione, tamen lib. Deſt. deſt. diſp. 4. dub. 3. & diſp. 5. dub. 4. ponit attributa ſecundum rationem formalem, & diſputatur ibidem. Vnde eſt, cum attributa ſint formaliter in Deo, quod non faciant compoſitionem. Ex quo patet, nihil reſoluti poſſe haberi de

diſtin-

diſtinctione attributorum in via Auer. Imo Baccon. lib. 1. d. 2. Q. vn. ar. 5. ait, in ſequendo viam Auerr. Tenendum eſt, quod ea, quę sūt in Deo, differant ſola ratione, ſed ſecus eſt (ait ille) in ſequendo viam Theologicam beati Aug. qui Baccon. circa attributorum diſtinctionem poſuit mediam opinionem inter Sco. & D. Thom. & loco citato dicit ſic, Venio ad punctum quęſt. & ſic teneo, quod attributa diſtinguuntur ex natura rei, quod eſt contra Aureolum, non per abſolutas rationes, at per reſpectiuas. Vnde intelligendum eſt, quod diſtinctio attributorum ex natura rei poteſt intelligi dupliciter: primo, intelligendo attributum, quantum ad per ſe rationem formalem attributi, ſcilicet prout quælibet ratio attributalis dicit quandam perfectionalem rationem abſolutam, per quem modum Sco. accipit attributum. Secundo, quod eſt contra Sco., quod quælibet ratio attributalis habeat propriam intelligibilitatem per quam conuenit ſibi diſtincte repræſentari intellectui, vt in hoc exemplo. Non ſolum ſapientia, & veritas, quę ſpecialiter reſpiciunt intellectum, retinent ſuos reſpectus, ſecundum quos nata ſunt repræſentari ipſi intellectui, quæ etiam reſpiciunt voluntatem, vt bonitas, & fælicitas retinent proprios reſpectus in ordine ad voluntatem, & e contra, intellectus, & voluntas retinent ſuos reſpectus in ordine ad alia obiecta; & ſic de alijs attributis, retinent ſuas proprias intelligibilitates, ſiue repræſentatiuitates, ſecundum quas nata ſunt diſtincte concipi ab intellectu. Hac Baccon. Vbi vult, quod illi reſpectus ſint ex natura rei, ſed non ipſa abſoluta. At hæc poſitio ſtare non poteſt. Nam diuerſi reſpectus ex natura rei non oriuntur niſi ex diuerſitate fundamentorum, & abſolutorum ex natura rei; ergo implicat illa ſua diſtinctio reſpectuum ſine diſtinctione abſolutorum. Dimittatur itaque iſta opinio includens contradictionem. Motiua Thomiſtarum, Occam, & aliorum, & reſponſiones illorum ad argumenta, & impugnationes reſponſionum videas in Licheto d. 8. Q. 4. lib. 1. vbi expoſita litera Scoti, omnium aduerſariorum Scoti fundamenta euertit.

19. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 8. Q. 4. ad Y. dicit. Deus quidditatiue eſt bonus, & ſapiens. non ſic eodem eſt Deus, & pater. Oppoſitum huius videtur habere Damaſc. lib. 1. cap. 4. Si iuſtum, ſi bonum, ſi tale quid dixeris, non naturam, ſed quæ circa naturam dicis, igitur Deus non eſt quidditatiue bonus, & ſapiens.

Autor. Reſp. Quidditatiuæ in litera Scoti, bifariam ſumitur, primo, vt idem eſt, quod eſſentialiter, & ſic Deus non eſt quidditatiue bonus, & ſapiens, & ſic concludit Damaſcenus, qui etiam poteſt eſſe contra Thomiſtas tenentes omnes perfectiones ſimpliciter poni in diffinitione eſſentiæ diuinæ. Secundo, vt diſtinguitur contra hipoſtatice, ſeu notionaliter, & hoc modo capitur a Scoto. Nam Deus eſt quidditatiue bonus, & ſapiens, ideſt vt Deus, & non vt in perſonis.

20. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 8. Q. 4. ad Z. dicit, Concipiendo abſtractum, vltima abſtractione concipitur, ad quodcunque, quod eſt extra propriam rationem quidditatis; ideo hæc eſt falſa. Animalitas eſt rationalitas, & econuerſo. Oppoſitum tamen videtur ſequi ex hoc in doctrina Scoti. Nam videtur concedere, quod iſta poſſit eſſe vera humanitas, vt humanitas, non excludit ea, quæ ſunt de ratione formali quidditatiua, ergo hæc eſt vera. Humanitas eſt animalitas.

Reſp.

Lucas. Reſp. Lich. ſic ait. Animalitas, vt animalitas nullum ſuppoſitum concernit, & ideo nullo modo poteſt verificari de inferiori, vt dictum eſt lib. 1. d. 5. Q. 1. Non enim dicit Sco. quod illud quod eſt de quidditate alterius poſſit prędicari de eo vltima abſtractione, ſed quod ſi prædicaretur, tunc prædicaretur in primo modo. Vigerius ait ſic. Si debet verificari talis prędicatio, prædicatum in huius modi debet dicere præciſam, & adæquatam quidditatem, quod vt vides, non facit animalitas reſpectu humanitatis. Adde tu. Ideo hęc non eſt vera, humanitas eſt animalitas, quia prædicatur pars per modum partis, hec autem eſt vera, homo eſt animal, quia prædicatur pars per modum totius. Errant igitur affirmantes, quod hęc ſit vera, humanitas eſt animalitas, & cõtra hos eſt Sco. 16. Q. Vniuerſaliũ, vbi ſic ait. Si iſta eſſet vera, humanitas eſt animalitas, eſſet per ſe, & ſic iſta eſſet per ſe, humanitas eſt rationalitas. Et ex his in tertia figura ſequeretur quod iſta eſſet per ſe ratio nalitas eſt per ſe animalitas, quod eſt contra Ariſt. 3. Meth. 11. vbi vult genus non poſſe prædicari de differentia per ſe.

12. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 8. Q. 4. ad princip. reſp. vult, quod attributa ſint formaliter infinita, & ab inuicem formaliter diſtincta. Oppoſitum videtur ſequi in doctrina eius. Nam hoc admiſſo, viderentur eſſe plures exiſtẽtiæ in Deo formaliter diſtinctæ; quia quidditas, & exiſtentia ſunt idem realiter.

Lucas. Reſp. Lichetus ſic ait. Nullum video inconueniens eſſe, immo hoc eſt ſimpliciter neceſſarium ponere in Deo plures exiſtentias ex natura rei diſtinctas, eſſet tamen inconueniens ponere plures exiſtentias realiter, & eſſentialiter diſtinctas. Idem dicendum eſt de infinitate. Infinitas vnius attributi diſtinguitur formaliter ab infinitate alterius, & tot ſunt ibi infinitates, quot ſunt attributa, Licet Franc. d. 2. Q. 1. velit, quod vnica infinitate, omnia, quæ in Deo ſunt infinitentur, poteſt tamen ad bonũ ſenſũ trahi, vt ſit vna infinitas realis, ſicut dictũ eſt de exiſtentia.

13. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 8. Q. 4. ad Z. dicit. Oppoſitum eſt in Deo, quia abſtrahendo ſapientiam à quocunque, quod eſt extra rationem ſapientiæ, & bonitatem ſimiliter abſtrahendo à quocunque, quod eſt extra rationẽ eius formaliter, remanet vtraque quidditas præciſè ſumpta formaliter infinita. Oppoſitum videtur colligi ex 5. Q. quol. vbi Scotus vult, quod modus intrinſecus non ſit de quidditate rei, & tamen ex dicto Scoti d. 8. 1. colligitur, quod modus intrinſecus ſit de quidditate, & quod prędicetur in primo modo dicendi per ſe, cum prædicetur de illa quidditate vltimatè abſtracta, vt puta, bonitas eſt infinita.

Lucas. Reſp. Antequam dicam ad difficult. Nota, quod huiuſmodi prædicationes, bonitas eſt ſapientia &c. ſunt veræ prædicatione identica, quæ prædicatio tunc eſt, quando ambo extrema, vel ſaltem alterum extremum eſt formaliter, aut permiſſiuè infinitum, quicquid dicat Vigerius, aſſęrens, quod iſtæ propoſitiones, rationalitas eſt entitas, bonitas eſt entitas, ſunt tantum veræ, prout conueniunt in tertio, & non poſſunt reddi veræ ratione infinitatis permiſſiuè, quoniam Scotus d. 8. p. Q. 4. ad princip. tantum facit mentionem de propoſitione identica ex infinitate alterius extremi infiniti formaliter, & non facit aliquam mentionem de propoſitione identica propter infinitatem permiſſiuam alterius extremi, ſed id eſt contra omnes Scotiſtas communiter, præcipuè Auctor. for. cap. de diſt. & ident. Formali, & Tromb. ibidem, aſſignantes

tes; quod propoſitio identica fit tribus modis, vt iam dictum eſt, & 3. Q. 1. dicit Sco. quod tales propoſitiones identicę ratione identitatis permiſſiuè conceduntur propter infinitatem alterius extremi excedentis. Cum dicitur. Sco. non poſuit hanc propoſitionem d. 8. p. Dic Locus ab auctoritate negatiuè non valet. Rurſus, facit ibi mentionem de propoſitione identica, quæ ad rem ibi faciebat. His viſis, dico ad contrad. hæ propoſitiones, bonitas eſt infinita &c. conceduntur in bono ſenſu, tamen de rigore ſermonis ſunt falſæ, quia cum ſubiectum ſit vltimatè abſtractum, & prædicatum non poſſit prædicari niſi formaliter, ſi eſſent veræ, eſſent in primo modo, quod non eſt verum. Dices. Sco. ait, facta illa abſtractione adhuc vtraque quidditas remanet formaliter infinita. Dico. Sco. ſic intelligit; remanêt formaliter infinitę, ideſt non ſunt tantum infinitæ realiter, vt relationes, ſed formalitate propria; iſtaque expoſitio eſt neceſſaria, quia aliter modus intrinſecus variaret rationem formalem, quod tamen negatur à Scoto.

23. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 8. Q. 4. ad princ. dicit hæc non conceditur in diuinis. Paternitas eſt ſpiratio actiua, neque vt vera formaliter, neque per identitatem. Ex quo ſequitur, quod generatio actiua, & ſpiratio actiua ſunt diſtincta realiter. Oppoſitum huius eſt determinatio Eccleſiæ, quæ determinauit, quod in Deo ſunt tres res realiter diſtinctæ, & Deus non eſſet trinus, at quaternarius.

Lucas. Reſp. Franc. lib. 1. d. 8. Q. 5. habet hæc verba. Sed in diuinis eſt trinitas rerum, ſed non quaternitas, Eſt ibi ſecundum omnes quaternitas relationum, non fabricata ab anima, ergo diſtinctio ex natura rei inter quatuor relationes, quæ non eſt realis, quia ibi ſic eſſent tot res, quot ſunt relationes, quod eſt falſum. Hæc Franc. Bonau. d. 26. pr. Q. 4. dicit, quod generatio actiua, & ſpiratio actiua diſtinguntur realiter. Burlifer exponit, ideſt formaliter, & dicit, ita ſe gloſare Bonauenturam, vt eum concordet cum Scoto tenente, quod, tantum diſtinguntur formaliter. At id eſt falſum, vt patet ex litera Scoti ſuperius citata, & Burlifer dixit inſequendo opinionem Scotiſtarum, qui in hoc errat, vt patet etiam ex ſententia Scoti d. 13. lib. 1. His notatis, dico ad formam dubij. Eccleſia determinauit, quod tantum ſunt tres res ſubſiſtentes realiter diſtinctæ, ſed non abſolutè determinauit, quod ſint tres res. Sunt in diuinis igitur quatuor res diſtinctæ, & neceſſariò ſunt. Nam duæ ſunt origines, & cuicunque origini correſpondent duæ relationes, actiua, ſcilicet, & paſſiua, ergo de neceſſitate erunt quatuor relationes Dices. Si ſpiratio actiua diſtinguitur realiter ab alijs, cur non habet perſonam correſpondentem ſibi, ſicut alię? Dico, quod habet perſonam correſpondentem, ſcilicet Spiritum Sanctum. Quare non conſtituit, quia non eſt propria vni perſonæ, ſed duabus, & relatio propria eſt illa, quę vltimate conſtituit.

Octaua diſt. Quæſt. quinta, lib. primi.

1. *Iacobus.* SCOTVS l. 1. d. 8. Q. 5. ad A. citãs dictũ Ariſt. 7. Phi. dicit. õne quod mouetur ab alio mouetur. Oppoſ. huius patet in via Sco. plurinus loci. Nã ele-

mẽta mouẽtur à ſe ipſis, & multa poſsũt eſſe in actu virtuali, & in potẽtia formali reſpectu eiuſdẽ, vt eſt ſubiectum reſpectu paſſionis, & animatum reſpectu quantitatis, & grauia, & leuia reſpectu ſuorum vbi, & animalia ſe mouentia progreſſiuè, & aqua calefacta reducit ſe ad frigiditatem, & potentia cognitiua, & appetitiua mouent ſe ad actus ſuos. His ergo ſtantibus, quomodo eſt verum dictum Ariſt. Omne quod mouetur ab alio mouetur.

Lucas. Reſp. Omnia, quæ dicta ſunt, & omnes illę potentiæ dupliciter poſſunt ſe mouere, vel ad actus ſecundos, vel ad actum primum, verum eſt quod poſſunt ſe mouere ad actus ſecundos, ſed non ad actum primum itaque effectiuè, quantum ad actum primum mouentur ab alio, & ita ſaluatur dictum Ariſt. Omne quod mouetur &c. Id etiam docet Scotus lib. 2. d. 2. Q. 10. & 9. Methap. Q. 14. Hoc idem ait Rubion. d. 8. p. Q. 7. cum iſta gloſula tenet ratio Ariſt. At nota quod Galenus in lib. contra demõſtrationem Ariſt. dicit, quod ratio illa nihil valet. Idem ait Greg. vt recitat Soncin. Q. 8. 9. Meth. Themiſtius dicit. Illam rationem ſuperfluere. Scotus ait. Si fortè valet, tamen diminutè concludit, licet ducat eam ad bonum ſenſum lib. 2. vt dictum eſt. D. Thom. vult illam rationem eſſe à priori, & propter quid. Auer. verò, quod ſit tantum demoſtratio ſigni. Huic aſſentit Sco. vt habet 9. Methaph. Q. 14. Cum dixit Ariſt. quod tantum quieſcit ad quietem partis, li, ad tenetur conſecutiuè non cauſaliter. Et Auer. reſp. Galeno pro Ariſt. 7. Phiſ. cap. 1. ait Galenus fuit deceptus: nam cum dixit Ariſt. Omne quod mouetur &c. Non intellexit ab extrinſeco, ſed ab alio, quatenus mouetur à parte, & mouet ſe ipſam. At ſemper dubitatur, quomodo ratio Ariſt. concludat intentum ſuum. Habet enim probare, quod omne, quod mouetur, mouetur ab aliquo extrinſeco, quod non facit illa ratio, vt patet. Idcirco non mirum eſt; ſi multi dixerunt eam non valere. Poterit tamen dici quod ratio Ariſt. probat, præſuppoſito, quod Deus non habeat partes integrales; quo ſtante, ſequitur ipſum non poſſe moueri ad quietem ſuarum partium cum non ſint.

2. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 8. Q. 5. ad A. dicit ad hoc, vt rationes illæ 5. 7. 8. Phiſ. vbi Ariſt. probat immortalitatem Dei, valeant, indigent expoſitione. Et forte non plus concludunt, niſi quod primum non mouetur, vt corpus, ſed vt virtus in corpore, ſicut anima mouetur per accidens in corpore moto. Oppoſitum huius habet lib. 2. d. 2. Q. 10. vbi exponendo loca illa Ariſt. tuetur. rationes illas valere.

Lucas. Reſp. Scotus d. 8. pr. dicit (forte non plus concludunt &c.) Vt Theologus, tenens Angelos eſſe ſimpliciter mobiles, & ab eo declaratur lib. 2. d. 2. Q. 9. At Philoſopho ſat eſt ad concludẽdũ immobilitatẽ, quod non moueatur, vt corpus, at vt virtus in corpore, quia ad id bene ſequitur immobilitas. Ex hocque concludit Ariſt. quamlibet ſubſtantiam abſtractã, ſeu non eductam de potentia materiæ eſſe ſimpliciter immobilem. Idcirco 8. phiſ. poſt quam concluſerat per hoſce proceſſus motorem immobilem, ait. Vtrum autem ſit vnus talis motor: aut plures, alterius negocij eſt, quam Phiſici, quia pertinet ad Methap. Ideo 12. Methap. concludit Ariſt. tot eſſe tales motores, quot ſunt orbes mobiles; & ſi (vt ipſe concludit) ſit vnus primus motor ſimpliciter immobilis, ideſt independens in ſuo motu. Rationes tamen philoſophi non concludunt contra theologum, ſ. probando ſubſtantias abſtractas, alias

a pri-

à prima, eſſe ſimpliciter immobiles, quia communiter adducuntur rationes Ariſt. 6. phiſ. quibus probat indiuiſibile non poſſe moueri. Ad quas poſſet dici, quod concludunt indiuiſibilia de genere quantitatis non poſſe moueri, contra Democr. & Plat. aſſerentes oppoſitum. Vel indiuiſibile non poteſt moueri per Ariſt. arguentem contra illos, dicentes totam cauſam ſucceſſionis, continuitatis motus eſſe ex parte mobilis, & tamen ponebant indiuiſibile poſſe moueri, ita quod illa argumenta ſunt ad hominem. Ad argum. vero 8. phis. & 12. Metha. poteſt dici, quod, vt procedunt de alijs à primo, concludunt, quod ens abſtractum non ſit mobile, vt corpus, vel vt virtus in corpore, ex hoc ſi inferas, ergo ſimpliciter immobile, negatur. Nam ad concludendam immobilitatem ſimpliciter, requiritur infinitudo, ſeu in dependentia, quia incompoſſibilitas terminorum, vt dicitur in 2. eſt cauſa ſucceſſionis in motu reſpectu potentiæ finitæ. Itaque infinitas in entitate, & neceſſitas à ſe, & huiuſmodi prędicata concludunt immobilitatem.

3. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 8. Q. 5. ad B. dicit Henr. dicens, primum modum habendi eſſe, ſcilicet ex ſe formaliter eſſe neceſſe eſſe, & ab alio cauſaliter, non eſſe ad mentem Ariſt. Dicit inquam Sco. non bene ſe habere. Oppoſitum huius patet ex Ariſt. 2. Phiſ. 29. & 2. Meth. 6. & 5. Meth. 2. vbi diffiniens cauſam efficientem, ait, quod eſt cauſa, vnde motus, ergo ſi Intelligentiæ haberent cauſam efficientem, eſſent effectæ per motũ, quod eſt falſum.

Lucas. Reſp. Scotus 9. Meth. Q. 3. & 4. docet, quod Ariſt. nec in Phiſ. nec in Methap. diffinit potentiam actiuam methaph. at phiſicè ſemper. Dices, quomodo debet methaph. diffiniri? Sic methap. habet diffiniri ait Scotus. Potentia actiua eſt principium efficiendi aliud, inquantum aliud; ſicque patet ad difficultatem. Dices. Philoſophus naturalis non debet diffinire, niſi quod eſt ſenſibile, vel ex ſenſibilibus deducibile, ſed nec per ſenſum, nec ex ſenſibilibus poſſumus concludere, quod ſit agens ſine motu, ergo &c. Negatur minor; nam ſicut ex mobilibus manuducimur ad primum immobile, ita ex effectibus ad primum efficiens; at de his ſuperius ſat diximus. Adhuc dices. Si habet eſſe ab alio, ergo ex ſe habet non eſſe, ergo eſt poſſibile non eſſe, & ita non habet eſſe neceſſarium. Dico ex se habet non eſſe effectiuè, ſed non formaliter. Denuo dices. Auer. 12. Methap. 9. ait. Omne compoſitum eſt nouum, & ità Intelligentiæ cum ſint compoſitæ, erunt nouæ, quod ſint compoſitæ patet, ex l. 1. d. 8. Q. 1. Dico ad dictum Auer. ſic. Omne compoſitum eſt nouum, ideſt dependens; ſi ſic, daretur ſaltem creatio æterna; concedo in via Philoſophi dari creationem ęternam. Dices iterum, vel neceſſitas eſt de eſſentia talis entis, vel non; dico, quod neceſſitas eſt modus intrinſecus, & non eſt de eſſentia, & illud ens eſt formaliter neceſſarium ex ſe, ſed non à ſe. Dices tandem: aut producitur per motum, aut per mutationem, non per motum, quia tunc non eſſet æterna, nec per mutationem, quia talis requirit ſubiectum, vt ait Scotus l. 2. d. 4. & 5. & alibi. Dico, nec per motum, nec per mutationem, ſed per ſimplicem creationem, quæ nec eſt motus, nec mutatio.

4. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 8. Q. 5. ad B. dicit, citans dictum Ariſt. 12. Methap. Cuiuſcunque eſt cauſa finalis, eius eſt cauſa efficiens. ex quibus verbis elici poteſt, quod corpora cæleſtia, & Intelligentiæ dependent à pri-

ma non ſolum in genere cauſæ finalis, ſed etiam efficientis.] Idque clarius dicit lib. 2. d. 1. Q. 2. & ita in via Ariſt. ex Scoto datur vera creatio in qua creans tantum natura, & non tempore præcedit creatum. Oppoſitum habet Ariſt. 1. Phiſ. 71. & Auer. in com. vbi concorditer aiunt Ex nihilo nihil fit, ergo Intelligentiæ non poſſunt ſic cauſari.

Lucas. Reſp. Pro hac difficultate tollenda, principiò videndum eſt, quomodo à Philoſopho detur creatio; deinde firmatur opinio Scoti, & tandem reſolutio habebitur: quo ad primum. Concedit creationem in hunc modum, ideſt productionem verè realem, ex puro nihilo. Vbi eſſe creantis tantum præcedit eſſe creati ordine naturæ, & non durationis; & in tali creatione ex carentia ſubiecti eſt tantum productio ſine omni mutatione. Creationem verò, quæ nullum ſubiectum præſupponit, cuius non eſſe duratione præcedit eſſe, nullo pacto Ariſt. concedit at ſic Theologus. At quid eſt creatio? Dico ex Scoto lib. 4. d. 1. Q. 1. creatio eſt productio de nihilo. Creare ex prima d. 2. Q. 2. Eſt aliquid de nihilo producere in effectu. Creatura autem ex Scoto lib. 3. d. 11. Q. 1. eſt, quę accipit eſſe immediatè a primo efficiente poſt omnino nihil. Opinio Scoti eſt, quod Intelligentiæ omnes, corpora cæleſtia, materia prima, & omnia æterna (quicquid dicant Greg. & Baccon. l. 2. d. 5. Q. 1.) dependent à prima, non ſolum in genere cauſæ finalis, ſed etiam efficientis, modo iam prædicto creantur, & firmatur hæc ſententia his dictis. Primo, Ariſt. 2. Meth. t. 7. 8. probat ſtatum in genere cauſæ efficientis, quod non eſſet, niſi omnia eſſent effecta a Deo; ſed effectum primum, vt dicit Scotus lib. 2. d. 1. Q. 2. fuit factum, nullo alio præſuppoſito, ergo creatum. Secundo, id expreſsè ponit Ariſt. 6. Methap. cap. 2. & 9. Meth. cap. 4. vbi ponit verè creationem, inquantum eſt proceſſio naturæ creantis ad creatam. Tertio, eſt auctor. Ariſt. 2. Methap. 4. Principia ſempiternorum eſſe cauſas extremorum & quantum ad entitatem, & quantum ad veritatem. Et Auer. ibi dicit. Prima cauſa eſt tantum per ſe ens, & per ſe vera; alia autem ſunt entia, & vera per veritatem eius, & eſſe eius. Quarto Auer. 12. Methap. dicit. In Intelligentijs eſt cauſa, & cauſatum &c. Quinto, Ariſt. 12. Methap. in fine, vult omnia dependere à prima cauſa in genere finalis cauſæ (quod etiam concedunt Greg. & Baccon.) ſed cauſatio finis eſt mouere efficiens. Sexto, Ariſt. 5. Methaph. 6. concedit quorũdam neceſſariorum eſſe alteras cauſas. Septimo, Auer. 8. phiſ. 15. in fine com. ait, quod ſunt res neceſſariæ, quæ non habent principia, nec cauſas, quia tunc procederetur in infinitum, deinde declarat, multa neceſſaria habere cauſas: & 6. Methap. expreſſe dicit. Entia abſtracta ſunt cauſæ corporum cęleſtium, & 9. Methap. 1. & 2. vult, quod potẽtia actiua in plus ſe habeat, quam tranſmutatiua. Cauſatio autem non eſt mutatio, ſed tantum productio, & ita poterit dari creatio, vbi materia non erit. Et lib. de ſubſt. orbis, ait, Intelligentiam non ſolum mouere orbem, ſed ipſum cauſare, & conſeruare, at conſeruare ſpectat ad genus cauſæ efficientis. His notatis, dico ad formam difficultatis. Creatio poteſt conſiderari dupliciter, vno modo, vt eſt productio in eſſe vero ex nihilo; ſecundo modo, vt origo paſſiua, per quam aliquid capit eſſe per iſtans; hacque diſtinctione poſſunt omnes auctoritates verificari, loquendo de creatione; ſecundo modo, & non primo. Rurſus. Dum ait Ariſt. de nihilo nihil fit, loquebatur de gene-

generatione, & non de creatione. Dices, data veritate huius, ſequitur quod materia ſit effecta ab æterno, ſed id eſt contra Ariſt. 1. Phiſ. 82. dicentem. Materia eſt ingenerabilis, & incorruptibilis. Concedo materiam non eſſe genitam, nec generabilem, nego tamen non eſſe effectam ſeu creatam, quia aliud eſt rem generari, & rem creari. Dices adhuc. Intelligentia ſecunda eſt ſempiterna, ergo non eſt facta, quia, quod factum eſt, non poteſt eſſe incorruptibile ex 1. cæli 134. Dico; quędam eſt factio, quam concomitatur motus, vel mutatio. Alia eſt, quæ eſt ſimplex productio ſine motu, & mutatione. Ratio concludit primo modo, ſed non ſecundo. Dices tandem. Secunda intelligentia ſi eſt facta, ergo poſſibilis, quia omne factum poſſibile eſt, vt fiat, quia impoſſibile non poteſt fieri. Si cum hoc eſt neceſſaria, tunc natura poſſibilis vertitur in neceſſariam, contra Auer. 134. Dico, quod eſt poſſibilis poſſibilitate logica, quæ eſt non repugnantia terminorum ſed non eſt poſſibilis, vt poſſibile quod conuertitur cum contingenti; aut diſtingue poſſibilitate ab æxtrinſeco, vel ab intrinſeco,

5. *Iacobus.* Scot. l. 1. d. 8. Q. 5. ad B. dicit. Nec eſt ſimile de figuris, & numeris, quia eſt, ibi prior, licet non ſit cauſa effectiua poſterioris, eſt tamen cauſa materialis. Oppoſitum apparet ex contrarietate; nam impoſſibile eſt, quod vna ſpecies ſit cauſa alterius ſpeciei.

Lucas. Reſp. Scoti dictum intelligitur materialiter, non formaliter; quoniam (texte Porph.) duę ſpecies completæ non poſſunt tertiam conſtituere formaliter, ſecus eſt effectiuè, vt patet de generatione burdorum.

6. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 8. Q. 5. ad B. dicit. Neceſſitas enim eſt conditio exiſtentiæ; non igitur ſpeciei conuenit, niſi in indiuiduis. Oppoſitū habet Scotus l. 4. d. 45. vbi vult naturam ſpecificam habere exiſtentiam competentem ſuę entitati.

Lucas. Reſp. Quamuis non habeat propriam exiſtentiam, ſibi correſpondentem, tamen ſicut ſua Eſſentia non diſtinguitur realiter à ſingulari, ita nec ſua exiſtentia ab exiſtentia ſingularis, & tantum in ſigularibus reperitur; & ita debet intelligi Scotus. Ex quo ſequitur, quod ſpecies corruptibilium ſolum per accidens ſunt neceſſarię, & elementum ab intrinſeco ſecundum ſe totum eſt corruptibile, at non deſtruitur, quia rueret ordo vniuerſi; ſicque tantum ab extrinſeco eſt incorruptibile.

7. *Iacobus.* Scotus lib. 1, d. 8. Q. 5. ad B. dicit corruptibile eſt ex cauſa intrinſeca, quādoque neceſſariò non eſt. Oppoſitum huius habet lib. 1. d. 8. Q. 1. vbi vult, quod nec materia, nec forma poſſint aſſequi actum ſuum ſine agente extrinſeco.

Lucas. Reſp. Corruptibilia ſunt in duplici differentia, homogenea, & ætherogenea, & vtraque corruptibilia ſunt ab intrinſeco, & extrinſeco, ſed diuerſimodè. Nam ętherogenea corruptibia ſunt ab intrinſeco tripliciter. Primo, ex conſumptione humidi radicalis. Secundo, quia illius partes ſunt diuerſarum rationum, & mutuo pugnant ad inuicem. Tertio, quia ex impuritate alimenti pars ſecundum ſpeciem fit pars ſecundum materiam, vt ait Scotus lib. 2. d. 19. & lib. 4. d. 44. Q. 2. At eſt alius modus communis tam toti ætherogeneo, quam homo geno, ſcilicet appetitus materiæ ſemper machinantis ad maleficium, ſed ex hoc præciſè tamen, nunquam reducetur ad actum ratione huius tantum, ſed neceſſariò requiritur agens extrinſecum. Hiſque patet ad contradictionem.

Scotus

8. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 8. Q. 5. ad G. dicit. Ex poſitione poſſibilis in eſſe, non ſequitur impoſſibilitas, nec noua incompoſſibilitas alicui neceſſario, & alludit ad id, quod habet Ariſt. 9. Methap. 7. & 8. phiſ. 36. & 1. de gener. 18. vbi diffiniens posſibile, ſic dicit. Eſt autem poſſibile hoc, cui ſi exiſterit actus, cuius dicetur habere potentiam, nihil erit impoſſibile; hæcque diffinitio eſt ſimilis illi, quæ habetur de contingenti Priorum lib. 1. 18. Dico autem contingere, & contingens, quo non exiſtente neceſſario, poſito autem in eſſe, vel non eſſe, per hoc nihil erit impoſſibile. Oppoſitum huius habet Scotus lib. 4. d. 49. Q. 13. in reſp. ad vltimum princ. vbi ſic ait. Ex poſſibili poſito in eſſe, ſequitur noua impoſſibilitas.

Lucas. Scoti dictum in 4. intelligitur de impoſſibilitate, quę eſt ab extrinſeco, & non ab intrinſeco, ſcilicet ratione potentiæ in ſe; quantum enim ſit ex parte ſubiecti, ita poteſt recipere formas nouas, ſicut ante; ab extrinſeco ergo, & non ratione ſui eſt illa repugnantia. Dices. Continuum eſt diuiſibile in infinitum, & tamen ſi eſſet actu infinitum diuiſum, ſequeretur imposſibile. Dico, actus correſpondens diuiſibilitati continui non eſt continuum ex ſe actu diuiſum; ſed iſtud continuum ſemper diuiditur, vt ait Zerbus. Vel conſule reſp. Scoti lib. 2. d. 2. Q. 9. Dices amplius. Album poteſt eſſe nigrum, & ſedens poteſt ſtare, ſed ſi ponatur in eſſe, ſequitur imposſibilitas. Dico, quod album poteſt eſſe nigrum, & ſimiles ſunt verę in ſenſu diuiſo. Replicabis. Superficies ſimul habet potentiam ad albedinem, & ad nigredinem, ergo ſimul poteſt recipere. Dico, verum eſt quantum eſt ex ſe, ſed repugnantia eſt ab extrinſeco. Vel diſtingue, de ſimultate potentiæ, & de potentia ſimultatis.

9. *Iacobus.* Scotus l. 1. d. 8. q. 5. ad I. dicit. Philoſophi concedunt communiter, quod prima cauſa naturaliter, & neceſſario cauſat primum cauſatum. Oppoſitum videtur habere Ariſt. 11. Met. 36. vbi dicit prima cauſa mouet, vt appetibile, & intelligibile. i. cauſat cauſatum per intellectum, & voluntatem, ergo non naturaliter.

Lucas. Reſp. Naturaliter capitur dupliciter primo large, & idem eſt, quod neceſſario cauſare, id eſt non coactè cauſare, & ſic ſpectat ad intellectum, & voluntatem, ſecundo ſtrictè, & ſic ſpectat ad intellectum ſolum; naturaliter capitur à Scoto primo, & nō ſecūdo modo. Nota, quod ait. Cauſat primum cauſatum; quoniam vlt. Q. Quol. in fine habetur, quomodo ſine ſui mutatione poteſt Deus contingenter cauſare aliquid de nouo in iſtis inferiorioribus & iſta contigentia accipitur ex diuerſitate accepta in his inferioribus. At non ſic eſt de primo cauſato.

10. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 8. Q. 5. ad K. dicit. Intellectus agens naturaliter perficitur ſua actione. Oppoſitum patet ex Scoto pluribus locis, nam actio intellectus agentis, ſiue ſit intellectio, ſiue ſpecies intelligibilis recipitur in intellectu posſibili, ergo per eam non perficitur intellectus agēs.

Lucas. Reſp. Vigerius dicit, quod intellectus agens capitur a Scoto pro intellectu posſibili. Adde tu, Intellectus agens capitur pro intellectu actiuo. Vel dic, Intellectus agens perficitur realiter, non formaliter.

11. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 8. Q. 5. ad L in quadam reſp. pro Auic. dicit. Ita tamen quod illa productio perfectionis in alio non ſit finis, ſicut nec finis aquę eſt infrigidare, Ex quibus verbis vult habere, quod Deus, licet cauſet alia, non tamen perficitur ab illis. Oppoſitum habet Ariſt. 12. Me-

thap-

chap. 48. dicens, Omnis ſubſtantia impaſſibilis eſt ſortita optimum finem, ergo videtur ſubſtantia impaſſibilis perfici.

Lucas. Reſp. Duplex eſt finis, perficiens, & prouenniens ex perfectione, beatitudo in ſubſtantijs impaſſibilibus eſt finis perficiens, ſed mouere (quia dicit Ariſt. ſortita ſunt optimum finem, quia ſunt causæ actiuę lationum) eſt finis ex perfectione proueniens. Similiter debet gloſari dictum Auer. 12. Meth. 36. motus eſt finis Intelligentiarum, non finis perficiens, ſed finis prouenıens ex perfectione.

12. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 8. Q. 5. ad O. dicit. Ex minus impoſſibili non ſequitur impoſſibilius, ſicut, nec ex minus falſo ſequitur falſius. Oppoſitum huius eſt id, quod communiter dicitur. Ad impoſſibile ſequitur quodlibet.

Luca. Reſp. Scoti dictum, ex minus impoſſibili non ſequitur impoſſibilius, veritatem habet in formali conſequentia. Nam benè de materia ſequi poteſt ſecundum communiter dictum. Ad impoſ. ſeq. quod. licet nunquam id dixerit Ariſt.. Sed dixit. quodlibet cum quolibet, vel eius oppoſitum ſtat. Similiter poteſt dici de falſo, & minus falſo, de neceſſario, & minus neceſſario & conſimilibus.

13. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 8. Q. 5. ad O. tenet quod ex negatione minus neceſſarij non ſequatur negatio magis neceſſarij: at e conuerſo bene ſequitur. Oppoſitum huius habet Scotus lib. 2. d. 1. Q. 1. art. 3. vbi ait. Per impoſſibile, negata productione ad intra, propter id non debet negari productio ad extra, ergo ex negatione minus neceſſarij non debet negari magis neceſſarium.

Lucas. Reſp. Vigerius ſic ait. Quamuis productio ad intra ſit magis neceſſaria & ideo negare illam ſit maius impoſſibile, tamen comparando eas inter ſe, negando primam, maneret tamen tota potentia cauſatiua in vna perſona, ſicut nunc eſt in tribus. Et ideo minor eſt neceſſitas ſecundæ productionis, ſcilicet ad extra ad ſuam cauſam. Aut dicas: Sco. intelligit, quando inter magis neceſſarium, & minus neceſſarium eſt talis ordo, quod ab intrinſeca ratione repugnat minus neceſſarium poni, magis neceſſario non poſito, quod ſic non eſt de productione ad intra, & de productione ad extra, vt lib. 2 notat Sco. Adde. Hæc inſtantia non videtur contra Scotum. Nam Scotus 8. pr. habet pro inconuenienti, quod magis neceſſarium ponatur non eſſe propter non eſſe minus neceſſarij, & non vult, quod poſſit minus neceſſarium poni in eſſe, magis neceſſario non poſito.

14. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 8 Q. 5. ad R. dicit. Sicut in entibus entitas cauſæ eſt formaliter alia ab entitate cauſati. Oppoſitum habet lib. 1. d. 2. p. 2 Q. 1. & alibi, vbi vult, quod inter cauſam, & cauſatum ſit diſtinctio realis.

Lucas. Reſp. Dum ait Scotus d. 8. pr. quod inter cauſam, & cauſatum eſt deſtinctio realis, his verbis, ponat veritatem aliam à veritate &c. Sicut in entibus entitas cauſæ eſt formaliter alia ab entitate cauſati, li, formaliter, capitur, vt eſt aduerbium deductum à forma, & non deducitur à formalitate. Similiter poteſt dici, de li, realiter, vt venit à re, & vt venit à realitate, vt notat Auct. formal. cap. de diſt. & Ident. reali.

15. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 8. Q. 5. dicit in rationibus contra Philoſophos. Deus ſe ſolo poteſt cauſare omnem entitatem abſolutam, non ſic eſt de reſpectiua, vt notant Scotiſtæ. Oppoſitum poteſt ſic deduci in via Scoti. Deus poteſt ſuplere omnem cauſam efficientem, ergo poterit ſuplere

cau-

Chriſti videre infinita; ſicque patet ad dubium.

19. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 8. Q. 5. ad. Y. dicit. Voluntate antiqua poteſt fieri nouus effectus, ſine mutatione voluntatis, vt Deus in æternitate voluit aliud à ſe eſſe pro aliquo tempore, & tunc illud creauit, quando voluit eſſe. Oppoſitum habet Auer. 8. Phiſ. c. 8. & 15. vbi ait. Voluntas Dei non expectat tempus, cum talis expectatio imperfectionem ponat in expectante.

Lucas. Reſp. Queras. Reſp. At nota, quod voluntate antiqua poſſit venire effectus nonus ſine eius tranſmutatione patet ex Articulo Pariſienſi publicato ſub Stephano illius vrbis Epiſcopo 1226. Dominica 4. quadrageſimæ de Conſilio illius ciuitatis omnium Theologorum, dicente ſic. A voluntate antiqua non poteſt nouum prouenire ſine eius tranſmutatione præcedente, error. Et ſi omnes cauſæ aliquando fuerunt ſub quiete neceſſe eſt ponere Deum mutabilem. Error. Et ſcias hęc, Deus voluit pro æterno, & ab æterno fore, ſi æterno poteſt determinare ſi voluit, & ſi fore, ſi determinat, voluit, eſto quod à ſit contingens, ſunt ambæ verę, ſed ſi determinat, fore, ſunt ambæ falſę, & cum dicitur omnis actio infert paſſionem, verum eſt de actione facta cum motu. Et ſi dicatur. Agens agit actione, verum eſt, vt actu productiuo, ſed non vt principio formali producendi, & nota, error Philoſophorum eſt quia dicebant, Deum referri realiter ad creaturam, ſicut creatura refertur realiter ad Deum. Ex quo ſequitur, quod nihil immediatè poteſt producere Deus ſine mutatione ſui, quod eſt falſum.

20. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 8. Q. 5. ad Y. dicit. Voluntas Dei vult, eſt immediata propoſitio reſpectu omnium contingentium. Oppoſitum habet Sco. 39. pro. Q. ad N. vbi vult quod prima contingentium ſit. Eſſentia vult.

Lucas. Reſp. Si ordo ſit in contingentibus, & quomodo ſit, aliàs dictum eſt. At ſcias id verum in via Scoti, primam omnium contingentium eſſe hanc Deus vult. Ad id quod dicit Sco. d. 8. pr. cum ibi non fuerit locus diſputandi, quæ ſit prior, ſufficit ſibi, quod ad propoſitum ſuum ibi, quod hæc, voluntas vult, ſit prior, ita quod non habeat cauſam priorem, tamen in rigore ſermonis, & ſecundum Scotum. Hæc eſt prima. Deus vult. Iſta verò, voluntas vult, non eſt vera de rigore ſermonis, ſed conceditur ad bonum ſenſum.

21. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 8. Q. 5 ad Z. dicit. Neceſſitas repugnat omni reſpectui ad poſterius, quia ex quo omne poſterius eſt non neceſſarium primum, non poteſt habere neceſſariam habitudinem ad aliquid eorum. Oppoſitum huius patet ſic in via Scoti. Relationes ſunt poſterius Eſſentia, & tamen ſibi non repugnat neceſſitas, imo conuenit.

Lucas. Reſp. Diſtingue poſterius tempore, & origine. Nota, quod, vt aliquid ſit perfectio ſimpliciter, duo requiruntur: quod ſit eſſentiale, & quod ſit ad ſe. Vnde omnis perſerfectio ſimpliciter eſt neceſſaria in Deo, ſed non e contra, omne neceſſarium eſt perfectio ſimpliciter, quia paternitas in patre eſt neceſſaria, & tamen non eſt perfectio ſimpliciter. Ideo neceſſitas dicit perfectionem, vbi ipſa perfectio eſt compoſſibilis, ubi autem non eſt compoſſibilis, non dicit perfectionem, vt in relationibus.

NONA DISTINCTIO.

QVAESTIO VNICA.

LIBRI PRIMI.

1. *Iacobus.* SCOTVS d. 9. Q. v. lib. 1. in initio in 2. argumento ad oppoſitum dicit. Si igitur eſt patri proprium ſemper genuiſſe, proprium eſt filio ſemper genitum eſſe, ſicq; ſemper naſcitur, & ſemper genitus eſt. Oppoſitum videtur habere l. 83. Q. 37. Aug. vbi ait, quod ſemper naſcitur, non dum eſt; ergo ſi filius Dei eſt natus, non ſemper naſcitur.

Lucas. Reſp. Semper fuit creditum generationē ſemper fuiſſe filij ab æterno, & quod nunquam ſit terminata, nec terminabitur: at in eternum ſemper fuerunt, & erunt genitum, & generatio, ita quod ſemper erit ipſa productio, & ipſum productum: vt inquit Sco. 2. quolib. art. 3. & his firmatur dictis. Damaſc. Primo ait. Deus eſt infinitè, & ſine tempore ens, infinitè, & inquieſcibiliter generat. Secundo. Realiter infinitum caret omni termino, & generatio eſt realiter infinita, &c. Tertio. Si ab æterno genuit, & nunc non generat, ergo mutatus eſt, quod eſt impoſsibile. Quarto. Inconueniens eſt aliquam potentiam eſſe in Deo, & non eſſe ſub actu, ergo potentia generatiua in Deo ſemper eſt ſub actu, ſicque ſemper generat filium. Quinto. In his quæ ſunt ſine motu, ſimul ſunt factum eſſe, & fieri, ergo cum generatio filij non ſit per motum, ſimul eſt, & generatur. Tandem conſule Magiſtrum 9. d. lib. 1. citantem plurimas ſanctorum auctoritates, id oſtendentes. His viſis, reſp. ad Aug. Dictum eius veritatem habet in creaturis. Sed non in omnibus, at in his, quę naſcuntur per motum, & mutationem, ſicque non eſt ad rem, de generatione æterna filij Dei. Dices. Ariſt. 1. de Interp. ait, quod fit, non eſt, ergo à ſimili, quod generatur non eſt genitum. Reſp. vt ſupra. Dices adhuc. Generatio terminatur ad genitum eſſe, ſed filius Dei eſt genitus, ergo generatio eius terminata eſt. Dico, Verum eſt, vbi terminatum excludit imperfectionem, ſed non vt excludit durationem. Dices amplius. Nobilius eſt, genitum eſſe, quam generari, quia generari eſt via ad genitum eſſe, ſed nobilius Deo eſt attribuendum, & minus nobile ab eo remouendum, ergo videtur, quod filius genitus ſit, & non quod generetur. Dico, quod verum eſt, vbi genitum, & generari non ſunt vnum, & idem, & vbi non poſſunt eſſe ſimul, vt eſt in creaturis. Occam ſic probat, filium genitum æternaliter. Impoſsibile eſt aliquid eſſe idem cum Eſſentia diuina, & non eſſe ęternum, at tam generatio, quam filius ſunt idem cum Eſſentia, ergo &c. Franc. ſic probat, quandocunque aliquod ſuppoſitum agit actione aliqua conſtituente in eſſe ſuppoſitali, ſi ſuppoſitum eſt æternum, tunc, & productio eius eſt æterna. Pater in diuinis æternaliter conſtituitur per generationem, ergo &c. Riccardus ſic. Summa actualitas eſt in vtroque, ergo pater nunquam

fuit

fuit in potentia, nec filius ad generari, quod tamen contingeret, ſi pater ab æterno non genuiſſet filium. Bonauentura ſic. Si incepit generari, ergo incepit eſſe, ergo ſecundum ſubſtantiam eſſet mutatus, quod eſt falſum.

2. Iacobus. Scotus lib. 1. d. 9. Q. v. ad B. dicit. Generatio filij Dei eſt perfecta, & colligit quicquid perfectionis ſparſim recipitur in generationibus creaturarum. Oppoſitum habet 5. Q. Quol. vbi vult, quod generatio nullam ponat perfectionem.

Lucas. Reſp. Generatio filij Dei non dicitur perfecta, eo quod aliquam perfectionem includat, ſed pro quanto excludit omnem imperfectionem, vt faciunt omnes relationes diuinæ. Notandum, quod Generatio filij Dei eſt per modum naturæ permanens alicuius ſuppoſiti intellectualis ad eſſe ſuppoſitale, cuius eſt idem eſſe, & produci in eadem natura numero producentis. At quæres. quid æternitas eſt. Franc. ponit aliquos modos circa id. Prior eſt. Aeternitas nihil eſt, niſi ipſa exiſtentia. Id non poteſt ſtare, quæcunque ſunt idem formaliter, ſi vnum communicatur, & reliquum, ſed exiſtentia communicatur creaturæ, ergo cõmunicabitur ſibi æternitas, ſi exiſtentia, & æternitas ſunt idem. Alter eſt. Aeternitas eſt attributum ſpeciale diuiſum ab illis. Contra, quod conuenit cuilibet, non eſt attributum ſpeciale diuiſum ab alijs, ſed æternitas conuenit omnibus alijs. Tertius eſt. Aeternitas eſt pura negatio principij in duratione. Contra. Si creatura eſſet ab æterno, adhuc æternitas Dei eſſet alterius rationis ab æternitate creaturæ, & tamẽ creatura caret principio durationis, ſicuti Deus. Quartus eſt. Aeternitas eſt habitudo ad tempus, itaquod æternitas eſt, qua Deus coexiſtit cuicunque tempori. Contra. Aeternitas conuenit Deo, omni alio circumſcripto, ergo non conuenit ſibi per habitudinem ad tempus. His confutatis. ait Franciſcus. Aeternitas eſt modus intrinſecus omnium diuinorum, non ſolum abſolutorum, ſed etiam relatiuorum, & in hoc differt a diuina infinitate, quæ ſolum conuenit abſolutis, & addit Franc. quod cum in diuinis ſint quatuor modi intrinſeci: exiſtentia, infinitas, neceſſitas, & æternitas, hi tres, ſcilicet exiſtentia, neceſſitas, & æternitas ſunt communes omnibus, at non infinitas, vt dictum eſt. Boet. l. 4. de conſolatione proſa vlt. ſic diffinit æternitatem. Aeternitas eſt interminabilis tota ſimul, & perfecta poſſeſſio, & dicit: Si mundus, ſecundum Philoſ. careat principio, & fine, non tamen eſt æternus, quia non eſt tota ſimul, & perfecta poſſeſſio, quia præteritum iam eſt tranſactum, & futurum nondum eſt.

3. Iacobus. Scotus lib. 1. d. 9. Q. v. per totum ponit generationem filij æternam. Oppoſitum patet ſic. Cuius non eſſe præceſſit ſuum eſſe, non eſt æternum ſed non eſſe filij præceſſit eius eſſe, ergo non eſt æternum. min. patet ſic. Nam generatio, & corruptio ſunt oppoſitæ mutationes, 5. Phiſ. Ariſt. at corruptibilis eſſe præcedit non eſſe, ergo ex oppoſito, geniti non eſſe præcedit eſſe. Tum. Filius pro ſecundo inſtanti originis eſt, pro primo non eſt, ſed primum inſtans præcedit ſecundum, ergo non eſſe præcedit eſſe filij.

Lucas. Reſp. Quando dicitur. Cuius non eſſe præcedit eſſe &c. Duplex eſt non eſſe ſimpliciter, & ſecundũ quid: maior vera eſt de primo non eſſe, & non de ſecundo non eſſe ſecundum quid, ideſt non eſſe tale, hoc eſt à ſe, & non ſimpliciter non eſſe, quia filius habet ſimpliciter eſſe, licet

non habeat eſſe à ſe. Dices. Si filius æternaliter generatur à patre, & ſemper generatur, ergo filius generat ſe ipſum: patet. Habens principium formale productiuum in aliquo inſtanti, in quo non habet terminum productum, illo principio ſemper poteſt producere, hoc patet ex 10. d. 1. & alibi. Si ergo filius in primo inſtanti æternitatis per generationem accipit principium productiuum formaliter, ergo in ſecundo inſtanti naturæ, ſeu temporis coexiſtente exiſtenti æternitatis, filius eomet principio producit filium, patet hæc conſequentia, quia in illo ſecundo inſtanti memoria fecunda verè eſt in patre principium generãdi, ergo, & in filio in eodem inſtanti eſt principium generandi filium, ergo filius generat nunc ſe ipſum, & ſemper generabit ſe ipſum. Reſp. Filius in diuinis nec pro ſecundo, nec pro tertio, nec pro aliquo alio inſtanti poteſt generare ſe ipſum, quia generans eſt prius genito, & licet filius pro ſecundo inſtanti, habeat potentiam generandi eamdem cum patre, & eamdem memoriam fecundam, quam pater, non tamen habet potentiam generandi, vt ſuperius oſtendimus. Si inferas, ergo in tertio inſtanti poterit generare mediante illa memoria fecunda, poterit generare vnà cum patre. Nego: quia in illo inſtanti originis in quo pater generat filium, filius non eſt, quia in tali inſtanti accipit eſſe a patre, & ſi in tali inſtanti pater non produceret filium, filius non eſſet. At quæres. Num, pater, vltra quod generet filium, eundem conſeruet? Minime, quia conſeruare reſpicit propriè rem poſſibilem, & cõtingentem, & omnis talis, quantum eſt ex ſe, dicit ordinem ipſius ad ſuum eſſe præcedens duratione, & agens primum non de neceſſitate, producit illam, quia tunc ab æterno produceret illam, quod non eſt.

4. *Iacobus.* Scotus l. 1. d. 9. Q. v. ad D. dicit. Expreſſius tamen ſecundum Gregorium ſignificatur diuinæ generationis veritas per hunc ſermonem, ſemper natus eſt, quia per iſtum ſermonem ſemper naſcitur. Oppoſitum huius uidetur eſse illud Exodi. 3. vbi nominauit ſe Deus per verbum præſentis temporis. Ego ſum, qui ſum, & non præteriti.

Lucas. Reſp. Generatio Filij Dei poteſt exprimi per naſcitur, & per natus eſt, tamen ad excludendũ errorem de cordibus ſimplicium, ne poſſint exiſtimare generationem illam tantum eſſe in fieri, conueniẽtius exprimitur per verbum præteriti temporis, quam præſentis, quia tamen illa generatio talis eſt, quia ſemper eſt perfecta, & genitus tamen ſemper generatur, conuenientiusſimè declaratur per verbum præſentis temporis, vel præteriti, & per aduerbium præſentis, vt Pſal. 2. Ego hodie genuit te. Tempus præſens exprimit eam, vt permanentem, & præteritum expremit eam, vt perfectam, & ita ſoluitur dubium. Quæres, quomodo conuenientius exprimitur verbo præteriti, an verbo futuri? Reſp. Riccardus. Conuenientius exprimitur per verbũ præteriti temporis, quia vt ſic, exprimitur perfecta, & ſi non permanens, ſed per verbum futuri temporis non exprimitur permanens, nec perfecta. Ideo conuenientius dicitur. Pater generauit, quam Pater generabit, licet vtraque admitti poſſit.

DECIMA

DECIMA DISTINCTIO.
QVAESTIO VNICA.
LIBRI PRIMI.

1. *Iacobus.* SCOTVS lib. 1. d. x. Q. v. ad F. dicit. Nullum infinitum poteſt eſſe poſsibile non neceſſarium. Oppoſitum huius habet Sco. lib. 1. d. 8. Q. 3. ad R. vbi dixit. Linea infinita, ſi daretur infinita, eſſet in genere, ergo ens poſsibile, quia ſolum tale eſt in genere.

Lucas. Reſp. Sco. dictum x. d. 1. ſic intelligitur. Nullum infinitum ſimpliciter in entitate infinitum poteſt eſſe poſsibile non neceſſariũ, at linea infinita, ſi daretur, non eſſet infinita intenſiuè, & conſequenter non excederet perfectionem conuenientem quantitati.

2. *Iacobus.* Scotus d. x. lib. 1. Q. v. ad M. Impugnat hanc diſtinctionem, quod voluntas capitur dupliciter. Primo, vt voluntas. Secundo, vt natura, & vt voluntas velit ad finem, & vt natura velit finem. Oppoſitum huius habet Sco. lib. 2. d. 3. Q. 5. 6. & 7. Et d. 5. Q. 2. & d. 36. & 42. & lib. 3. d. 15. & 17. vbi habet iſtam diſtinctionem, ſcilicet, quod voluntas conſideratur, vt natura, & vt voluntas.

Lucas. Reſp. Sco. non impugnat illam diſtinctionem, capiendo voluntatem, vt natura, pro appetitu, ſeu naturali inclinatione ipſius voluntatis, at increpat applicationem illius diſtinctionis, vt voluntas, ſcilicet, vt voluntas velit ad finem, & vt natura ipſum finem. Nam eiuſdem potentię actiuæ non ſunt oppoſiti modi agendi, modo naturaliter, & liberè ſunt oppoſiti modi, & primo diſtinguunt ipſam naturam.

3. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. x. Q. v. ad M. ex dicto Aug. in Enchir. cap. 63. ait, quod voluntas illa, qua volumus beatitudinem, eſt libera. Oppoſitum huius habet Scotus lib. 1. d. 1. Q. 4. vbi ex Aug. dicit, quod voluntas naturaliter vult finem vltimum.

Lucas. Reſp. Voluntas reſpicit beatitudinem, aut actu elicito, aut ex naturali inclinatione, actu elicito reſpicit liberè, naturali autem inclinatione neceſſariò. Et patet id de Mimo, quem reprehendit Aug. quod melius dixiſſet omnes velle beatitudinem; non intelligit Aug. de velle actuali, ſeu elicito, ſed de aptitudinali, quod ſcilicet voluntas prona eſt, vt ſtatim inclinetur ad actum volendi beatitudinem, ſi actualiter offeratur ſibi ab intellectu.

15. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. x. ad N. tenet, quod cum volutate diuina reſpectu producendi Spiritum Sanctum ſtat libertas, & neceſſitas. Oppoſitum huius patet ex Ariſt. 2. phiſ. vbi diſtinguit principia actiua, in naturam, & intellectum; quæro tunc, aut intelligit diſtinguere intellectum reſpectu cuiuslibet ſuę operationis à principio actiuo naturali, aut non, ſi ſic, ergo intellectus reſpectu nullius eſt principium actiuum naturale, qnod eſt falſum; ſi non, ergo oportet, quod hoc ſit, quia aliter eſt principium aliquorum actuum, & aliter aliorum; ſed non poteſt dari

talis

talis differentia, niſi quia actus aliquos habet in ſua poteſtate, & aliquos non, & ſic intellectus diſtinguitur à natura reſpectu operationum, reſpectu quarum contingenter ſe habet.

Lucas. Reſp. Quando Ariſt. diſtinguit principium actiuum in naturam, & intellectum, vt comparatur ſolum ad naturam ſuam, & ad operationem ſuam, quia vt ſic, eſt actiuus merè naturaliter, ſed accipit intellectum pro agente à propoſito, vt comprehendit intellectum; & voluntatem, non enim intellectus præcisè ſumptus, vt diſtinguitur contra voluntatem, aliter eſt principium actiuum aliquorum, & aliter aliorum, quia reſpectu cuiuſcunque producibilis ab eo, eodem modo ſe habet: ſcilicet modo naturæ, & ſi reſpectu aliquorom non ſe habet per modum naturæ, id verum erit, vt determinatur à voluntate ad agendum, aliter non, nec valet inferri, agit per modum libertatis, ergo diſtinguitur, non ſequitur, vt patet ex 16. quol. Sco. Vide pro his Lich. x. d. 1. & 16. quol.

5. *Iacobus.* Scotus l. 1. d. x. Q. v. ad R. dicit. ita in propoſito, oportet, Eſſentiam diuinam, cuius amor ſpiratur, eſſe precognitam Patri, & filio ad hoc, vt ſpiretur; ſed non oportet in iſto inſtanti originis concedere Spiritum Sanctum, qui eſt amor ſpiratus, eſſe præcognitum Patri, & Filio, licet in inſtanti æternitatis ſit tota Trinitas nota cuilibet perſonę in Trinitate. Oppoſitum huius tamen videtur ſequi ad Scotum. Nam ex reſponſione videtur concedere, quod Spiritus Sanctus ſit amor eſſentialis in diuinis, quod tamen eſt falſum, nec a Doctoribus cōmuniter conceditur.

Lucas. Reſp. Verum vtique eſt in via Scoti Spiritum Sanctum non eſſe amorem eſſentialem, nihilominus dictum Scoti eſt conſtans; & quantum ad præcognitionem eadem eſt ratio de amore eſſentiali, & de amore producto, Sicque Pater, & Filius valent intelligere ipſum actum amandi, ſiue cognitionem ipſius dilectionis.

6. *Iacobus.* Scotus l. 1. d. x. Q. v. ad S. dicit. In illo priori ſigno originis, antequam intelligatur Spir. S. ſpirari, pater, & filius cognoſcunt, Spir. San. intuitiuè, licet non exiſtentē in ſe, quia cognoſcunt Eſſentiam diuinam, quæ eſt ratio perfectiſſima cognoſcendi intuitiuè omnia. Oppoſitum huius patet ſic. Nam Spiritus Sanctus non continetur eminenter in Eſſentia diuina, quia nullum ad intra eminenter continetur, licet creaturæ ſic eminenter contineantur.

Lucas. Reſp. Lich. ſic dicit. Quod pater, & filius intuitiuè cognoſcunt Spiritum Sanctum in illo priori, in quo non intelligitur Spiritus Sanctus productus, quia Eſſentia diuina eſt ratio cognoſcendi quodcunque obiectum intelligibile, licet in aliquo ſigno non ſit in ſe exiſtens: & ſic cognitio intuitiua in illo priori, quo non intelligitur Spiritus Sanctus productus, terminatur ad Spiritum Sanctum non in ſe productum, ſed producendum, relucentem in Eſſentia diuina. Eſſentia enim eſt ratio cognoſcendi Spiritum Sanctum non tantum, vt productum, ſed etiam, vt producendum. Hæc Lic. Dices.. quomodo cognitio eſt intuitiua, cum non fiat in propria exiſtētia, ſed in repræſētante? Sco. l. 3. d. 14. Q. 3. & lib. 1. d. 2. p. 2. dicit, cognitio de rebus in Eſſentia diuina eſt intuitiua, quia repræſentatiuū eſt excellentius, quā ſint res in propria exiſtentia, & talis cognitio non ſolū eſt intuitiua, ſed intuitiua perfectior, quā ſit intuitiua in proprio genere. Non autē ſic eſt de alijs reprę ſētatiuis, quæ omnia à repræſentatiuis deficiunt, vt docet Scotus lib. 2. d. 3. Q. 10. & Q. 9.

VNDECIMA

VNDECIMA DISTINCTIO.

QVAESTIO PRIMA, LIBRI PRIMI.

1. *Iacobus.* SCOTVS lib. 1. d. 11. Q. 1. ad A. volens probare Spiritum Sanctum ab vtroque, dicit ex Symb. Sic. Qui ex patre filioque procedit. Oppoſitum primo tomo Conc. in Concilio Niceno, vbi non habetur illa particula, ab vtroque, ſed ſic legitur. Et in Spir. Sanctum Dominum, & viuificatorem ex patre procedentem, cum patre, & filio coadorandum, & conglorificandum.

Lucas. Reſp. Illa particula, filioque, addita fuit à latinis ſymbolo Niceno. At quando fuerit addita, non docet Magiſter d. 11. pr. Sed id docet Ioa. Maioris eadem diſt. ſic dicens. Hoc verbum fuit additum in Concilio Lugdun. Sub Greg. x. vt patet. Extra de Sum. Trin. & fide catholica cap. 6. Fideli, vbi ſic dicitur. Fideli, ac deuota profeſſione fatemur, quod Spiritus Sanctus æternaliter ex patre, & filio, non tanquam ex duobus principijs, ſed tanquam ex vno, non duabus productionibus, ſed vna productione, nec duabus ſpirationibus, ſed vna ſpiratione procedit. Id ergo, quod Scotus citat, non habetur in ſymbolo Niceno abſolutè, ſed habetur in Symbolo cum additione facta in Concilio Lugd. Pro his conſule Bon. d. 11. Q. 1. l. 1. vbi circa hæc multa ſcitu digna narrat, & ei maximopere circa hoc negotium eſt deferendum, cum Lugduni diſputarit cum Grecis, & eos cum alijs Patribus ad vnionem reduxerit. Et vide Magiſtrum in litera d. 11. vbi inducit auct. Grecorum, & tandem conſule ſcripta ſua cap. 1. in Ioa. vbi omnia circa id ad plenum inuenies. Paulus ſcriptor notat d. 11. p. Non oportet fidelem eſſe paratum in ſuis opinionibus corrigi a quocunque, nec etiam ſemper à Papa, quia poteſt errare in fide, & in moribus. Nec ſemper oportet corrigi à maiori parte Cleri, quia Clerus pro maiori parte errauit, vt aduenit tempore Athanaſij. Sed quis debet corrigi per Concilium legitime congregatum, & continuatum. Nota li, continuatum, quia Concilium in principio, & in medio poteſt errare, ſed non in fine, & vltimate.

2. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 11. Q. 1. in corpore quæſt. dicit. Spiritus Santus procedit à patre, ſimul & filio. Oppoſitum huius eſt illud commune dictum Philoſophi, acceptatum vbique à Scoto. Nullus actus, ſeu effectus prouenire poteſt à duobus principijs totalibus.

Lucas. Reſp. Franc. ſatisfacit iſti difficultati per duo exempla; primum eſt. Si duo homines eamdem animam haberent, ambo producerent vnum actum intelligendi numero, & tamen quilibet eorum eſſet principium totale. Non eſt ergo inconueniens, vbi principium formale eſt vnum, quod idem actus ſit à duobus principijs quod. Alterum eſt exemplum. Vnum actum habent duo oculi, & tamen quilibet eorum eſt principiũ totale, quia etiam ibi eſt eadem vis productiuá, & probat ſic idem

Franc.

Franc. concluſionem. Inter perſonas diuinas eſt ſumma germanitas. Si Spiritus Sanctus nō procederet a filio non eſſet hæc ſūma germanitas inter perſonas, dicitque hanc rationem eſſe. Hug. de Sacram. Occam d. 11. pr. ponit hanc rationem collectam ex dictis Anſelmi in lib. proceſſionis Spiritus San. quæ eſt hæc. Quicquid competit patri, cuilibet alij perſonæ eſt attribuendum, niſi contrarium ſit expreſſum in ſacra ſcriptura, vel ab Eccleſia determinatum, uel euidenter ſequatur ex ſacra ſcriptura expreſsè, vel per ſe, vel mediantibus propoſitionibus per ſe notis. Sed omnes greci, & omnes catthołici euidenter habent concedere, quod Spiritus Sanctus procedit à patre; nec aliquo horum modorum inuenitur, quod Spiritus Sanctus non procedat à filio, imo magis innuit, quod procedat à filio, ergo &c. Alphon. ſic probat. Omnis concluſio in contentis ex ſacra ſcriptura deducta eſt tenenda, vt articulus fidei, ſed iſta eſt ſic, ergo. Dices. In quatuor Concil. apud grecos celebratis, vbi a patribus fides eſt ſufficienter explicata, dicitur Spiritum Sanctum procedere à Patre; nec fit ibi mentio, quod procedat à filio, ergo videtur, quod à ſolo patre procedat. Ad id reſp. Ric. Bon. Rubion. d. 11. pr. At Tho. diffuſius reſp. parte 1. Q. 36. art. 2. ſic Concilia ſucceſſu temporis veritatem catholicam expreſſerunt, & vnū Concilium declarauit contra errores, & hereſes, tunc potiſſimum occurrentes. Nec ſequens Concilium aliud edidit Symbolum contrarium priori; ſed veritatem nondum expreſſam expreſſius declarauit, quandoque veritatem nunc, & non prius impugnatam defendit, & declarauit, & vbi veritas non fuit impugnata, vel fortè actu non cognita tranſijt ſilentio. Parum, aut nihil de hoc determinans, aut ſcribens; quia igitur tempore antiquorum Conciliorum nondum fuerat exortus error dicentium Spiritum Sanctum non procedere à filio, non fuit opus id explicitè poni; ſed quorumdam poſtea inſurgente errore, quodam Concilio, in partibus occidentalibus congregato, expreſſa fuit auctoritas Romani Pontificis, cuius auctoritate antiqua concilia congregabantur, & confirmabantur. Continebatur tamen implicitè in hoc ipſo, quod dicebatur Spiritum Sanctum procede à patre. Hæc eſt ſententia S. Tho. & aliorum. Rubion citat quoddam dictum Anſelmi ſic dicentis. Si ideo greci negant Spiritum Sanctum procedere a filio, quia hoc non eſt contentum in eorum Symbolo, eadem ratione deberent negare ipſum eſſe Deum de Deo, cum hoc in illo Symbolo non ſit contentum; ſicque patet, quod greci nulla via poſſunt probare ſuam concluſionem. Latini verò habent rationes, & auctor. ſacræ ſcripturæ expreſſius. Greci autem non habent rationes, nec auct. ſacrę ſcripturę, ex quibus eliciant hanc negatiuam. Spiritus Sanctus non procedit à filio. Dubitabis tandem. Num pater producat Spiritum Sanctum per filium? Franc. d. 11. lib. 1. Q. 1. reſp. quod li, per, quatuor modis ſumitur. Primo, vt per notet principium productiuum, Secundo, inſtrumentū. Tertio, cauſam ſecundam. Quarto, vt per id cui communicatur principium productiuum. Tunc dicit, quod propoſitio eſt vera in quarto ſenſu, & falſa in tribus primis. Nota cum tres perſonæ ſimul ſint per circumminceſſionem, vt docet Scotus lib. 1. d. 19. Q. 2. omnes iſtæ propoſitiones theologicæ ſunt verę. prima. Pater habet eſſe in filio a ſe. ſecunda. Pater habet eſſe in Spiritu Sancto à ſe. tertia. Pater producit filium in ſe. quarta. Pater producit filium in Spiritu

ritu Sancto. quinta. Pater producit Spiritum Sanctum in ſe. ſexta. Pater producit Spiritum Sanctum in filio. Septima filius producit Spiritū Sanctū in ſe, licet non à ſe. Octaua, filius producit Spiritū Sanctū in patre, & ſic de alijs conſimilibus. Hæc omnia docet Franc. vt ſupra.

Vndecima diſt. Quæſt. ſecunda, lib. primi.

Iacobus. SCOTVS lib 1. d. 11. Q. 2. quærit an, ſi Spiritus Sanctus non procederet à filio, poſſet ſtare diſtinctio realis ipſius ad filium, & huius quæſt. tuetur partem affirmatiuam. Oppoſitum huius habet Scotus eadem diſt. vbi vult, quod Spiritus San. ſit neceſſariò à filio.

Lucas. Reſp. tenet Scotus procedere Spiritum Sanctum à filio; ſed quęrit de diſtinctione Filij, & Spiritus Sancti, quodnam ſit principium primum diſtinctiuum. An generatio paſſiua, vel ſpiratio actiua, & concludit tale principium eſſe filiationem, & vt id oſtendat, admittit hoc impoſſibile. Si Spiritus Sanctus non procederet à filio, adhuc realiter ab eo diſtingueretur. Poteſt admitti ſine iniuria artis obligatoriæ, cum ſpiratio actiua non ſit de eſſentia filij, & non conſequatur eum in conſequētia eſſentiali, ſed tantum in conſequentia accidentali. Nota, quod in arte obligatoria duplex attenditur impoſſibile, euidens, ſcilicet, & non euidens, vt id, homo non eſt animal, & id non admittitur; ineuidens vt id, productum in diuinis non eſt, eſt enim ineuidens, quia latuit omnes Philoſophos, & id in arte obligatoria eſt admittendum. Vnde Ariſt. 4. phiſ. conceſſit, vacuum eſſe, vt probaret maius inconueniens, motum ſcilicet fieri in inſtanti: idque in Theologia conceditur, ut hic, Si Spiritus Sanctus non procederet à filio, aduc realiter diſtingueretur ab eo; hincque patet error Gotfr. volentis admittere huiuſmodi impoſſibile ineuidens, patet, quia non tantum latuit Philoſophos, ſed etiam Grecos: ob id fuit facta determinatio contra eos in Concilio Lugdun. quod debeat admitti, vltra rationes Scoti, ſic patet, primo. Generari, & ſpirari habent impoſſibilitatem, quęro, à quo. Si dicas, id eſt, per ſpirare, quod eſt in filio; ſubmiſeram, quomodo ſpirare dat hanc impoſſibilitatem? aut effectiuè, aut formaliter, aut quouis alio genere cauſæ. Si effectiuè, ergo generare habet hanc impoſſibilitatem, licet habeat cauſam quaſi effectiuè ab alio, etiam ſpirare nullam perfectionem dicit, ergo non poteſt eſſe principium formale quo, nec principium quod, & ita nullo pacto poteſt eſſe principium effectiuum, vel quaſi effectiuū. Non formale, quia tuc generari, & ſpirare eſſent idem formaliter, qa principiū formale eſt idē cū eo, cuius eſt principiū formale, quod eſt falſum. Etiam, tunc vna origo eſſet ratio formalis reſpectu alterius, quod eſt falſum. Secundo, omne quod eſt in diuinis propter ſimplicitatem ſe ipſo eſt tale, ergo generari ſe ipſo incompoſſibile eſt ſpirari, ergo non eſt ſpirare. Tertio. Proxima cauſa incompoſſibilitatis generationis, & ſpirationis paſſiuæ ſecundum ſe eſt, quia iſta illam præexigit in ſuppoſito producente, ratio verò, quod iſta præexigat, illa præexigatur, eſt ex ſuis rationibus formalibus, remota autem ſecunda cauſa, ideſt præexigentia, adhuc ſtat prima, videlicet ex rationibus

ſormalibus, ergo ſi ſpiratum non procedat à generato; adhuc illæ duæ productiones erunt incompoſſibiles. Quarto, Nulla perſona poteſt diſtingui per ſe primo duobus diſtinctiuis adæquatis. Quinto, ſi filius diſtinguitur à Spiritu Sancto per ſpirare, ita & pater, & per conſequens duæ perſonæ eodem diſtinctiuo diſtinguerentur, & ſic duæ perſonæ eſſent vna perſona, cum haberent idem diſtinctiuum. Tandem filiatio non diſtinguitur à Spiritu Sancto ſpiratione. ergo nec filius; patet, quia concretum, & abſtractum ſola ratione differunt. Quæres. Num eadem numero eſſet ſpiratio actiua, quæ modo eſt, ſi Spiritus Sanctus procederet à ſolo patre? Vorilion ait, quod nam modo eſt communicabilis duabus perſonis, tunc verò eſſet propria vni, ſcilicet patri, & ſic non eadem.

2. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 11. Q. 2. in fine dicit. Eſt autem ei proprium diſtingui ab omni relatione, tam oppoſita, quam diſparata, & incompoſſibili. Oppoſitum inquit Scotus d. 8. pr. Q. 4. in fine, vbi vult, quod paternitas, & ſpiratio actiua non ſunt incompoſſibilia.

Lucas. Reſp. In via Sco. paternitas, & ſpiratio actiua realiter diſtinguntur, quia neutrum eorum eſt formaliter infinitum. In 11. vero, quando dixit. Proprium eſt diſtingui realiter ab omni relatione, tam oppoſita, quam diſparata, & incompoſſibili, expreſſit id, quod certum eſt, & conceſſum apud omnes, dimittendo illud aliàs diſputandum, cum non ſit præſentis ſpeculationis.

3. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 11. Q. 2. ad B. in fine dicit. Homo non diſtinguitur à lapide rationalitate. Oppoſitum habet paulo inferius à principio ad C. vbi habet, quod conſtitutum, per conſtitutiuum formale diſtinguitur adæquatè ab omni non tali, at rationalitas eſt conſtitutiua hominis, ergo adæquatè per ipſam diſtinguitur ab omni non tali.

Lucas. Reſp. Aliquid diſtingui ab altero ſtat dupliciter, primo, quando extrema, inter quę eſt diſtinctio, conuertuntur vniuerſaliter, ſicut quod ſi vnum vniuerſaliter diſtinguitur ab alio, & alterum ab illo e conuerſo, & ſic rationalitas, & lapis diſtinguntur adæquatæ, ita vt bene ſequitur. Nullum rationale eſt lapis, ergo nullus lapis eſt rationalis, & ſic rationale eſt ratio diſtinguendi quodlibet, de quo prædicatur ab omni lapide, & ſimiliter defferentia vltima lapidis.

DVODECIMA DISTINCTIO.

QVAESTIO PRIMA.

LIBRI PRIMI.

1. *Iacobus.* SCOTVS lib. 1. d. 12. Q. 1. ad B. vult quod Pater, & filius ſunt vnum principium Spiritus Sancti, & declaratum eſt in Conc. Lug. ſub Greg. x. vt patet de Sum. Trin. cap. fideli. Et hodie eſt in 6. lib. Decret. Oppoſitum videtur deduci per id. quomodo hæc propoſitio eſt vera. Pater, & filius ſpirant, vt vnum principium, ſi li, principium, ſuppouat pro perſona, falſum eſt, quod ſint vnum principium. Si pro Eſſentia patet, quod illa non ſpirat, & ſic non poteſt eſſe tale principium.

Lucas. Reſp. D. Tho. par. 1. Sum. Q. 35. ar. 4. ait, quod li, principium, non habet determinatam ſuppoſitionem, ſed confuſam, pro duabus perſonis ſimul. At non poteſt ſtare. Nam nullum ponit ſignum, quod confundat li, principium; ergo non ſtat confusè. Rurſus. Si ſic, vt dicis. Pater, & filius ſunt perſonæ, ita dicere poſſumus. Pater, & filius ſunt principia, Occam d. 12. p. Q. 1. ſic ait, quod principium non ſupponit pro aliquo prædictorum primo ſed pro conſtituto ex Eſſentia, & ſpiratione actiua præcisè, circumſcribendo paternitatem, & filiationem, quod conſtitutum eſt realiter pater, & filius; ſed non formaliter. Et ſubdit. ſicut ex Eſſentia, & ſpiratione paſſiua pręcisè aliquod vnum conſtituitur, ſcilicet Spiritus Sanctus, ita ex eſſentia, & ſpiratione actiua pręcisè aliquod vnum conſtituitur, quod dicitur ſpirare, & pater, & filius ſunt illud vnum conſtitutum. At contra, tale conſtitutum videretur eſſe perſona, & ſic pater, & filius eſſent vna perſona. etiam communiter nullus Theologus ponit ſpirationem actiuam eſſe alicuius conſtitutiuam. Cameracenſis ſic ait; quod ſicut nomen Trinitatis eſt nomen collectiuum, ſupponens immediatè pro tribus perſonis ſimul, & pro nulla earum ſeorſum, ſic ille terminus principium in propoſito, immediatè ſupponit pro duabus perſonis, & pro nulla earum ſimul, & exemplum poteſt eſſe, de hac propoſitione. Omnes Apoſtoli Dei ſunt duodecim; vbi eſt tantum vera illa propoſitio, ſi li, omnes, capitur collectiuè. At contra. nam in bona logica, hæc diſtributio collectiua fit tantum reſpectu termini numeralis. Rubion d. 12. p. Q. 1. ait, quod ſpirant in quantum ſunt vnus Deus, ſed contra d. 5. p. dicitur, quod hæc, Deus generat, non eſt primo vera, ſed tantum ratione huius. Pater generat. Cui patri, primo, & immediatè conuenit generare quod non ſic immediatè competit Deo, ita ſimiliter dicatur de ſpirare. Greg. d. 12. p. dicit probabiliter, & ſine aſſertione, quamuis illa propoſitio ſit vera, & communiter conceſſa, non tamen eſt accipienda in ſua proprietate, , nec in ſenſu, quem primo facit de rigore ſermonis, ſed in ſenſu, quem intendebant Sancti illam ſcribentes, & eſt hic. Pater, & filius ſunt vnum principium Spiritus Sancti, id eſt pater, & filius

lius eodem modo, & ſimul, tanquam vnum principium, ſpirant Spiritum Sanctum. Scotus d. 12. p. reſp. ad vlt. princip. ſic ait, quod talis propoſitio eſt vera ratione vnitatis principij formalis, ſeu vis ſpiratiuæ, quæ eſt ipſa voluntas fœcunda, quæ vnica eſt in patre, & filio. Hunc modum communiter tenent Doctores. Vnde ſcias, quod formaliter ſpiratio actiua eſt vna numero, & eſt etiam vna numero, vnitate principij formalis, ſed non vna vnitate principij quod. Dices, Plurificatio principiorum, quod, plurificat actus, vt dicit Scotus lib. 2. d. 1. Q. 6. Dico. Scoti dictum non habet veritatem, quando ille actus eſt vnus quidditate ſua, & ratione vnitatis principij formalis, vt eſt in propoſito, ſed eſt verum regulariter, & communiter; nam quicquid eſt in Deo, quidditate ſua eſt hoc.

2. *Iacobus*. Scotus lib. 1. d. 12. Q. 1. ad F. dicit. Voluntas infinita, vt talis, intellecta ante omne velle habens infinitum obiectum ſibi præſens, eſt principiũ ſufficiens productiuum ſpirati amoris. Ex quibus verbis videtur dicecere, quod productio Spiritus Sanctus præcedat velle eſſentiale. Oppoſitum huius habet lib. 1. d. 2. p. 2. Q. 4. & d. 11. Q. 1. & p. Q. Quol. vbi vult, quod eſſentialia præcedant notionalia.

Lucas. Reſp. In via Scoti eſſentialia præcedũt notionalia; nec Sco. 12. d. 1. ait velle nõ præcedere ſpirationẽ, ſed tantũ negat, quod præcedat, vt ratio formalis talis productionis, vt admittebat Henr. contra quem illo loco arguit.

3. *Iacobus*. Scotus lib. 1. d. 22. Q. 1. ad H. dicit. Voluntas diuina habens obiectum primum ſibi præſens eſt ratio producendi amorem adæquatum illi perfectius, quam habens obiectum ſecundarium ſibi præſens, & per obiectum ſecundarium intelligit perſonam. Oppoſitum habet lib. 2. d. 1. Q. 1. Obiectum ſecundarium intellectus diuini, & voluntatis ſunt res creatæ, & creandæ.

Lucas. Reſp. Eſſentia diuina eſt obiectum primarium, perſonæ ſunt quaſi obiectum ſecundarium, vt ait Scotus 12. d. 1. Q. 2. Creaturæ verò ſunt propriè obiectum ſecundarium, ſicque tollitur dubium.

4. *Iacobus*. Scotus lib. 1. d. 12. Q. 1. ad K. dicit. Voluntas eſt æquè perfecta in vno ſuppoſito, ſicut in duobus, & vnum ſuppoſitum æquè perfectum in perfectione requiſita ad ſuppoſitum, agens, ſicut duo. Oppoſitum habet Scotus ibidem, vbi dicit, ſcilicet eadem Q. quod voluntas fecunda, vt proximum pricipium producendi eſt in duobus.

Lucas. Reſp. Scotus non negat, quod voluntas fecunda, vt ſit principium producendi, debeat eſſe in duobus, quia id omnino affirmat; ſed tantum negare vult; quod non ſit principium proximum in duobus, ſecundum modum Henr. ſcilicet ſub amore mutuo. Vnde ratio formalis agendi eſt, quod ſit in vno ſuppoſito, ſed conditio agentis, quod ſit in duobus, & Henr. non diſtinxit inter rationem formalem agendi, & conditionem agentis, & nota, ad hoc, quod voluntas fæcunda ſit formale principium agendi, requiritur, quod ſit in ſuppoſito realiter diſtincto à producto. vlterius nota, quod Pater habet omnem perfectionem, tam abſolutam, quam reſpectiuam in primo ſigno originis; de proprietate abſoluta patet, de relatiua tantum eſt verum de conſtituente, vel conſtitutiua, non autem eſt verum de omni, quia ęqualitas, identitas, & ſimilitudo non ſunt in Patre, niſi filio producto. Nota etiam, quod voluntati diuinæ accidit, quod ſit in duobus ſuppoſitis, ſi debet eſſe, principium productiuum proximum. Dices. Si accidens, ergo per

accidens

accidens Pater habet ſecum filium ſpirantem. Reſp. accidit enim & eſt accidens rationi formali voluntatis, ſed non eſt accidens ſimpliciter Voluntas enim quantũ eſt de ratione ſua formali, ita eſt fœcunda in vna perſona ſicut in duabus, ſed abſolutè id non euenit propter ordinem potentiarum.

5. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 12. Q. 1. ad V. dicit. Hæc propoſitio eſt vera. Pater, & filius ſunt duo ſpirantes. Oppoſitum videtur deduci ex Athan. in ſymbolo. Nam ſi illa conceditur, ſunt duo ſpirantes, ergo hæ debent concedi. Sunt tres omnipotentes, tres æterni, tres immenſi, tres increati, quæ tamen ab Athan. non admittuntur.

Lucas. Reſp. Franc. ſic dicit. Sunt tres omnipotentes, æterni immenſi', & increati, Fortè de vi ſermonis non ſunt negandæ; at propter inſcios, ab Ath. negantur, & propter erroris timorem, ne dicendo tres increati, tres immenſi, tres omnipotentes, ſicut dicimus tres perſonas, ſic eſſe tres Deos ſuſpicarentur. Et tandem concludit Franc. quod ſunt duo ſpirantes, & non duo ſpiratores. Et dubitat, an hæc poſſit concedi, ſunt duo ſpirantia. Reſp. quod non, quia adiectiuum in maſculino, & feminino non ſubſtantiuantur, ſed in neutro genere. Ad hunc tamen ſenſum poteſt concedi. Sunt duo ſpirantia, ideſt duo ſuppoſita ſpirantia. Bon. d. 29. pr. Q. 1. ait. Et ſi omnes concedant, quod Pater, & filius ſunt vnum principium, non tamen ſunt idem principium, quia idem ad ſuppoſitum refertur, & addit, quod Pater, & filius non ſunt vnus ſpirator, ſed duo ſpiratores, nam ſpirator dicitur, quia ſpirat, ſed ſunt duo, qui ſpirant, ergo duo ſpiratores. Tu declara ad bonum ſenſum Bonau. Allex. & alios Doctores admittentes, duo ſunt ſpiratores, ideſt duo ſpirantes. Riccardus, 12. d. p. Q. 6. ſic ait. Sunt duo ſpirantes, & non duo ſpiratores, quia li ſpirantes, multiplicat ſuppoſita, & ſpiratores vim ſpiratiuam. Et ſi fiat inſtantia. Iſta propoſitio eſt vera. Pater filius, & Spiritus Sanctus, ſunt vnus, qui creat, ideſt vnus Deus, qui creat. Sed dicendo. Pater, & filius ſunt vnus, qui ſpirat, non videtur vera, quia, li vnus, non poteſt verificari nec de ſuppoſito, nec de Eſſentia, quia Eſſentia, nec generat, nec generatur. Reſp. Riccard. quod ſic debet exponi. Sicut tres ſunt vnus, Deus. qui creat, ita pater, & filius ſunt vnus principiator Spiritus Sancti, quia ſunt vnum principium quod Spiritus Sancti, ita quod *li*, qui, refert, non ſuppoſitum, ſed Patrem, & filium, in quantum ſunt vnum principium ſpirandi. Vel dic, quod li, qui, refert Deum, non vt communem tribus, ſed præciſe, vt communem duobus.

6. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 12. Q. 1. ad ſecundum princ. ait. Actio eſt ſingularis per ſe exiſtentis, & non oportet eſſe alicuius ſingularis incommunicabilis per ſe exiſtentis. Oppoſitum videtur habere Ariſt. 1. Meth. Actiones ſunt ſuppoſitorum.

Lucas. Reſp. Id non dixit Ariſt. licet communiter citetur. at benè dixit. Actiones ſunt circa ſingularia, & eſt vera, de actionibus tranſeuntibus, & non de immanentibus, vt docet Scotus 1. Meth. Q. 6. & lib. 4. gloſat multipliciter eam. Primo. Suppoſitorum, vel aliquorum gerentium ſe vice ſuppoſitorum, vt eſt anima ſeparata, & accidentia miraculoſa. Secundo. Actiones ſunt ſuppoſitorum, ſed non præſuppoſitorum, ideſt, quod præſupponant talia eſſe, ſed conſtituorum, ideſt conſtituũt talia in eſſe, vt patet d. 26. pr. Tertia, Actiones ſunt ſuppoſitorum vltimatè

timatè denominatorum, ideſt quod non ſint principaliter in ſuppoſitis ſed quia illa vltimatè denominant, ſicut iſta. Deus creat, ſubiectum primo non apponit pro ſuppoſitis, ſed tantum vltimatè.

7. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 12. Q. 1. ad vltimum argum. dicit. Ad hoc, quod dicantur plura producentia, requiritur numeratio ſuppoſitorum. Non enim dicitur aliquis plures ſcientes, licet habeat plures ſcientias, ſed oportet eſſe plura ſuppoſita, ad hoc, quod ſequatur. Oppoſitum huius habet Scotus lib. 3. d. 1. Q. 3. reſp. ad 1. princ. vbi ait. Si Chriſtus haberet plures naturas humanas, eſſet plures homines.

Lucas. Reſp. dictum Scoti 12. d. 1. eſt tantum verum de concretis accidentalibus, & non de ſubſtantialibus. Nam Scotus lib. 3. loco prænotato habet. Si Verbum aſſumeret plures naturas humanas, tunc, eſſet plures homines, quod non eſſet, Si Scoti dictum eſſet verum in ſubſtantialibus, vel dicas, quod Scotus ibi non loquitur ad propriam mentem.

Duodecima diſt. Quæſt. ſecunda, lib. primi.

1. *Iacobus.* SCOTVS lib. 1. d. 12. Q. 2. in corp. Quæſt. dicit. In patre eſt primo vtraque fęcunditas à ſe. Secundo eſt in patre actus primæ fęcunditatis, tunc in filio eſt ſecunda fęcunditas. Tertio eſt actus ſecundæ fęcunditatis ſimul à patre, & filio habentibus ſimul illam fęcunditatem: adhuc tamen cum aliquo ordine; quia ille actus eſt patris à ſe, filij autem non a ſe, ſed à patre, ſicut nec in ſecundo ſigno eſt illa fęcunditas filij à ſe, ſed patris eſt a ſe. Non eſt ergo ordo originis inter ſpirationem patris, & filij, quaſi ſpirent: pater in aliquo ſigno originis, in quo non ſpiret filius, ſed in eodem ſigno originis ſimul ſpirant, eſt ibi tamen ordo ſpirantium in ſpirando, quia pater in illo tertio ſigno originis ſpirat a ſe, filius autem non a ſe. Oppoſitum huius patet ſic. Aut pater, & filius ſpirant in alio, & alio ſigno, vel in eodem; ſi in eodem, vt ait Scotus, filius ſpirat ab alio, ergo pater ſpirat ab alio, quod eſt falſum.

Lucas. Reſp. ſpirant in alio, & alio, & in eodem, in alio, & alio ſigno, prout ordo originis eſt inter perſonas originantes, in eodē, prout ordo originis eſt inter emanationes, ſeu origines, nam eadem originatione ambo ſpirant. cum dicitur, filius originat ab alio, Dico, quod æquiuocas, quia capis ordinem originis inter originata, & cum Scotus ait, quod in eodem ſpirant, tunc eſt ordo originis inter origines: at notandum eſt quod multiplex eſt ordo originis. Prior eſt inter ipſa originata, vt inter filium, & Spiritum Sanctum. alter eſt inter ipſas origines, vt inter generationē, & ſpirationem. Tertius eſt, inter principia formalia originantia, vt inter memoriam fęcundā, & voluntatem fęcundam. Quartus eſt inter principia, quod, originantia, vt inter patrem, & filium originantes Spiritum Sanctum. Tandem eſt, inter originans, & originatum, vt inter Patrem, & filium, & Spiritum Sanctum. Primi tres modi ſunt verè ordines naturę, duo vltimi propriè ſunt ordines originis. At Theologi ſæpe confundunt hos duos ordines, & ſæpe capiunt vnum pro alio. Poſt hos, adhuc in diuinis eſt alius ordo, qui eſt inter conſtituentia, & conſtituta, vt inter Eſſentiam, & paternitatem, & patrem

ex alia

ex alia parte,& hic eſt ordo naturæ. Eſt etiam ordo originis inter patrē, & filium, & Spiritum Sanctum, in quantum producunt ad extra. At de his lib. 2. d. 1. Q. 1. ordo naturæ eſt præſuppoſitio huius ab hoc, ordo verò originis, cuius meminit Scotus lib. 1. d. 10. & 12. Q. 2. & 26. & lib. 2. d. 2. Q. 1. & 4. Q. Quol. art. 1. eſt ſecundum quam; quælibet perſona eſt ab ipſa, & ipſa eſt à nulla: & ſcias, quod in via Sco. ordo originis eſt tantum duobus modis, primo, quando vnum producit aliud, & ſic eſt ordo originis inter patrem, & filium, ſecundo, quando duo per idem principium producunt aliud,& principium eſt in illis producentibus, ſic, quod in vno eſt à ſe, & in altero, quia accipit ab alio, & ſic pater prius origine ſpirat Spiritum Sanctum, quam filius, & pater, & filius prius origine ſpirant ad extra, quam Spiritus Sanctus.Nec in tota doctrina Scoti, reperies alios modos originis ab his duobus, licet ſæpe confundat iſta vocabula, & ordinem, qui in rei veritate, eſt ordo naturæ,appellet ordinem originis,qui ordo originis ſemper eſt inter aliqua realiter diſtincta. Et nota, quod ſola ſigna originis, à quibus, faciunt ordinem originis, at ſigna, in quibus, ſemper faciunt ordinem naturæ; hocque bene notato, poteris euadere multa argumenta in contrarium, & potiſſimè argumenta Alphonſi l. 1. d. 9. Occam l. 1. d. 9. Q. 3. tenet cum Scoto, quod Pater eſt prior origine filio,quia filius accipit eſſe à patre. Ioa. Bac. d. 6. p. apertiſſimè tenet in diuinis prius,& poſterius origine; additq; in iſto ordine dantur ſigna, à quibus, & non, in quibus, & probat talem ordinem eſſe in Deo auct. Aug. lib. de gaudijs electorum ſic dicentis. In beata viſione videbimus proceſſiones; quomodo Pater pręcedit filium origine, & non tempore.

XIII. DISTINCTIO QVAESTIO PRIMA, LIBRI PRIMI.

1. *Iacobus.* SCOTVS lib. 1. d. 13. Q. 1. ad A. impugnat poſitionem Egidij, & Varronis, aſſerentium productiones diſtingui per terminos, qui ſunt perſonæ productæ, ex eo, quod reſpondeat ad propoſitum, quia quærit de diſtinctiuo intrinſeco, & a priori, & illi reſpondent a poſteriori, Oppoſitum huius deducitur ex Ariſt. 2. de anima 33, Actus diſtinguuntur per obiecta, ita productiones per perſonas.

Lucas. Reſp. non eſt ſimile de actibus, & productione, quia actus habent eſſe per obiecta, non ſic origines per originata, ſed magis originata per ipſas origines. Dices. Hæ emanationes ſunt relationes, quæ neceſſariò præſupponunt ſuos terminos: ergo per ipſos à priori poterunt diſtingui. Reſp. Scotus lib. 4. d. 13. Q. 1. quod actio de genere actionis præcedit, ſed vt eſt de genere relationis, ſequitur effectum. Cum itaque actio perſonarum ſit de genere relationis, inſequitur ipſas emanationes. Dices. Scotus 4. Quol. vult, quod generatio, emanatio, ſeu productio, & vt relatio ſola differunt ratione, ergo relatio videtur præſupponere ipſum terminum, & ſic non erit conſtitutiua. Dicas, quod relatio ſuppoſitalis non ſupponit terminum, ſed non aliæ relationes.

2. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 13. Q. 1. ad A. dicit. Ideo enim aliquid eſt compoſſibile, vel incompoſſibile alicui, quia ipſum eſt tale in ſe; & non e conuerſo, quia veritas negatiuæ fundatur ſuper veritatem affirmatiuæ, ideo enim homo non eſt aſinus, quia homo, eſt homo 2. perier. in fine, & 4. Meth. 16. Idemque habet lib. 3. d. 1. Q. 1. vbi ait. Nulla negatio ineſt alicui primo, niſi per affirmationem oppoſitam. Oppoſitum habet 9. Q. Quol. vbi ſic dicit. Reſp. non eſt ſimile, quia multis communiter non conuenit idem prædicatum, ſaltem, quod non eſt de eſſentia eorum, niſi per idem commune eis; ſed multis poteſt repugnare idem non per aliquod commune eis. Exemplum, repugnat homini, & albedini eſſe Angelum, & licet fortè homini, & albedini ſit ens commune vniuocè, tamen ens, non eſt ratio huius repugnantiæ, quia conuenit Angelo. Exemplum clarius. Lapidi, homini, & chimeræ repugnat eſſe Deum, non tamen per aliquod commune, ſicut manifeſtum eſt; hæc Scotus.

Lucas Reſp. Exempla adducta à Scoto non negant, quin negatio inſit per aliquod poſitiuum proprium, ſed tantum per aliquod poſitiuum commune; & ad exemplum dic, quod repugnantia eſt ratione entis materiati. Ad ſecundum dic, quod illa negatio eſt æquiuoca, ſicut ens creatum ſibi correſpondens, cuius ratione ineſt ei talis negatio: aut dic, quod Scotus 9. Quol. reſp. Henr. ex poſitionibus conceſſis ab eo. Dices.

Scotus

Scotus 19. Quol. habet oppoſitum huius propoſitionis, ſcilicet quod nihil repugnat alicui per ſolam negationem, & dicit. Non eſt inconueniens aliquam negationem præcedere affirmationem. Dico. Verba Scoti formalia ibi ſunt iſta. Nec eſt inconueniens aliquam negationem imperfectionis prius conuenire alicui, quam aliquod poſterius dependere ad ipſum, ſicut prius conuenit homini non eſſe irrationale, quam eſſe album, quia negatio illa ſtatim ſequitur affirmationem in ratione hominis, etiam ſi tale accidens nunquam poſſet competere homini. Hæc Scotus ſ Ex quibus patet reſolutio.

3. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 13. Q. 1. ad C. impugnat Henr. quia ponit relationes diſtingui pænes principia diſtincta ſecundum rationem, vt pænes naturam, & voluntatem. Ex quibus verbis videtur negare, quod relationes diſtinguantur pænes principia. Oppoſitum ſentit Scotus in doctrina ſua, ſcilicet quod relationes diſtinguuntur per principia.

Lucas. Scotus non negat emanationes, & relationes diſtingui à priori, quaſi effectiuè, & quaſi principiatiuè per ſua principia formalia elicitiua, ſed ſolum negat, quod per talia non diſtinguuntur, vt formalia diſtinctiua. Etiã negat Scotus, quod illa principia ſint diſtinctiua, vt ſunt entia rationis, ſed nõ ſimpliciter. Nã relationes reales nõ poſsũt diſtingui per ens rationis, nec poteſt præſupponere id, tãquã rationem formalem ad ſui eſſe.

4. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 13. Q. 1. ad D. dicit. Ens diminutum non poteſt eſſe ratio entis veri. Oppoſitum ſic patet. Pars reſpectu totius habet eſſe diminutum, eſtque tamen cauſa totius.

Lucas. Reſp. Scotus per ens diminutum intelligit id, quod nihil habet realis exiſtentiæ, vt ſunt entia purè rationis, de quibus diſputat cum Henr. & tale ens non habet eſſe formaliter in memoria, vt docet Scotus lib. 2. d. 1. Q. 1. Neque vt ſunt motiua intellectus, habent eſſe in memoria, nec talia entia ſunt cauſæ, vel cauſata propriè, nec propriè ſunt ſubſtantia nec accidens, nec propriè inhærent, nec propriè habent eſſe; nam, hæc propriè non conceditur. Secundæ intentiones ſunt, vt aiunt Pariſienſes in prol. ſuper Porphirium: quæres, num habeant propriam exiſtentiam? Dico, quod propriè non habent exiſtentiam, ſed benè habent exiſtentiam proportionatam ſuo eſſe. At num dicant perfectionem aliquam vltra gradum ſuæ entitatis? Dico, quod ſic, ex ſententia Scoti in Vniuerſ. fol. vlt. 6. quæſt. Et Mauritius ibi ait, hanc eſſe intentionem Sco. in pr. Et lib. 1. Report. Sed an habeant proprium genus in quo reponantur? Reſp. quære à Scoto Q. 10. Prædicam. Franc. d. 23. 1. Q. 2. dat duos modos dicendi. Prior eſt, quod ſecundæ intentiones ponuntur in Prædicam. Ad aliquid; Alter eſt, quod ſunt traſcendentales ſicut, & quidditates earum, quas ſequuntur. Dices. Scotus d. 13. ibi 1. videtur negare quod entia cognita talia habeant eſſe exiſtentiæ Scot. loquitur ad hominem. Nam Henr. vt ait Sco. lib. 3. d. 6. negat non ſolum de entibus rationis, ſed de omnia accidente reali negat, quod habeant propriam exiſtentiam, aliam ab exiſtentia ſubiecti.

5. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 13. Q. 1. ad F. dicit. Nihil poteſt poni in Deo ſecundum quamcunque identitatem, quod non ſit ſimpliciter idem alteri, propter ſimplicitatem illius Eſſentiæ. Oppoſitum patet de rationibus Idealibus, quæ ſunt in Deo, & tamen non ſunt ſimpliciter idem Eſſentiæ cum ſolum habeant eſſe cognitum.

Lucas. Reſp. Vigerius ſic reſp. quod Scotus loquitur ibi de his, quæ habent eſſe

ex natura rei; id non poteſt ſtare, vt patet ex proceſſu literę Scoti; nam loquitur ibi de illis entibus rationis, quæ dicebat Henr. prærequiri ad productiones diuinas. Lich. ſic dicit. Ideæ in Deo, tantum habent eſſe obiectiuum, & non ſunt ibi formaliter, nec ſubiectiuè. Quæres. Cum Deus ab æterno comparat ſe ad creaturas, vt ait Scotus lib. 2. d. 30. lib. 1. capio duas relationes rationis, ſic cauſatas, per actum intellectus diuini, num ſint idem ſimpliciter Eſſentiæ? Lich. reſp. quod tales relationes ſunt obiectiuè, & non ſubiectiuè, non formaliter in Deo; quidam alij dicunt. Non eſt neceſſarium ponere tales reſpectus in Deo ad creaturas, quia poteſt terminare reſpectum creaturæ ad ipſum abſque hoc, quod in Deo ponatur talis reſpectus ſubiectiuè; idque firmatur ex Scoto lib. 2. d. 1. Q. 2. & 4. & 5. & alibi dicit. Creaturæ ad Deum eſt reſpectus realis, Dei verò ad creaturas eſt tantum rationis, vel nullus. Alij dicunt, tales reſpectus eſſe in Deo formaliter obiectiuè. Et ſi dicas. Deus non eſt capax accidentis. Reſp. de accidente reali verum eſt, at non eſt inconueniens de accidentibus intentionalibus, quia non magis Deo repugnant modi ſignificandi logici, quam gramatici, & tamen omnes concedunt Deo modos gramaticos, & hic modus eſt Scoti lib. 1. d. 39. in fine, & hic modus poteſt teneri. Dices omnis deductio, quam habet Scotus in Henr. d. 13. 1. currit etiam contra hunc modum dicendi. Reſp. Lich. quod Henr. ponebat illa entia rationis principia productiua. ideo neceſſe eſt, quod identificentur realiter. non ſic autem eſt de reſpectibus poſitis à Scoto. Vel dic; argum. Scoti contra Henr. d. 13. 1. eſt tantum topicum, & non demonſtratiuũ, & id patet; nam Scotus ait. Hoc videtur obuiare ſummæ ſimplicitati. Conſidera li, videtur &c. Aut dic, quod Scotus loquebatur ad hominem, qui volebat relationes Dei ad creaturas tantum habere eſſe obiectiuum, vel quod loquebatur, ſecundum illum modum, qui negabat tales reſpectus in Deo.

6. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 13. Q. 1. ad F. dicit In diuinis, quod non eſt idem formaliter alicui, non eſt idem ſibi, niſi vel alterum, vel vtrumque ſit formaliter infinitum, vel ſaltem vtrumque ſit idem alicui formaliter infinito. Dicitur, quod Scotus hic poſuit hanc vltimam particulam, ſcilicet vel ſaltem vtrumque ſit verè idem alicui formaliter infinito, propter generationem actiuam, & ſpirationem actiuam, quæ non ſunt realiter diſtincta. Oppoſitum habet lib. 1. d. 8. Q. 4. in ſol. arg. princip. vbi tenet generationem actiuam, & ſpirationem actiuam eſſe diſtincta realiter. ait enim ſic. Paternitas in diuinis eſt ſpiratio actiua, non conceditur, neque vt vera formaliter, nec vt vera per identitatem; & ratio eſt, quia abſtrahendo paternitatem, & ſpirationem ab Eſſentia, vel à ſuppoſito, neutrum eſt formaliter infinitum.

Lucas. Reſp. In via Scoti eſt tenendum, quod paternitas, & ſpiratio actiua ſunt realiter diſtincta; nec eſt habenda gloſa Burliferi exponentis realiter, id eſt formaliter; quoniã in via Scoti, verè, & realiter diſtinguuntur, & ſic patet; primo, generatio actiua, & ſpiratio actiua non poſſunt de ſe inuicem prædicari formaliter, quia tunc vnum de alio prædicaretur in primo modo, quod eſt falſum; nec poſſunt identicè prædicari, quoniam ad prædicationem identicam, vt ait Scotus d. 5. 1. Q. 1. & 8. pr. Q. 4. & Q. 5. Quol. requiritur ad minus, quod alterum extremum ſit infinitum formaliter, vel permiſſiuè, quod non contingit in propoſito; ſecun-

cundo, Illæ relationes realiter diſtinguuntur, quæ opponuntur relationibus realiter diſtinctis, ſed generatio actiua, & ſpiratio actiua ſunt ſic, patet, quia opponuntur generationi, & ſpirationi paſſiuæ, quæ ſunt realiter diſtinctæ, tertio. Relationes, quarum vna eſt conſtitutiua, altera non, ſunt realiter diſtinctæ, ſed iſtæ ſunt tales, ergo &c. quarto quandocunque ſunt aliquę duæ relationes, realiter ſe habentes, quod vna tantum vni perſonæ competit, & altera duabus, ſunt realiter diſtinctæ, ſed hæ ſunt ſic, ergo. quinto, ſi generari, & generare ſunt eadem realiter cum ſpirare, ergo inter ſe ſunt eadem, quod eſt falſum. ſexto, Ab vna actione non poſſunt eſſe immediatè duæ paſſiones realiter diſtinctæ, ſed à generare eſt generari, & à ſpirare ſpirari; at generari, & ſpirari, realiter diſtinguntur, vt quaſi paſſiones, ergo eſt neceſſe quod generare, & ſpirare realiter diſtinguantur. ſeptimo, Relationes producentis, & producti neceſſario diſtinguuntur realiter, ſed in filio ſpiratio actiua eſt relatio producentis, & generatio paſſiua eſt relatio producti, ergo &c. octauo, Niſi hæ duæ relationes eſſent realiter diſtinctæ, tunc in diuinis non eſſent quatuor relationes reales, quod eſt contra dicta Sanctorum, propter ergo has rationes tenendum eſt has duas relationes eſſe diſtinctas realiter ad mentem Scoti. Idem tenet Baſolus d. 13. 1. Ioa. Roditon. Durandus, & Landulf. d. 13. pr. Ad Sco. autem d. 13. p. dicitur, quod illa particula, vel ſaltem vtrumque verè ſit idem alicui formaliter infinito, non probat ſpirationem actiuam, & paternitatem eſſe idem realiter. Vel dicas, quod lòquitur ad mentem aliorum, cum ibi arguat in Henr.. Dices. Si ſpiratio actiua, & paternitas eſſent diſtincta realiter, tunc eſſet quaternitas, in diuinis. Reſp. quære. Inſtabis. quæcunque ſunt eadem realiter vni ſimpliciſſimo ſunt eadem realiter inter ſe, ſed generatio, & ſpiratio actiua ſunt eadem realiter Eſſentiæ ſimpliciſſimæ, ergo ſunt eadem realiter inter ſe. Reſp. quære. Aut dic, non valet, quia illud tertium ſimpliciſſimum, in quo identificantur realiter, eſt illimitatius eis, & etiam inter ſe non ſunt vna res: ſi res capiatur notionaliter. Dices adhuc, tunc ſequeretur, quod diſtinctio realis eſſet in vna perſona ante diſtinctionem perſonarum. Negatur conſequentia, quia ſpiratio actiua eſt quaſi aduentitia patri, & filio. Dices amplius. Si hæc duo ſunt in patre diſtincta realiter, ergo vel vtrumque eſt eſſentiale patri, vel vtrumque accidentale, vel vnum eſſentiale, & alterum accidentale. Dico, quod vna eſſet eſſentialis, ſcilicet paternitas, & altera accidentalis, ideſt extra eius rationem formalem, non tamen accidentalis, quod inhæreat, Quæres iuxta id, an ſpiratio actiua ſit alicuius conſtitutiua? Id examinat Franc. d. 11. 1. Q. 4. & recitat Petrum Aureolum tenentem, quod ſpiratio actiua cum paternitate: & cum Eſſentia conſtituat patrem, & ſimiliter ſpiratio actiua cum Eſſentia, & filiatione conſtituat filium, & & aſſignat hanc rationem: quæcunque ſunt indiuiſa ſic ſe habent, quod ſi vnum conſtituit, & reliquum, ſed illæ relationes, & Eſſentia ſunt talia, ergo &c. Contra hanc opinionem arguit Franc. quæcunque perſonę conueniunt in vltimo conſtitutiuo ſunt vna perſona, ſicut quæcunque conueniunt in vltima differentia, indiuiduali ſunt vnum numero. Secundo, in conſtitutiuis, id quod eſt vltimum, magis conſtituit, ſed ſpiratio actiua inter conſtituentia perſonam, eſt vltima, prius enim intelligitur paternitas, quam ſpiratio intelligatur aduenire, ergo ipſa

eſt magis propria, & per conſequens magis conſtitutiua, & incommunicabilis: id eſt falſum, quia eſt communicabilis duabus perſonis. Tertio, nullum communicabile conſtituit perſonam in vltimo eſſe. At vnde eſt, quod ſpiratio actiua nullius eſt conſtitutiua? Reſp. Franc. Id ſibi repugnat ex ſua ratione formali, nec eſt alia ratio expectanda. Vnde ſi compararetur ad aliquid, quod ex ſe eſſet conſtituibile, adhuc ipſa non conſtitueret, quia ex ſua ratione formali ſibi repugnat conſtituere. Idque poteſt elici à Sco. Q. 5. Quol.

7. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 13. Q. v, ad O. dicit, quod productiones, ſeu emanationes ſe ipſis formaliter diſtinguuntur. Generatio enim ſe ipſa formaliter eſt generatio, & ſpiratio ſe ipſa eſt formaliter ſpiratio. Oppoſitum habet lib. 1. d. 2. p. 2. Q. de prductionibus, vbi ponit productiones diſtingui per principia formalia.

Lucas. Reſp. Scoti dictum q. de product. intelligitur originaliter, & principiatiue, ſed non formaliter. Dices. Scotus d. 13. 1. impugnat. Henr. admittentem diſtingui per principia formalia elicitiua. Dico, Henr. voluiſſe productiones diſtingui per principia elicitiua formalia, quæ tantum erant ratione diſtincta. Id Scotus impugnat, ſcilicet quod non eſt poſſibile aliqua eſſe diſtincta realiter per aliqua tantum diſtincta ratione. Vel dic, quod Sco. volebat per talia principia non poſſe diſtingui formaliter. Dices. Scotus 26. d. 1. fol. 3. arg. pro tertia via, dicit quod non diſtinguũtur ſe ipſis formaliter. Dico, quod ſe totis diſtinguuntur quantum eſt ex natura rei, ſed non in conceptu, conueniunt enim in conceptu communi illis, licet in nulla realitate conueniant. Et hæc eſt differẽtia inter vltimas differẽtias, & haſce emanationes; quoniam vltimæ differentiæ in nullo conueniunt, nec ex parte rei, nec in conceptu quidditatiuo; ſed iſtæ emanationes, ſi in nulla realitate conueniant; conueniunt tamen in conceptu quidditatiuo in quid prędicante de illis. Baccon. d. 10. 1. cum Sco. ait, quod ſe ipſis formaliter diſtinguuntur, tamen earum diſtinctio nobis innoteſcere poteſt per ſua principia formalia. Rubion. d. 13. pr. ait cum Scoto diſtinguũtur ſe ipſis formaliter, & ex ſuis principijs originaliter. Baſolus ait, diſtinguuntur per memoriam, & uoluntatem; ſi intelligat originaliter, ſeu quaſi effectiuè, eſt cum Scoto. Si autem intelligat formaliter; non audiatur. S. Bon. d. 13. 1. Q. 3. dicit, quod habent eſſe à ſuis principijs, differunt tamen formaliter ſe ipſis. Riccar. d. 13. p. Q. 3. dicit. differunt ſe ipſis formaliter, originaliter tamen per vim ſpiratiuam. Et addit, quod diſtinctio emanationum, etiam nobis innoteſcit, per ſuos terminos. Occam, & Gabr. tenent id, quod Scotus. Greg. negat diſtinctionem de principio quo, & quod, & ſecundo ait, perſonas diſtingui ſe ipſis formaliter, & realiter, in his ne audias eum, tertio, ait, ſe ipſis formaliter diſtinguuntur, & id cum Scoto, & in fine d. 13. dicit, quod non eſt poſſibile dicere cur generatio non ſit ſpiratio, ſed ſola fide id eſt tenendum. Idem ait Marſilius Q. 15. At Cameracenſis Q. 8. ar. 3. redarguit Greg. ſic. Turpe eſt Theologo non poſſe qualitercunque credendorum intellectum, & rationem dare. Adde tu. Theologus cuiuſcunque credendi poteſt probare, & declarare non repugnantiam illius credendi: & ad hoc Theologia ſcolaſtica ſeruit fidei noſtrę; ne infideles dicerent nos credere, & docere impoſſibilia.

8. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 13. Q. 1. ad P. dicit. Generatio dicitur naturalis, ex inclinatione

clinatione principij paſſiui, non autem ex ratione principij actiui. Oppoſitum habet parum infra; ait enim. Generatio filij Dei eſt naturalis, tamen ibi non eſt principium paſſiuum.

Lucas. Reſp. Generatio eſt naturalis à principio quidem paſſiuo, vbi eſt tale principium, ſed vbi non adeſt, vt in diuinis, ſumitur naturalis aliunde, ſcilicet ratione modi producendi, aut ratione inclinationis principij actiui; idque ſufficit, ait Scotus.

9. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 13. Q. 1. ad R. dicit. Productio non includit formaliter Eſſentiam diuinam; perſona autem includit formaliter eam, quia perſona non eſt tantum proprietas, ſeu relatio, ſed hypoſtaſis ſubſiſtens in natura diuina. Oppoſitum huius habet lib. 1. d. 4. Q. & d. 26. lib. 1. circa finem, vbi ait; hæc, Pater eſt Deus, non eſt formalis, ſed tantum identica.

Lucas. Reſp. Vigerius ſic dicit. Perſona includit formaliter Eſſentiam diuinam, tanquam id, quo perſona eſt Deus quidditatiuè, ſiue ens per ſe. At Sco. locis citatis, negat Deum de perſona quidditatiuè dici, & formaliter, ſed tantum identicè dici concedit. Scotus itaque ſic intelligit. Eſſentia in his productionibus eſt terminus formalis, & perſona includit formaliter terminum ſuum formalem, ſed non formaliter, ſcilicet quidditatiuè; ita quod Eſſentia prædicetur formaliter de perſona. Vel dic, quod formaliter capitur pro neceſſario requiſito adeſſe perſonę, ſicuti diceretur homo riſibilis, includit formaliter animal, ideſt neceſſario. Hunc dicendi modum inſequitur Paulus; denique dicas, quod Sco. loquitur reſpectiuè, & vt patet intuentibus literam eius, comparat has propoſitiones ad inuicem. Relatio eſt Eſſentia, & Perſona eſt Eſſentia, & dicit hanc ſecundam eſſe formalem, & non primam, non ſimplicites, at reſpectiuè loquendo.

10. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 13. Q. 1. ad V. dicit. Licet Eſſentia diuina in qualibet perſona ſit omnino primum, quaſi fundamentum omnis perfectionis eſſentialis, prima tamen perſona appropriatè habet memoriam. Oppoſitum apparet in via Scoti. Nam memoria, cum ſit perfectio ſimpliciter, propriè tribus conuenit.

Lucas. Reſp. Memoria conſideratur dupliciter, vt eſt perfectio ſimpliciter, ſic eſt propriè communis tribus, vel vt principium productiuum, & ſic appropriatur patri. Vel dic, memoria, vt eſt principium productiuum, eſt propria patri, vt autem eſt perfectio ſimpliciter eſt appropriata patri, & non propriè, & conformiter dicatur de intelligentia eſſentiali, quæ eſt appropriata filio, & non propriè, & nota, quod filius eſt terminus totalis generationis. Eſſentia eſt terminus formalis propriè, & notitia eſſentialis eſt terminus formalis appropriatè, & ita conformiter dico de Spiritu Sancto Eſſentia, & amore eſſentiali. Vlterius nota, quod per notitiam genitam intelligitur ſecunda perſona, ſeu terminus totalis, per principium productiuum memoria fœcunda, per notitiam intelligitur notitia eſſentialis, quæ appropriatè eſt terminus formalis. Queres, an notitia genita ſit in patre? Paulus ex verbis Sco. d. 13. p. in fine, videtur velle, quod ſic; his verbis. Memoria eſt formaliter in notitia genita actuali, & notitia eſt formaliter in perſona generante, licet neutrum illorum, ſit prima ratio agendi, & terminandi productionem. Sed hoc nequit haberi ex litera Scoti: nam ait ſic. Et, notitia eſt formaliter in perſona generante, vbi non ponit, li genita ſed

dixit abſolutè, notitia eſt formaliter &c. Et intellexit notitiam eſſentialem, quæ appropriatè terminus eſt formalis genitæ. At quomodo intelligitur, quod neutrius, ſcilicet, memoria, & notitia ſit prima ratio agendi; & prima ratio terminandi productionem. Paulus exponit, li prima, ideſt adæquata, ita quod, nec hoc, nec illud, eſt talis ratio prima adæquata. Vigerius ſic ait. Nec memoria in filio, nec notitia in patre eſt ratio producendi. Adde tu. Memoria non eſt prima ratio primitate generationis, ſed eſt ipſa Eſſentia: nec etiam notitia eſt prima ratio terminandi primitate generationis, ſed eſt ipſa Eſſentia.

XIV. DISTINCTIO.

QVAESTIO PRIMA, LIBRI PRIMI.

1. *Iacobus.* SCOTVS lib. 1. d. 14. Q. 1. ait conformiter ad magiſtrum, quod Spiritus Sanctus realiter, & viſibiliter mittitur ad extra. Oppoſitum videtur ex Beda dicente, quod Spiritus Sanctus non mittitur realiter, ſed tantum mittitur, dum dona ſibi appropriata nobis largiuntur, Cum dona dantur, inquit, hominibus, tunc mittitur Spiritus Sanctus,

Lucas. Reſp. conluſio cattholica eſt, quod Spiritus Sanctus realiter in perſona mittitur, & non quantum ad ſua dona; iſtaque concluſio defenditur à Magiſtro, Aug. & Ambr. & ſic ex Euangelio oſtenditur. Ioa. c. 14. Ego rogabo pat. & alium par. dabit vobis. Ad Rom. ca. 8. Si quis Spiritum Chriſti non habet, membrum Chriſti non eſt. Gloſa per Spiritum Chriſti, intelligit Spiritum Sanctum. Leo Papa in ſerm. Pent. Super illa verba. Ego rogabo &c. ait. Alium non minorem, ſed ſimilem in gloria, & eiuſdem ſubſtantiæ, & ſubdit. Affuit in hac die ſuis fidelibus, & non tantum per gratiam viſitationis, & operationis, ſed per ipſam præſentiam maieſtatis. Quæres, quomodo Spiritus Sanctus datur in propria perſona. Greg. reſp. quod talis modus non poteſt à nobis comprehēdi, poteſt tamen nobis à poſteriori manifeſtari, quando nobis adeſt Spiritus Sanctus, ſcilicet quando videmus nos aptos, & promptos ad dilectionem Dei, & proximi, Occam, & Gabr. ſic aiunt. Res dicitur alicui dari in ſe, quando in alterins dominium tranſit, ita quod ille alius vti poteſt, vt libet ad agendum: hoc modo etiam mos habet dominium, vt alter alteri ſe dare dicat, quando ad illud ſe offert, vt paratus parere alterius voluntati. Cum itaque Spiritus Sanctus illapſu ſuo ſanctificatiuo hominem per gratiam inhabitando, paratus eſt ipſum iuuare in omni actione meritoria, & tandē eum in beatitudine ſubleuare, dicitur quodammmodo volūtati hominum obtemperare, & homini ſe dare. Hinc, Exodi c. 32. Deus dicebat Moiſi. Dimitte me, vt iraſcatur furor meus. Sicque homo a dono Spiritus Sancti adiuuatur, vt ab habitu, & a Spiritu Sancto: vt à cooperante, vltra influxum generalem. Greg. addit. quandocunque datur Spiritus Sanctus, datur eius donum, ſcilicet, charitas, & e contra; & ſubdit. Poſſibile eſt dare Spiritum Sanctum, & non donum, vt patet de Caipha. Ioa. c. 11. & e contra poſſunt dari dona ſine Spiritu Sancto, & nota, quod habens Spiritum Sanctum tantum, non eſt gratus Deo; tamen, ſi quis tantum haberet ſolum gratiam, ſine Spiritu Sancto eſſet gratus Deo. Dices. Opera Trin. ad extra ſunt indiuiſa. quomodo ergo dicitur Spiritus Sanctus concurrere ſpecialiter, & non pater, nec filius. Dico, omnes perſonæ faciunt hunc ſpecialem concurſum, ſed tamen attribuitur Spiritui Sanct. quia fit in dono ſibi appro-

pro-

propriato, ita dicatur de filio, & ſic ſpecialiter concurrere eſt illapſus, de quo loquuntur Sancti. His ſtantibus, dicitur ſic ad Bedam; non enim dixit Beda, hoc eſſe Spiritum Sanctum mitti, quod eſt eius gratiam dari, ſed ait. Simul cum gratia datur, mittitur Spiritus Sanctus ita quod ſola concomitantia ibi denotatur. Expe nde. S. Bon. ait, quod nobis datur charitas, & Spiritus Sanctus in propria perſona, in quantum per gratiam poſſideo Deum, quem ſine gratia non poſſiderem. Riccard. ſic ait SpirtumS anctum datum ſecundum perſonam, & non tantum, vt donum appropriatum, & dicit talem eſſe modum, videlicet quod dare Spiritum Sanctum ſe propriè, eſt dare rationali creaturę facultatem ſe poſſe frui Deo; hanc autem facultatem habet rationalis creatura per charitatem: & ideo cum ſibi datur, vt donum charitatis; tunc vere datur perſona SpiritusSancti, quia eſt vbique per eſſentiam, tamen ipſa creatura non habet ex hoc facultatem ad fruendum eo; ſicut homo pauper habet pecunias alicuius diuitis in domo ſua, non ob id diceremus, quod habet illas pecunias, vt rem ſuam, ſed ſi facultas daretur à diuite, vti illa pecunia, vt re ſua, tunc eam haberet, vt rem ſuam; ita hic à ſimili dicatur. Qui hunc modum tenent, habent conſequenter dicere, quod non poteſt dari Spiritus Sanctus ſine charitate, at oppoſitum, vt dictum eſt, debet teneri. Et nota, quod non defuerunt, qui dicerent, quod ſigna ſenſibilia, in quibus apparuit Spiritus Sanct. vt columba, nubes, flatus, linguæ igneæ, fuerunt aſſumptæ a Spiritu Sancto in vnitate ſuppoſiti, dum in talibus Spiritus Sanctus apparuit. ſicut fuit aſſumpta natura humana à Verbo. Sed hoc eſt falſum, quia ſi hoc fuiſſet factum, ſcriptura non tacuiſſet, & licet Spiritus Sanctus ſit in hominibus, iuxtà illud. Spiritus Domini repl. orb. terrarum. Non tamen eſt in omnibus miſſus. Vnde Spiritum Sanctum mitti ad aliquē, ſecundum communiter ſcribentes, non eſt aliud, quam facere diligere Deum meritoriè, & tantum Spiritus Sanctus, & filius mittuntur; & ſi Pater mittat, ſicut aliæ, non tamen dicitur mitti, cum non habeat intrinſecam productionem paſſiuam. Mittere autem eſt commune tribus, cum ſit manifeſtare perſonam productam, & ſicut aliæ perſonæ poſſunt manifeſtare Spiritum Sanctum exiſtentem ſuper capita diſcipulorum per ſonum, & ignem, ita ipſe ſe manifeſtat, imo neceſſario ſe manifeſtat, cum opera ad extra ſint indiuiſa. Dices. Pater etiam manifeſtatur, ergo mittitur. Reſp. quęre. Dubitabis, an Spiritus S. tempore legis ſcriptę fuerit miſſus. Vigerius ait, quod non, propter duo, primum eſt, quia tunc non erat plenitudo gratiæ, ſecundum, quia non debuit mitti viſibiliter ante miſſionem viſibilem filij. Quæres amplius. An columba, in cuius ſpecie apparuit Spiritus Sanctus fuerit res vera. Profectò. At, an viuens, vel aliqua res habens ſimilia accidentia. Vtraque poſitio eſt probabilis.

XVII. DISTINCTIO, QVAESTIO PRIMA, ET SECVNDA, LIBRI PRIMI.

1. *Iacobus.* SCOTVS lib. 1. d. 17. Q. 2. ad E. dicit. Potentia eſt qua ſimpliciter poſſumus, & primo, quia quo quis poteſt ſimpliciter operari illud eſt potentia. Oppoſitum habet in doctrina ſua multis in locis. Nam vult quod etiam obiectum ad operari neceſſariò requiratur.

Lucas. Reſp. Scoti dictũ intelligitur per cõparationẽ ad habitũ, ſed non per comparationem ad obiectum, & alia eſſentialia cum potentia. Nam 17. p. loquitur de potentia, vt comparatur ad habitum, & ſic potentia eſt id quo ſimpliciter poſſumus, habitus autem quo ſic poſſumus, Vnde per habitum (dicit Franc.) operamur velociter, faciliter, & firmiter, & concurrit cum voluntate ad actum meritorium, & principalius licet quantum ad ſubſtantiam actus principaliter ſit à voluntate.

2. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 17. Q. 2. ad E. dicit, quod accidens in ligno agat ſic, ſic agit per calorẽ ſibi accidentaliter inhærentẽ; ex hoc nulla conuenit actio ligno per formam ligni, ſed tantum illi accidenti, quod recipitur ab ipſo. Oppoſitum patet ex Ariſt.. Nam accidens tale in ligno non eſt agens.

Lucas. Reſp. Scotus, ſi bene conſideretur littera eius, tantum intendit in illa ratione contra Henr. excludere rationem formalem ab omni, quod ſit aliquid voluntatis, ſicut patet ex illo exemplo. Nihil ligni eſt ratio formalis, calefaciendi, & ſic eſt intelligedus. Nam exemplariter loquitur.

3. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 17. Q. 2. ad F. dicit; Habitus cum non ſit formaliter voluntas, nec per conſequens, formaliter liber, ſi eſt principium actiuum, erit merè naturale. Oppoſitum patet 16. Q. Quol. ar. 3 Vbi ſic ait. quandocunque potentia naturalis aliqua concurrit cum voluntate; tota illa operatio dicitur libera, ergo habitus erit liber.

Lucas. Reſp. Aliquid dicitur liberum dupliciter, formaliter, aut per participationem. Habitus per participationem certè liber eſt, ſed non formaliter, & ideo Scotus dicit, merè naturaliter, formaliterque liber.

4. *Iacobus.* Scotus lib. 1. 17. Q. 2. ad F. dicit. Habens formam aliquam actiuam ſibi prædominantem, vnquam poteſt moueri contra inclinationem illius formæ prædominantis, ſicut nunquam corpus mixtum grauе poteſt aſcendere contra inclinationem terræ prædominantis; ex quibus verbis patet, quod non poteſt dari ęquale ad pondus. Oppoſitum videtur habere Auic. vbique in doctrina ſua, ſcilicet, quod tale æquale ad pondus detur.

Lucas. Reſp. circa hanc difficultatem differunt Auer. & Auic. ſed quicquid dicat Auic. teneas cum Com. nam primo cæli c. 7. & 2. de gener. c. 48. dicit non dari æquale ad pondus propter duo. Primum, quia tale cor-

pus vbicunque poneretur, ſtaret, & non moueretur, etiam quilibet locus eſſet ſibi naturalis. Secundum, quia tale corpus eſſet perpetuum, quia non haberet qualitatem prædominantem vincentem, ſicque non accideret ei tranſmutatio: & Ariſt. p. cæli 7. vult. mota moueri ab elemento prædominante, quod non eſſet, ſi ibi eſſet æqualitas ad pondus Petrus Tatar. lib. 2. de gener. q. vlt. tenet, quod non datur æquale ad pondus, ſed tantum ad iuſtitiam; quia ſi daretur æquale ad pondus, motus non haberet locum naturalem, quia qua ratione locus ſurſum eſſet ſibi naturalis, eadem ratione locus deorſum. Dices. In aqua, quæ eſt calida, vt ſex, redeundo ad ſuam priſtinam naturam, tranſit, tunc eſt temperamentum ad pondus, ita dicatur de infirmo, vt redit ad ſanitatem. Dico, non ſiſtitur, ſed vltra tranſitur, & æqualitas ad pondus debet intelligi, quod ibi ſiſtatur. Aut dic, quod intelligitur de ſtatu naturali rei, & non de violento. De hac æqualitate ad iuſtitiam, & non ad pondus, locutus eſt Ariſt. 1. cæli, & Sco. lib. 4. d. 43. Q. 2. & d. 44. Q. 3.

5. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 17. Q. 2. ad G. dicit. Intenſio actus non eſt aliquod extrinſecum accidens actui, ſed gradus intrinſecus actui, quaſi velit inferre, quod ſit accidens intrinſecum. Oppoſitum apparet in doctrina Scoti. Nam intenſio, cum ſit modus intrinſecus, non poteſt eſſe accidens.

Lucas. Reſp. Eſt accidens modus intrinſecus ad hunc ſenſum, quia non eſt de quidditate illius, cuius eſt modus. Dices. Ait Scotus. Actus intenſus eſt quoddam per ſe vnum, ergo videtur non eſſe accidens. Dico, ſic intelligitur, quia non eſt accidens illi extrinſecum, ideo dicitur per ſe vnum. Vel dic, quod res, & modus ſunt per accidens logice loquendo.

6. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 17. Q. 2. ad K. dicit. Hoc apparet inductiuè in paſſionibus conſequentibus idem ſubiectum, in quo eſt neceſſariò determinatus ordo, quod vna immediatius ſequitur ſubiectum, quam altera, & hoc ſecundum totam ſpeciem. Oppoſitum huius habet Scotus d. 39. p. vbi non ponit ordinem paſſionum determinatum.

Lucas. Reſp. Scotus d. 17. pr. loquitur exemplariter, ſeu conditionaliter, & cum non ſit locus proprius, locutus eſt communiter, & id ait in parte arguens ad partem negatiuam. Ex quibus omnibus patet, quod non eſt deſumenda ſententia Sco. ibi, vbi nititur probare, quod habitus non ſit actiuus reſpectu actus. Quæres, an habitus ſit actiuus? Franc. d. 17. p. Q. 3. ait, quod ſic, & probat ita. Quandocunque eſt aliqua natura, quæ poteſt in duas operationes, inquantum vna abundat, & vna deficit, ſi adiutorium detur illi naturæ, rationabilius eſt, quod ſibi detur ex parte, qua deficit, quam ex parte, qua abundat, ſed natura in producendo deficit, in perficiendo abundat, ergo ſi habitus detur ei in adiutorium, potius debet ſibi dari, ex parte, qua deficit, i. ex parte qua producit, quam ex parte, qua eſt receptiua, Dices. Impoſſibile eſt circulum dari in eſſentialiter ordinatis, ſed actus in eſſentiali ordine præcedit habitum, quia ex eo generatur, & habitus non eſt cauſa actus, quia tunc eſſet ordine eſſentiali prior. Reſp. Franc. tenendo, quod actus ſequentes, & pręcedentes habitum, ſint alterius rationis, argumentum eſt ſolutum, ſed tenendo, quod ſint eiuſdem rationis, tunc oportet negare, quod ibi ſit ordo eſſentialis, & ratio eſt, quia ita poſſunt cauſari cum habitu, ſicut ſine habitu, quia actus illi poſteriores poſſunt cauſari à

pote-

potentia ità perfectè, cum maiori conatu, ſicut etiam eſt tantum accidentalis ordo ſanitatis inductæ ad medicinam, quia ſanitas, & medicina inducta poterat induci cum maiore conatu. Dices. Habitus generatur ex actibus, Dico li, ex, debet exponi, vt dicit ordinem, & non efficientiam, ſicut dicimus, ex aurora fit dies, ita ex actibus fit habitus ideſt poſt actus fit habitus.

7. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 17. Q. 2. ad V. dicit. Non oportet omnem actum generatiuum habitus eſſe rationem agendi quo. Oppoſitum patet, dicto illo communi, quod eſt cauſa cauſæ eſt cauſa cauſati, ergo ſi actus eſt cauſa habitus, erit quoque cauſa actus cauſati ab habitu.

Lucas. Reſp. Verum eſt, quod eſt cauſa actus poſterioris, ſicut remotum quo, ſed non ſicut immediatum quo. Sco. lib. 4. d. 49. Q. 2. ait, Hęc. Quicquid eſt cauſa cauſę eſt cauſa cauſati; verificatur, duabus conditionibus ſeruatis. Prima, quod ſit in eodem genere cauſæ. Secunda, quod inter cauſas illas, ſit ordo eſſentialis, iſtaſque limitationes ponit 5. Meth. Sco. Q. 1.

8. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 17. Q. 2. ad N. & M. videtur dicere, quod habitus reſpeſpectu actus non eſt actiuus, ſed tantum facilitat potentiam. Oppoſitum habet lib. 1. d. 3. Q. 7. & lib. 3. d. 14. Q. 1. & lib. 4. d. 6. Q. 10. & d. 49. Q. 10, & d. 50. Q. vlt. quibus locis inquit, quod habitus ſolum datur potentiæ in ratione actiui, & paſſiui.

Lucas. Reſp. eſt verum, quod ait Scotus d. 17. pr. quod habitus datur potentiæ in ratione paſſiui, ſed loquitur topicè docendo ſuſtinere opinionem quartam ibi poſitam, at tenet tertiam ibi recitatam, quæ ponit habitum actiuum. Dices. Scotus lib. 2. d. XI. lignum ſiccum, ait, magis eſt diſpoſitum, vt recipiat calorem, quam humidum, ergo videtur, quod habitus faciat in ratione paſſiui. Reſp. Scotus 17. pr. loquitur de habitu conſuetudinario, qualis in ligno non reperitur, quia talis habitus eſt tantum in viuentibus. Vel dic, ſiccitas non facit potentiam paſſiuam eſſe magis diſpoſitam, ſed tunc remouet impedimentum. Vnde aliud eſt potentiam paſſiuam diſponi, & aliud, quod ab ea remoueatur impedimentum, Altera tamen reſponſio eſt melior.

9. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 17. Q. 2. ad O. dicit. Habitus, inquantum virtus, non eſt actiuus bonitatis in actu morali. Oppoſitum huius habet Scotus eadem Q. 2. vbi ponit habitum eſſe actiuum reſpectu actus.

Lucas. Reſp. Habitus dupliciter conſideratur, pro ſubſtrato, & eſt quædam qualitas, naturalis actiua, & ſic eſt actiuus; pro formali, vt notat conformitatem ad rectam rationem, & dicitur ſic habitus, in quantum virtus, & ſic non eſt actiuus. Notandum, quod virtus multis modis capitur: primo, vt ſe extendit ad naturam, ſeu potentiam aliquam, vt accipit Ariſt. 1. cæli 131. 132. Ex quibus locis elicitur illud dictum famoſum. Virtus eſt vltimum in potentia. Secundo capitur pro quacunque diſpoſitione bona ordinata ad finem, ſic Ariſt. 7. Phiſ. 13. dicit. Virtus eſt diſpoſitio ad optimum; hoc modo habitus intellectuales, corporales, moraleſque dicuntur virtutes. Tertio capitur pro virtute morali, vt diffinitur ab Ariſt. 2. &c. c. 5. ſic. Virtus eſt habitus, qui perficit habentem, & opus bonum reddit, & ſic virtus habitus eſt electiuus in mediocritate conſiſtens, quo ad nos ratione terminata, & vt ſapiens determinabit. Alia eſt virtus heroica, de qua tractat Ariſt. 2. Etic. & dicit. Ille dicitur heroicus, qui eſt plenus omnibus virtutibus,

& caret omni vitio,& in omnibus ratione regitur, & addit Ariſt. quod talis non inuenitur, quia ſi inueniretur, potius diuinus, quam humanus eſſet; ex hoc virtus heroica diuina dicitur; & oppoſitum virtutis heroicæ, quod dicitur beſtialitas, ſeu incontinentia, non inuenitur,& talis eſſet, qui haberet omne vitium, & careret omni virtute. At quid eſt virtus heroica? Vnus modus eſt, quod virtus heroica eſt aggregatio omnium virtutum moralium in ſummo, ſicque virtus heroica eſt ens per accidens. Scotus verò lib. 3. d. 34. in fine ait. Virtus heroica eſt quæcunque virtus in ſummo,vt in gradu perfectiſſimo. Vnde ſi quis haberet omnes virtutes in ſummo, & in gradu perfectiſſimo, ille haberet tot virtutes heroicas,quot eſſent illæ virtutes;hinc benè ait Franc. Virtus heroica non eſt vna virtus, ſed eſt culmen,& faſtigium omnium virtutum. Tandem eſt virtus theologica, quæ ſecundum Sco. lib. 3.d. 26. triplici conditione ornatur. Prior, vt aſpiciat Deum immediate. Altera, vt habeat pro regula diuinam voluntatem. Tertia, vt ſit infuſa immediatè à Deo. Et diffinitur ita ab Aug. Virtus theologica eſt qualitas bona, qua bene viuitur, quam Deus in nobis, ſine nobis, operatur. Datur etiam virtus media, vt fides, ſpes, charitas acquiſita,quæ tantum habet duas primas conditiones, ſed non tertiam, & differunt virtus theologica, & moralis tripliciter. Primo, ratione obiecti virtus theologica reſpicit Deum immediatè pro obiecto, moralis neceſſariò reſpicit aliquod creatum finitum. Secundo, ratione finis. Tertio, ratione modi, quia virtus theologica eleuat mentem ad aliquod ſupernaturale, moralis autem non.

10.*Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 17. Q. 2. ad R. dicit, quod habitus, cum ſit qualitas abſoluta, eſt virtus actiua. Oppoſitum habet Ariſt, 7. phiſ. 17. vbi ait. Virtus, & vitium ſunt ad aliquid,& ad aliquid non eſt actio, nec motus.

Lucas. Reſp. quæras reſp. At aduerte, quod rationes Ariſt. ad probandum illam concluſionem. Ad habitus morales non eſt per ſe alteratio, ſunt diminutæ, vt ait Sco. 13. Q. Quol. & d. 17. pr. Nam prima eius ratio eſt. Habitus, & malitia ſunt ad aliquid, ergo ad ea non eſt alteratio; neque habetur in t. 17. Secunda, quæ habetur in t. 18. hæc eſt. Nihil dicitur alterari, dum perficitur, atque corrumpitur, ergo ſecundum has qualitates non eſt alteratio per ſe. Tertia, quæ habetur in t. 19. hæc eſt. Id, quod acquiritur ad acquiſitionem alterius, non alteratur, habitus &c. Diminutè hæ rationes concludunt. Nam prima, & tertia probant tantum, quod non ſit motus per ſe ad relationem, ſed non probant per ſe non primo. Secunda ratio habet maiorem falſam. Tamen Sco. affert tres reſponſiones ad dictum Philoſophi in 13. Q. Quol. Prima eſt, quæ dicit Ariſt. 7. Phiſ. non ſunt de eius mente, at Platonis; idq; refert Auer. in fine 20. com. His viſis, non quod hæc ſit opinio eius, ſed intendit demoſtrare vim huius opinionis. Altera reſponſio eſt,quod Ariſt. non concedit alterationem, niſi ad formam, quæ primo acquiritur in illo ordine, non ſic autem eſt de ſcientia, vel actu intelligendi, quia non acquiritur ab obiecto extra, ſed ab aliquo intra. Nam 2. de ani. 55 Cũ volumus intelligimus, non autem ſentimus,cum volumus, quia ad intelligendum habemus obiectum intra, & ad ſentiendum extra. Ideo 7. phiſ. 12. concedit Ariſt. ſenſum alterari,& habet intentum ex illa concluſione ſpeciali, & habet concluſionem principalem,quam intendit in t. 11. illius 7. lib. 5. quod mouens,& motum ſunt ſimul:idq; probat

probat inductiuè in omnibus motibus, & ſpecialiter in alterationibus videtur habere inſtantiam de illis qualitatibus, quæ non immediatè ducuntnr à primo alterante, quia ibi, ſi alteratum ſit ſimul cum proximo alterante, non tamen cum primo in illo ordine, de quo tamen eſt manifeſtius, quod ipſum ſit alterans. Tertio, reſp. Scotus quod poſſet intelligi de alteratione, quæ eſt verè motus, cuiuſmodi non eſt intellectio, cum indiuiſibiliter acquiratur, & eſt in ſubiecto indiuiſibili.

11. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 17. Q. 2. ad S. tenet, quod appetitus ſenſitiuus, licet non ſit liber, eſt tamen aliquo modo actiuus, ſicut etiam & ſenſus. Oppoſitum patet ex Ariſt. 1. phiſ. vbi ait. Non eſt ponenda pluralitas ſine neceſſitate, ſed non eſt neceſſarium ponere ſenſum actiuum diſtinctum ex natura rei a ſenſu paſſiuo.

Lucas. Reſp. In via Sco. certum eſt ſenſum fore actiuum. Ad Philoſophi dictum dicitur, quod neceſſitas eſt ponendi ſenſum actiuum, & ſic patet; niſi eſſet ſenſus actiuus, tunc potentia ſenſitiua non eſſet virtus animæ. Tum ſequeretur, quod virtus vegetatiua eſſet actiua 2. de an. 35. & inde. Tum, ſenſus iudicat de ſuis obiectis. Tum Baſiliſcus viſu interficit, & mulier meſtruata viſu inficit ſpeculum.

12. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 17. Q. 2. ad Z. dicit. Prudentia non eſt ſimpliciter neceſſaria ad actum moralem, ſed ſimpliciter ſufficit ſolum dictamen rationis. Oppoſitum videtur dicere Sco. eamet Q. paulo ante, ſcilicet, quod prudentia ſit ſimpliciter neceſſaria, his verbis. Et hoc præcipuè, vt illæ conditiones dicantur à recta ratione debere ineſſe actui ſimpliciter.

Lucas. Reſp. tollitur hæc difficultas ex verbis Scoti, dum ait, quod iſte habitus natus eſt eſſe conformis prudentiæ, ſi in eſſet. vnde neceſſario, vt iſte habitus ſit virtus, vult conformitatem aptitudinalem ad prudentiam, & non actualem, ſed ad dictamen rationis vult neceſſario conformitatem actualem. Dum dicit Sco. quod prudentia eſt cauſa actus moralis, non intelligit, quo ad ſubſtantiam, nec quo ad intenſionem actus, ſed ſolum, quo ad hoc, quod eſt conformatiua actus. Expende, dum ait Scotus. Prudentiam eſſe ſuperiorem ad actum moralem, quod tantum eſt ſuperior in ratione menſurantis, non autem ſimpliciter, quia ſimpliciter virtutes morales, cum ſint in voluntate, ſunt perfectiores habitibus intellectus. Et quęcunque virtus moralis, ſpecie diſtincta ab alio habitu morali, habet prudentiam ſibi correſpondentem ſpecie diſtinctam à prudentia correſpondente alij habitui. Et prudentia eſt tantum vnus habitus genere, & non ſpecie, vt ait Sco. lib. 3. d. 36.

13. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 17. Q. 2. ad Oo. dicit, quod ſine charitate non poteſt eſſe actus meritorius. Oppoſitum habet Sco. lib. 3. d. 13. Q. 4. vbi dicit. Gratia abſolutè non requiritur, nec ad actum meritorium, nec ad fruitionem.

Lucas. Reſp. Scotus lib. 3. loquitur de potentia Dei abſoluta, & vt potentia recipit, & non agit; ſic enim ibi ſe declarat & d. 17. pr. loquitur de potentia Dei ordinata, & vt potentia non ſolum recipit, ſed vt agit, iſtaque potentia concurrit ad actum meritorium, voluntas, & habitus, & principalius habitus, quam voluntas. Contra eſt de ſubſtantia actus, quæ minus principaliter eſt à charitate, & principaliter à potentia. Et nota, quod charitas in patria non requiritur, vt actus meritorius ſit, quia ille ſtatus eſt extra mæreri, & demæreri, ſed requiritur, vt actus beati-

beatificus perfectius eliciatur. Et licet charitas in patria non reddat actū gratum, reddit tamen perſonam, ſeu naturam Deo gratam.

ꞏcotus lib. 1. d. 17. Q. 2. ad Pp. dicit. Delectatio quippe eſt ab obiecto, quod attingitur per actum, & non tantum ab ipſa potentia agente circa obiectum, quibus verbis dicere videtur, quod delectatio ſit immediatè à potentia. Oppoſitum habet lib. 1. d. 13. & lib. 2. d. 33. & lib. 3. d. 15. & lib. 4. d. 14. Q. 1. & d. 44. Q. 2. & d. 46. Q. 4. dicens, quod delectatio, & triſtitia non cauſatur à nobis immediatè, nec ſunt immediatè in noſtra poteſtate, ita quod poſito, actu, non poſſumus non triſtari, vel lætari.

ꞏeſp. Nota illud quod habet Scotus lib. 1. d. 3. & lib. 4. d. 49. Q. 7. vbi expreſſe determinat, quod delectatio eſt realiter ab operatione, & eſt effectus realiter ab operatione diſtinctus, quia ſi eſſet idem realiter, non poſſet eſſe minor delectatio in maiori actu, vt ait Scotus d. 17. 1. Hoc ſtante, poteſt Deus concurrere ad operationem, non concurrendo ad delectationem, & ita poterunt eſſe actus, ſine iuſtitia, & delectatione conſequentibus, & vt ſibi videbatur, poterit eſſe maximus conatus in habitu cum minima delectatione. Dices. Id verum eſt de Deo ſpecialiter operante, ſed an hoc ſecundum, ſcilicet ſtante maiori conatu, poſſit eſſe minor delectatio, Deo tantum ſecundum influxum generalem, & non ſpecialem operante. Dico, quod ſic, & ratio eſt iſta, quia cauſatur ab obiecto actus, ab actu, & a potentia, & ita potentia non tantum concurrit cum obiecto mediatè ad delectationem pro quanto cauſant actum, ſed etiam cum ipſo actu immediatè cauſant delectationem, vel triſtitiam, & ita actus non eſt totalis cauſa, ſed partialis, cum alijs concurrens, ſcilicet cum potentia, & obiecto. Vnde actus ſemper ſuo modo delectat, non tamen ſemper voluntas habet complacentiam cum obiecto actus. Hæc reſp. eſt Pauli, ſed non plenè tuta; cum concedat potentiam, & actum immediatè cauſare delectationem. Vel dic, quod Scotus loquitur de delectatione cauſata ab obiecto libero, vt in propoſito eſt, quod poteſt, prout voluerit cauſare minorem, vel maiorem delectationem. Hic modus eſt conformis Sco. lib. 3. d. 15. vbi habet quod paſſio non eſt in voluntate, ab ipſa voluntate effectiuè, quia tunc eſſet immediatè in poteſtate voluntatis, ſicut volitio, & nolitio, quod eſt falſum. Dices. Delectatio eſt à potentia, quia dicit Scotus. Et non tamen ab ipſa potentia agente circa ipſum obiectum. Dico, quod delectatio eſt ab ipſa potentia, ſed mediatè. Bargius addit, quod litera Scoti male iacet, quia li, tantum debet deponi, & tunc ſententia erit clara. Adde, quod 17. d. 1. non eſt locus declarandi à quo ſit effectiuè triſtitia; ſed tantum Sco. declarat, quomodo poteſt eſſe minor delectatio, ſtante maiori conatu ipſius actus. Sco. lib. 4. d. 14. expreſſe dicit, quod voluntas cauſat triſtitiam vt cauſa remota, non vt proxima. Ex his oritur dubium. Si habituatus in bonum operetur ſecundum conatum, vt quatuor, & ſimiliter non habituatus, quæritur, quis iſtorum magis mæreatur? Reſp. Paulus, quod mæritum eſt à difficultate actus; cum ergo non habituatus difficilius operetur, videtur quod plus mæreatur; tu tamen dic ex principijs Sco. lib. 3. d. 9 & 15. & d. 14. lib. 4. quis non excuſatur ex impedimento, quando ipſe dedit occaſionem talis impedimenti; ſed ſibi imputatur,

ac ſi non eſſet tale impedimentum, ita à ſimili dicatur, habitus, quo faciliter habituatus operatur cadit in fauorem ſui; adeo quod in iſto caſu dico, quod ſi non magis, ſaltem tantum mæretur, ſicut non habituatus non obſtante, quod ille alius cum maiore difficultate operetur, quod ſi non eſſet, multis eſſet dare occaſionem non ſe habituare in bonis actibus, quod quidem eſſet contra æquitatem.

15 Iacobus. Scotus lib. 1. d. 17. Q. 2. ad Qq. dicit, Cooperari Spiritum Sanctum igni ad calefacendum, non eſt miraculum, cooperari autem aquæ frigidæ ad calefaciendum eſſet miraculum. Ita Spiritum Sanctum cooperari voluntati habituatæ non eſt miraculum; ſed cooperari voluntati non habituatę eſſet miraculum. Oppoſitum habet Aug. in Ioa. vbi ſic ait. Maius miraculum eſt gubernatio totius mundi, quam ſaturatio quinque millia hominum, ex quinque panibus. Illud enim mirantur homines, non quia maius, ſed quia rarum.

Lucas. Reſp. Scotus Q. 2. prol. art. 8. ſic diffinit miraculum. Voco miraculum, quicquid arduum, & inſolitum ſupra ſpem, & facultatem mirantis apparet; iſtaque diffinitio eſt Augu. lib. de vtilitate credendi, propè finem. Et ſubdit, quædam ſolum faciunt admirationem, quædam magnam gratiam conciliant, qualia fuerunt miracula Chriſti. His dictis dico ad difficultatem. Sco. d. 17. p. accipit miraculum, vt eſt quid inſolitum, ſecundum quod accepit Aug. lib. de vtil; cred. Aug. autem ſuper Ioa. accepit miraculum magis communiter pro opere Dei valde mirifico.

16 Iacobus. Scotus lib. 1. d. 17. Q. 1; ad Ff. dicit, Cognitio charitatis aliorumque habituum ſupernaturalium ratione naturali non poteſt haberi. Oppoſitum habet lib. 3. d. 24. vbi ſic ait. Charitas poteſt oſtendi ex actu interiori, quo inuenit ſe homo promptum ad diligendum Deum, & exteriori, quo feruet in actibus extrinſecis pro aliquo dilecto, ſicut aliqua ſcientia oſtenditur actu interiori in intelligendo, & actu exteriori in bene docendo. Hęc Sco. ex quibus verbis, videtur, quod poſſit elici naturaliter charitas.

Lucas. Reſp. Diximus ex Scoto nullum poſſe ſcire ſe eſſe in gratia, ſeu charitate de lege communi; idque patet ex Scoto d. 17. pr. & lib. 3. d. 23. Reſp. ad quæſt. & d. 24. & d. 26. & 27. & lib. 4. d. 6. Q. 9. Ex quibus locis colligitur, quod charitas non poteſt certitudinaliter probari. At pro intelligentia nota. Eſſe in gratia, ſeu in charitate dupliciter eſt, ſcilicet ſecundum præſentem iuſtitiam, & ſecuundum finalem iuſtitiam, prima dicitur iuſtificatio ſecundum quid, quia ſecundum hanc, multi dãnati aliquando fuerunt iuſtificati, alia dicitur iuſtificatio ſimpliciter, quia ſecundum hanc ſoli electi iuſtificabuntur, & ſolum pro ipſis efficaciter Chriſtus mortuus eſt, & paſſio oblata, pro alijs autem tantum ſufficienter, vt docet Sco. lib. 3. d. 19. His poſitis. Dico, de communi lege nullum poſſe ſcire, an ſit in gratia ſimpliciter, ideſt ſecundum finalem iuſtitiam, ſicque verificatur illud Eccleſ. cap. 9. Neſcit homo an odio vel amore dignus ſit. Sed ſicut capiuntur hamo piſces, & aues laqueo, ſic homines capiuntur tempore malo. Poteſt enim cadere a bono, & capi in malo, ſicut aues in laqueo. Sic etiam dicitur apud Iob. c. 9. Si ſimplex fuero, hoc ignorabit anima mea. Dic ſecundo. Non poteſt homo, etiam ſanctus, ex communi lege certitudinaliter cognoſcere ſe eſſe in gratia Dei ſecundum quid, ideſt ſecundum præſentem

iuſtitiam

iuſtitiam, quia gratia ſpeciali multi fuere certificati de vtraque gratia vt Paulus, & Franc. Adde tertio, quamuis homo non poſſit certitudinaliter de communi lege ſcire, poteſt tamen ſcire coniecturaliter, & congruenter, vt dicit Sco. lib. 4. d. 6. Q. 9. Hæc congruentia poteſt haberi ex facilitate, promptitudine, & appetitu ad bonum operandum, & ex victoria contra carnem, demonem, & mundum. His oſtenſis, dicitur ad dictum Sco. d. 24. lib. 3. primo quod loquitur ad hominem, ſecundo, ſoluitur, ponderando illud verbum Sco. in 1. Certitudinaliter. Vult ergo lib. 1. d. 17. quod non poſſit cognoſci certitudinaliter, lib. verò tertio, quod poſſit cognoſci coniecturaliter. Adde tertio, loquitur Sco. lib. 3 contra illa lumina chimerica, quæ ponebat Henr. & vult habere Sco. quod nulli actus dantur, per quos aliquo modo poſſint probari illa lumina, ſed charitas ſaltem coniecturaliter, per aliquos actus poteſt probari, ſicque loquitur ibi in reſpectiuo ſermone. Dices, Sco. lib. d. 14. Q. 1. dicit. Cæcus illuminatus ſupernaturaliter, videt naturaliter, ſic etiam ex promptitudine, expeditione, facilitatione, ſeu ex talibus actibus arguere charitatem, eſt probatio naturalis, ſcilicet ex effectu ad cauſam. Dico, Sco. in 3. loco citato ait, non poteſt naturaliter probari charitas per tales actus, & ratio eſt, quia iſti actus indifferenter poſſunt prouenire à fide, charitate acquiſita, ſicut ab infuſa; modo: quando aliquis effectus indifferenter poteſt prouenire à duabus cauſis, ab illis effectibus alteram cauſam arguere eſt fallacia conſequentis, vt aiunt logici, arguendo à pluribus determinatis ad vnam determinatam.

17. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 17. Q. 1. ad Gg. tenet, quod ſtante charitate in voluntate poſſunt dari actus indifferentes. Oppoſitum habet lib. 3. d. 23. vbi ait. Charitas, vltra actum ſuum, ſcilicet vltra actus voluntatis, facit actum cuiuſcunque potentię eſſe meritorium, & iſta eſt maxima perfectio charitatis.

Lucas. Reſp. Sco. Q. 17. Quol. ar. 2. in fine, & lib. 3. d. 18. & alibi ſic gloſat propoſitionem hanc allatam ex 23. d. l. 3. Charitas facit actum cuiuſcunque potentiæ eſſe meritorium. Verum eſt, quando illi actus eliciuntur ſecundum inclinationem charitatis; hoc idem dicit Scotus d. 17. pr. quod ſi non eſſet, tunc non daretur actus indifferens, nec peccatum veniale in habente charitatem. Et nota, quod prius acceptatur natura, quam actus extra. Reſpexit Deus ad Abel, & ad munera eius. Et ſcias, quod intenſio actus non facit ad beatitudinem; quoniam Sco. lib. 4. d. 49. Q. 6. ait, quod B.V. Maria in via habuit maiorem charitatem, charitate alicuius inferioris beati.

18. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 17. Q. 1. ad Ll. diffiniens meritum ſic dicit. Meritum eſt actus potentiæ liberæ, & ſecundum inclinationem gratiæ elicitus, acceptus Deo, vt præmiabilis beatitudine, & lib. 3. d. 18. ſic diffinit. Meritum eſt aliquod acceptum, vel acceptandum in alio, pro quo ab acceptāte eſt aliquod retribuendum illi, in quo eſt quaſi debitum illi pro illo merito, vel alteri, pro quo mæruit ex ſua diffinitione patet ſic. Nullus mæretur alteri, qnando ipſemet eſt agens. ſed quilibet prò præſenti vita eſt agens, ergo non poteſt pro alio mæreri.

Lucas. Reſp. Pro hac difficultate primo nota, qnod diffinitio mæriti data à Sco. d. 17. pr. eſt diffinitio meriti de condigno, at diffinitio data lib. 3. eſt diffinitio meriti in communi ad meritum de congruo, de condigno, & de di-

de digno. Vlterius nota. Ad actum meritorium duo requiruntur, Vſus ſcilicet liberi arbitrij, & gratia, defectu primi, paruulus baptizatus non poteſt mæreri; defectu ſecundi, exiſtens in peccato mortali non poteſt mereri, & poteſt addi tertium, videlicet quod ſit in via, & defectu huius, beati in patria non poſſunt mæreri pro ſe, ſed pro nobis, vt ait Gabr. 18. d. lib. 3. citando Sco. in 4. d. 45. Q. 4. & Scotus d. 18. lib. 3. ponit hæc quatuor ad meritum, potentiam, gratiam, vſum potentię, & præſentiam obiecti. Et habetur meritum tunc, quod eſt in acceptatione diuinæ voluntatis, quæ acceptatio actiua, cum ſit Dei ad creaturam, eſt reſpectus purè rationis, vt ait Franc. d. 17. pr. Q. 2. in princ. His notatis dico ad dubium. Triplex eſt meritum generale, ſcilicet mediú, & ſpeciale, quilibet poteſt pro alio mæreri merito generali, & medio, ſed non ſpeciali. Nam quilibet eſt egens, & non poteſt ſpeciale illud meritum alteri dare; & expende, quod ſi Petrus, & ego ſumus in gratia, vt duo, iam non poſſum tunc ſibi mæreri tertium gradum gratiæ, quia ſum egens ſicut ille, ſi tamen habeo vnum gradum gratiæ, & ipſe nullum, poſſum ſibi mæreri primum gradum gratiæ. Ex quo exiſtens in peccato mortali non poteſt mæreri de congruo alij exiſtenti in peccato mortali primam gratiam; quia ipſe eſt egens.

19. Iacobus. Scotus lib. 1. d. 17. Q. 1. ad Ll. dicit. Non eſt ordinatio actus ad beatitudinem, vt ad præmium iuſtè reddendum pro tali actu, ex quibus verbis liquet, quod non eſt meritum ad ipſam gratiam de condigno. Oppoſitum videtur dicere Sco. lib. 4. d. 14. Q. 2. vbi ait, quod ex puris naturalibus aliquis poteſt ſe diſponere ad gratiam.

Lucas. Reſp. Sco. dictum lib. 4. eſt ponderabile, non enim dicit ſimpliciter, quod ex puris naturalibus &c. ponit enim duplicem regulam in intellectu dictantem de diſplicentia peccati, quarum prima eſt merè naturalis, quæ cognitio dictatiua eſt voluntati, vt deteſtetur peccatum abſolutè, quia in ſe malum. Alia eſt regula ſupernaturalis, quæ ſibi reuelata eſt à ſcriptura, ſeu à Sanctis Apoſtolis, quibus credimus, & hæc regula eſt cognitio dictatiua voluntati, vt deteſtetur peccatum ſub iſtis circunſtantijs, vt eſt offenſiuum Dei, retardatiuum à bono, expulſiuum à vita ęterna &c. Dictum ergo Sco. in 4. hoc ſecundo modo intelligitur, non autem primo modo. Vel dic, peccator ex ſuis naturalibus poteſt deteſtari peccatum, & ſe diſponere in illum actum, quem Deus diſpoſuit acceptare pro diſpoſitione ad gratiam habendam, & talis diſpoſitio dicitur meritum ſecundum quid, ſeu de congruo.

20. Iacobus Scotus lib. 1. d. 17. Q. 1. ad Ll. dicit. Sed accipiendo actum ſecundum rationem meritorij poteſt dici, quod principaliter illa conditio conuenit actui ab habitu, vbi Sco. vult, quod actus meritorius ſit a charitate propter acceptationem diuinam. Oppoſitum videtur his dictis, quod detur præmium ex opere, & non ex illa acceptatione, 2. Paralip. 1. c. 15. Eſt merces operi tuo. Sapientiæ c. 10. Reddet Deus mercedem laborum Sanctorum ſuorum. Pi. ad Cor. c. 3. Vnuſquiſque propriam mercedem accipiet ſecundum ſuum laborem. Mat. c. 5. Merces veſtra copioſa eſt in cælis & c. 20. Voca operarios, & red. illis mercedem, & Luce c. 10. Dignus eſt operar. merc. ſua.

Lucas. Reſp. Iſtis, & ſimilibus auctoritatibus dico, quod operi debetur merces, ſed non omni, & operi tantum digno, mediante gratia. Vnde nullum opus ſine gratia meretur præmium, non quod gratia id faciat ex ſui na-

tura, ſed ſolum ex ordinatione diuina. Dices. Si requireretur charitas infuſa, & voluntas, vt actus acceptaretur, ergo magis ipſa charitas eſſet acceptata. Idque tenet, per regulam illam. Propter vnumquodq; tale &c. Dico, Deus non acceptat actum noſtrum, eo quod charitas ſit magis acceptata, ſed quia, ſic placuit acceptare actum, ſic elicitum, & non alio modo, etiam charitas poteſt eſſe quo, ſed non quod, quomodo verò valeat po terioriſticè, alibi dictum eſt. Dices, charitas facit opus minus laborioſum. ergo videtur minuere meritum. Dico, ſi ſit laborioſum ratione obiecti, propoſitio aſſumpta eſt vera; ſed non ſic eſt, ſi ſit laborioſum ex operantis defectu, quia imputandum eſt operanti, cur non diſponit ſe ad gratiam, cuius cauſa opus erit minus laborioſum. Inſuper id non eſt ex natura rei, ſed ex ordinatione diuina.

21. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 17. Q. 1. ad Ll. in primo exemplo de diuiſione alicuius corporis mediante cultello attribuit actiuitatem inſtrumento. Oppoſitum huius dicit lib. 4. d. 1. Q. 1. & d. 6. Q. 5. vbi negat omnino actiuitatem ab inſtrumento.

Lucas. Reſp. Quomodo careat actiuitate inſtrumentum dictum eſt alias, nunc verò dicitur, quod duplex eſt ratio agendi in inſtrumento, partialis, ſcilicet vt acuties, ſiue motio ſeorſum accepta, & totalis, .ſ. vt acuties cum motione illa, & integrat vnam formalem totalem rationem agẽdi in ſecuri, & tunc dum dicit Sco. in 4. quod capit ſuam rationem agendi in illa motione, eſt verum completiuè, ſed non totaliter, vel melius, quod non loquatur ad mentem propriam.

22. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 17. Q. 1. ad Ll. in fine videtur dicere, quod habi tus moralis ſit repræſentatiuus obiecti, ſicuti, & habitus Theologicus. Oppoſitum huius ait Sco. lib. 3. d. 14. Q. 1. & bis in illa quæſt. habet, quod habitus non eſt repręſentatiuus: Etiam id dicit lib. 2. d, 11. quæſt. 9. & alibi.

Lucas. Reſp. Habitus ſimpliciter, & abſolutè in via Scoti non eſt repræſentatiuus ſed aliquo modo pro quanto virtualiter partialiter continet actum qui actus verè repræſentat obiectum, ſeu dicitur aliquo modo repræſentare, in quantum inclinat ad obiectum, ſed ſiuè ſic, ſiue ſic, certum eſt, quod non ſimpliciter, ſed tantum quodammodo repræſentat, vt dicit Scotus d. 17. pr. Vel dic, quod Scotus loquitur communiter d. 17. pr. cum non ſit locus proprius materiæ.

23. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 17. Q. 1. ad Mm. dicit. Deus de potentia abſoluta poteſt acceptare naturam beatificabilem, & actum eius exiſtentem in puris naturalibus, Oppoſitũ videtur dicere Paulus 2. ad Tim. c. 4. Curſum conſumaui, fidem ſeruaui, in reliquo repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ. Ecce quomodo ex Paulo videtur beatitudo dari ex meritis.

Lucas. Reſp. Dictum Apoſtoli intelligitur ſecundum leges præfixas, & de potentia ordinata. Dices. Aliquis actus malus meretur ęternam pœnam, ergo aliquis actus bonus meretur vitam æternam. Negatur conſequẽtia, & ratio eſt, quia actus malus meretur pœnam æternam dupliciter, ſcilicet malitia ſua, & ordinatione diuina, actus verò bonus meretur pręmium ſecundo modo tantum, ſcilicet ex ordinatione diuina, & non ex bonitate ſua. Dices etiam ex Paulo ad Heb. 11. c. Impoſſibile eſt ſine fide placere Deo, ergo & ſine charitate. Reſ p. quære.

24. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 17. Q. 1. ad Nn. dicit. Omnis diligens proximum diligit dilectionem ſuam formaliter, ſi conuertit ſe ſuper illam. Ex quo patet

quo

quomodo dilectio non poſſit diligi niſi actu reflexo. Oppoſitum habet Sco. 1. Meth. Q. 4. vbi dicit, quod ſolus intellectus eſt reflexiuus.

Lucas. Reſp. In via Scoti nedum intellectus, ſed & voluntas eſt virtus reflexiua, vt patet lib. 1. d. 45. & lib. 2. d. 6. Q. 1. & alibi. Ad id, quod ait Scotus in Meth. quod intellectus ſolus eſt reflexiuus, dico, quod ibi loquitur de intellectu diſtincto contra ſenſum, & non vt diſtinguitur contra voluntatem, & ratio propter quam vult Scotus quod intellectus ſit reflexiuus eſt, quia eſt virtus immaterialis, quæ ratio ſic probat de voluntate, ſicut de intellectu, vt patet. Senſus non eſt reflexiuus, quia eſt virtus materialis.

XVII. diſt. Quæſt. quarta, lib. primi.

1. *Iacobus.* SCOTVS lib. 1. d. 17. Q. 4. ad Rr. damnat confugientes ad agens vniuerſale dicens, fugam fore irrationabilem. Oppoſitum habet lib. 2 d. 18. vbi vtitur tali fuga in productione animæ ſenſitiuę.

Lucas. Reſp. ad agens vniuerſale tunc eſt fugiendum, quando non poteſt inueniri cauſa particularis, vt fecit Scotus lib. 2. diſcurrendo per omnes cauſas particulares, at in propoſito malum eſt, cum poſſit aſſignari cauſa particularis, & nota quod fugere ad cauſam vniuerſalem ſtat dupliciter primo, ad Deum, qui eſt cauſa vniuerſalis, & ſic quandoque licet; ſecundo, ad cauſam vniuerſalem in prædicando, vt potè ad Ideam Platonis, & talis fuga ſemper eſt mala, & ratio eſt, quia actiones ſunt ſuppoſitorum.

2. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 17. Q. 4. ad Ss. dicit, motus non eſt in ſubſtantia, quia non ſuſcipit magis, nec minus, eſt autem in accidentibus, ſuſcipientibus magis; & minus. Oppoſitum patet de qualitate, & vbi, cum ad hæc ſit motus, & tamen (vt docet Ariſt. in Prędicamentis) non ſuſcipiunt magis, & minus.

Lucas. Reſp. Sco. dictum d. 17. 1. intelligitur de accidentibus intenſibilibus, & remiſſibilibus, nam in toto illo quæſito ſemper loquitur de talibus accidentibus, quæ verè ſuſcipiunt magis, & minus.

3. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 17. Q. 4. negat omnimode corruptionem graduum prę-exiſtentium in formis intenſibilibus, & remiſſibilibus. Oppoſitum ex Ariſt. ſic apparet 8. Meth. vlt. Ex duobus non fit vnum, niſi vnum ſit in potentia, & aliud in actu, ſed ſic non ſunt illi gradus præcedentes, & ſubſequentes, ergo corrumpuntur.

Lucas. Reſp. Quod circa hanc materiam determinat Sco. tanquam conſonum dictis ſanctorum, & Ariſt. eſt aſſerendum. Aug. ſuper Ioa. ſic ait. Meminiſſe debemus, quod fides ædificatur, non ut illa, quæ non erat, prius eſſe ſuſciperet, ſed vt illa, quæ prius erat, creſceret. Tum ſuper Ioa. Credebat, inquit, hoc non fide noua, ſed fide aucta. Auicen. 1. ſuę Philoſophiæ tract. 2. ait. Albedo aucta eſt ſtabilis euidentia, ergo manet, & 8. Meth. cap. 2. dicit, quod Ariſt. docuit duobus modis aliquid fieri ex alio, vno modo vt eſt exuactio albi ex nigro, & iſto modo, illud ex quo fit, non manet; alio modo, ſicut perfectum ex imperfecto, vt ex puero fit vir, & hoc modo, id ex quo fit, manet idem ſecundum

Mm 2 ſub

ſubſtantiam. His notatis, dicitur ad Ariſt. quod eſt verum in compoſitione ætherogenea, ſed non in compoſitione homogenea. Dices. Sicut eſt in motu ad vbi, ita eſt in alijs, ſed in motu ad vbi, ſemper mobile eſt in alio, & alio vbi, ergo in alia ratione ſemper manet mobile, alia, & alia forma. Reſp. Canon. quod non eſt ſimile in motu locali, & alterationis, quia in motu locali totus terminus acquiritur, non ſic eſt in motu alterationis. Vel dic, ſicut in motu locali, motus eſt ſub alio, & alio vbi, ita in motu alterationis, eſt continuè ſub alio, & alio gradu, ſed non ſub alia, & alia natura ſpecifica, quia talis non intenditur, nec remittitur. Queres, quomodo illæ partes faciant vnum. Reſp. Franc. faciunt vnum vnitate homogenea.

XVII diſt. Quæſt. quinta, lib. primi.

1. *Iacobus.* SCOTVS lib. 1. d. 17. Q. 5. tenet, quod intenſio. ſeu alteratio non eſt propter ineſſe formæ, nec propter maiorem, aut minorem diſpoſitionem ſubiecti, ſed ex latitudine graduum forma intenditur, & remittitur. Oppoſitum videtur habere Auer. 6. principiorum, forma eſt ſimplex, & inuariabili conſiſtens eſſentia, ergo non intenditur, & remittitur, vt dicit Scotus.

Lucas. Reſp. Pro hac difficultate eneruanda notandum, quod triplex eſt modus dicendi circa augmentationem, ſeu alterationem formarum. Prior eſt Auer. & Aueroriſtarum, & Sueſſ. précipuè 8. Meth. Q. 6. quod alteratio fit per minima, ita quod agens naturale in vno inſtanti producit vnum gradum, & poſt quieſcit per tempus medium, & in alio inſtanti producit alium gradum, & iterum quieſcit per tempus, & ſic vltra procedendo. Et addunt, quod alteratio eſt diſcontinua, & ſucceſſiua. Scotus lib. 2. d. 2. Q. 9. ſic arguit contra hunc modum dicendi; quia tunc daretur primum in motu, quod abhorret Ariſt. 6. Phiſ. 52. Vbi probat, quod omne moueri pręcedit mutatum eſſe in infinitum & e conuerſo. Rurſus, omnis motus eſt continuus, intenſio eſt motus, ergo &c. Alter modus dicendi eſt S. Thom. 8. Phiſ. lect. 5. & Pauli Sóc. 8. Meth. Q. 22. dicent. Tota alteratio non eſt continua, ſed diuiditur in partiales alterationes, ad inuicem diſcontinuas, quęlibet tamen illarum eſt continua in ſe ac ſi ſumatur ignis, & ſignetur primum inſtans in quo approximetur alicui combuſtibili ſiue accipiatur, in quo non approximetur per affirmationem, ſed ſic, quod illo non, & immediatè poſt illud ſic, certum eſt, quia ignis incipiet agere per negationem in lignum aliquid caloris, vt pote calorem remiſſum non tamen agit ſubito, quia illum citius ageret fortior ignis, quam debilior, & hoc modo in tempore. Hæc igitur generatio huius caloris eſt continua, quia in vno tempore, deinde ceſſat ignis agere, & lignum pati, donec iterum ſecunda intenſione ab eodem agente in idem lignum generetur tantumdem caloris. Et iterum quiete media interpoſita faciet tertiam partem caloris. quouſque tota ſit acquiſita, in quo caſu patet particularem intenſionem, quæ eſt vnus gradus, eſſe continuam, & vnam

totam

totam intenſionem eſſe ſucceſſiuam, non tamen vnam, & continuam, quatenus quies interponitur. Hęc eſt ſententia D. Tho. & Pauli. Scotus in hunc modum ait, Vnde eſt, quod agens idem eodem modo actiuum, & per primum gradum iam inductum fortificatum, ſubiecto exiſtente eodem modo diſpoſito, imo melius diſpoſito per primum gradum, iam inductum, cum ſit agens naturale, vnde eſt quod debeat expectare; Si reſp. debet expectare, quia gradus ille eſt indiuiſibilis, & ideo indiuiſibiliter debet produci. Hæc excuſatio eſſet pro primo modo, qui poſuit illos gradus eſſe indiuiſibiles, & quod tantum in inſtanti producuntur, ſed non pro iſto modo, qui ponit ſingulum gradum producendi in quadam portione temporis. Vnde nota, quod hęc poſitio eſſet vera, vbi eſſet impedimentum ex parte agentis, vel ex parte ſubiecti, vel aliunde ab extrinſeco; ſed ex ratione formali alterationis, nunquam eſt vera. Tertius modus dicendi eſt Scoti lib. 2. d. 2. Q. 9. ſic dicentis, quod non datur primum in alteratione, & quod alteratio eſt vnus motus continuus. Vide Sco. Ad formam contr. Reſp. quære.

2. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 17. Q. 5. in 2. arg. contra opin, Tho. dicit, quod idem non poteſt bis produci. Oppoſitum habet lib. 4. d. 43. Q. 3. vbi vult, quod idem numero poſſit redire, & reproduci.

Lucas. Reſp. Sco. dictum d. 18. pr. eſt ad Philoſophos. Nam ſecundum Ariſt. & & communiter Philoſ. idem non poteſt bis produci, & redire. nam 5. phiſ. 36. eadem ſanitas numero non poteſt redire & 2. de gen. penul. & vlt. Subſtantia, quæ perijt, non poteſt redire eadem numero. Lib. autem 4. loquitur ad Theologos, cum ibi fiat ſermo de reſurrectione mortuorum.

3. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 17. Q. 5. in reſp. ad pr. princ. dicit. Vnitas ternarij poteſt fieri intenſior. Oppoſitum habet lib. 2. d. 3. Q. 7. & Ariſt. 8. Meth. vbi aiunt nnmerus non ſuſcipit magis, & minus.

Lucas. Reſp. Sco. dictum intelligitur de vnitate materiali, & non de vnitate formali. Inſuper, cum vnitas materialis poſſit dupliciter conſiderari, ſcilicet pro materiali, & pro formali, & verum dictum de vnitate materiali, vt dicendo tres albedines, in qualibet illarum eſt conſiderare albedinem, & ipſa albedo poteſt intendi, licet non eius vnitas.

4. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 17. vult, quod forma ex ſe ſuſcipiat magis, & minus. Oppoſitum videtur habere Ariſt. 3. top. vbi ait, quod illud eſt albius, quod eſt nigro impermixſtius. Ex quibus verbis videtur, quod intenſio formarum ſit à ſuo contrario.

Lucas. Reſp. In via Scoti præciſa, & vnica cauſa ſuſcipiendi magis, & minus eſt graduum latitudo, vt docet Ant. And, 8. Meth. Q. 6. & id quia impoſſibile eſt aliquam formam participari ſecundum magis, & minus, niſi ſit aliqualiter illimitata, quia oppoſitum prędicati infert oppoſitum ſubiecti, ſi non eſſet aliquo modo illimitata, quomodo participaretur ſecundum alium, & alium gradum? Et ſecundum Simpl. ſuper Prædicam. cap. de Qual. commendat opinionem Architæ ſic dicentis. Mirabiliter Architas breui ſermone cauſam eius, quod eſt magis, & minus inſinuat dicens, qualitas, quia infinitatem quandam participat, ideo ſecundum rationem eius eſt, quod ſuſcipiat magis, & minus, & non ex participantibus, ſicque dicendum, ac tenendum eſt in præſens. Ad illud Ariſt. in Top. albius eſt nigro impermixſtius, gloſant Pariſienſes Impermixtius, ideſt diſſimilius. At pro hac auctoritate exponenda

& om-

& omnibus, quę poſſent contra adduci, vide Ant. And. 10. Methaph. ſolu. pr. & habebis optimam ſolutionem. Expende, vt ait Franc. d. 18. Q. 1. quantitas intenſibilis, & remiſſibilis, tripliciter conſideratur. primo, ſecundum ſuam eſſentiam, ſeu formam ſpecificam. ſecundo, ſecundum exiſtentiam. tertio, ſecundum gradum ſeu modum intrinſecum. duobus primis modis nulla forma ſuſcipit magis, & minus, ſed tertio modo; hæcque eſt ſententia. Sco. d. 17. lib. 1. Q. vlt. & in pręd. cap. de qual. idque tenent Franc. Zerbus, Dominicus de Flandria, & Suesſanus. Eſt alius modus, ſcilicet, quod ſuſcipiat magis, & minus in forma, ſeu gradu ſpecifico; hicque tuetur à Thoma de Arg. vt recitat Alp. 17 d. 1. Q. 1. & Aliex. 6. Methaph. & Egydius in quol. Dices ſi forma, puta, albedo eſt indiuiſibilis in gradu ſpecifico, vt dicis, quomodo poteſt partibiliter, & diuiſibiliter in tempore acquiri? Ad id reſp. dupliciter, quod eſſentia formæ, ſecundum eſſe ſpecificum, acquiritur in inſtanti ſine aliquo gradu, & in tempore immediate ſequenti acquiruntur gradus, ſecundum quos fit intenſio, & remiſſio. At id non poteſt ſtare, non enim poteſt produci forma in eſſe ſpecifico, niſi vt habet eſſe in aliquo ſingulari cum actiones ſint circa ſingularia, 1. Meth. tum, ſingulare, quod producitur, non poteſt eſſe ſine ſuo modo intrinſeco, & gradus ipſe eſt modus intrinſecus, ſeu indiuiduum, ergo non poterit ſine eo produci, & natura cum non poſſit produci, niſi in ſingulari eſt neceſſe, quod ſemper producatur ſub aliquo gradu. ſecundo, dicitur ad mentem Sco. in primo inſtanti producitur forma ſpecifica cum vno gradu, & id totum fit ſecundum ſimplicem mutationem, & poſt in tempore immediatè ſequenti producuntur alij gradus, ſecundum quos fit verus motus; in hunc modum arguit Sueſſ. cum iſte gradus, & ſequentes ſint ejuſdem ſpeciei, vnde eſt, quod vnus producatur per mutationem, & alij per motum? Id non poteſt prouenire à parte agentis naturalis, nec à parte ſubiecti, quia ſubiectum eſt verius diſpoſitum, primo gradu diſpoſito, quam ante. Dico, hoc prouenit à forma, quæ eſt indiuiſibilis ſecundum naturam ſpecificam, ideo non poteſt niſi in inſtanti produci, & cum illa forma non poſſit eſſe ſine vno gradu ad minus, eſt neceſſe, quod ille primus gradus producatur ad productionem illius formæ. Dices. Gradus ille eſt indiuiſibilis in infinitum, quomodo ergo poteſt indiuiſibiliter acquiri? Reſp. id non eſt inconueniens, ſicut etiam de continuo extenſo, quod eſt in infinitum diuiſibile, & tamen poteſt diuiſibiliter acquiri. Verum, dubium occurrit. Si charitas poſſit diminui? Greg. lib. 1. d. 17. Q. 1. ait. Charitas poteſt multipliciter conſiderari. primo, ſecundum ſe, ſecundo, in ordine ad ſubiectum; tertio in ordine ad efficientem, quarto, in ordine ad cauſam meritoriam, & ſic reſoluitur dubium per quatuor propoſitiones. Prima, Charitas ſecundum ſe, cum ſit graduata, eſt diminuibilis, Secunda, Charitas conſiderata in ſubiecto eſt diminuibilis. Tertia, Charitas per nullum agens creatum poteſt diminui, quia ſua productio, & annihilatio non ſubſunt cauſalitati agentis naturalis, ſed eius remiſſio eſt quædam annihilatio. Quarta. Charitas non poteſt minui per peccatum demeritoriè, quia non poteſt minui per peccatum mortale, quia illud totaliter demeritoriè corrumpit, cum ſit ſibi incompoſſibile, nec etiam diminuitur per peccatum veniale, quia pro minori malo, non tollit Deus maius bonum,

ſed

ſed charitas eſt maius bonum, quam peccatum veniale ſit malum. Tum, quia, cum venialia ſint innumerabilia, poſſent deſtruere totam charitatem. Vnde nota, de poſſibili per potentiam diuinam poteſt charitas minui, nunquam tamen de facto minuitur, ſed bene augetur. Et adhuc nota, licet peccatum veniale non diminuat charitatem, remittit tamen feruorem eius, quia actus oppoſiti impediunt conatum potentię, vt non ita perfectè exeat in ſuam bonam operationem.

XIX. DISTINCTIO, QVAESTIO PRIMA, LIBRI PRIMI.

1. Iacobus. SCOTVS lib. 1. d. 19. Q. 1. ad E. concedit in Deo multiplicari qualitates, remittendo ſe ad 31. d. lib. 1. Oppoſitum videtur poſſe deduci ab Auic. in 6. Nat. p. 2. c. 3. vbi dicit, In pluribus amicis eſt vna amicitia, ergo ſimiliter in tribus perſonis æqualibus eſt vna æqualitas.

Lucas. Reſp. in via Scoti, vt patet d. 31. lib. 1. ſolu. 1. 2. & 3. princip. tenet æqualitatem numerari, ſicque deducitur. Primo, quia relationes numerantur, ad relationem, ſed non fundamentorum, non obſtante identitate rationis formalis fundandi illas relationes. Secundo Auic. 3. Meth. cap. de relatione dicit. In duobus patribus ſunt duę paternitates. Tertio, Scotus lib. 3. d. 8. tenet quod in patre habente plures filios, tot ſint paternitates, quot filij. Et Q. 5. Quol. vult, quod vnum attributum non eſt formaliter reliquum, & infinitas vnius non eſt formaliter infinitas alterius, & formaliter ſunt tot infinitates, quot attributa, & tot magnitudines, quot perfectiones ſimpliciter, & conſequenter tot ęqualitates, & ſcias, perfectiones in Deo eſſe numero infinitas, vt dicit Sco. lib. 4. d. 13. Q. 1. His notatis, dicitur ad Auic. quod intellexit, quod eſt vna amicitia ſpecie, ſed non numero. Dices, ſimilitudo hominis albi ad hominem album eſt eadem ſimilitudo in ſpecie, quia cauſa huius ſimilitudinis, ſcilicet albedinis eſt eadem ſpecie in vno quoque, ergo ſimiliter trium perſonarum eſt eadem æqualitas in numero, cum ſit vna æqualitas in vtroque. Dico, licet non multiplicetur quantitas, tamen multiplicantur fundamenta æqualitatum, & hoc ſufficit. Quæres, quomodo inter perſonas diuinas eſt æqualitas, cum in patre, & filio ſint duæ relationes originis? Reſp. Franc. d. 20. Q. 1. lib. 1. in fine, quod non eſt inconueniens, quia nulla illarum relationum dicit aliquam perfectionem. Hæc reſponſio habetur etiam à Scoto. Q. 5. Quol. Caueant ergo qui dicunt relationes originis dicere perfectionem. Aureolus ait, quamlibet relationem dicere perfectionem infinitam, & quod ex hoc non impeditur æqualitas perfectionis perſonarum; tum, quia earum æqualitas perfectionis non attenditur, niſi ſecundum perfectionem ſimpliciter: relationes autem illæ non ſunt perfectiones ſimpliciter. Tum, quia dato, quod relationes illæ ſint alterius rationis, vna tamen non eſt perfectior alia. At in hunc modum ſic arguitur. Dato quod ſint æquales in perfectionibus ſimpliciter, tamen abſolutė, & ſimpliciter non ſunt æquales, quod eſt contra ſymb. Athan. vbi dicitur. Nihil maius, aut minus eſt. Occam lib. 1. d. 19. Q. 1. ait, quod relationes dicunt aliquam perfectionem, & quod perfectio, quæ eſt in vna eſt in alia per æquiualentiam. Contra hunc modum ſic. In patre, & filio ſunt duę relationes, & in Spi-

ritu

ritu Sancto tantum vna. Reſp. quod paternitas, & ſpiratio actiua non ſunt plures relationes, & ſi non ſint idem formaliter. Hæc ſententia non poteſt ſtare. Tum vna ratio conſtituit, altera non. Tum, non poteſt eſſe identificatio in diuinis, niſi ad minus alterum illorum ſit infinitum, ſed neutrum iſtorum eſt formaliter infinitum, ergo &c. Dubitabis. An perſonę ſint æquales in omnipotentiâ. Athan. in ſymb. reſp. quod ſic. Omnip. Pat. omnip. Fil. omnip. Spir. S. Dices. Pater generat filium, & filius non poteſt generare, ergo videtur, quod non ſint æquales. Reſp. quære, & nota, quod perſonæ ſunt ęquales relatione mutua, ſed non effectiuè.

XIX. diſt. Quæſt. ſecunda, lib. primi.

1. *Iacobus.* SCOTVS lib. 1. d. 19. Q. 2. dicit, quod vna perſona eſt in alia per circumminceſſionē. Oppoſitū ſic deducitur. Si quęlibet perſona eſt in alia, videtur eſſe opinio Anaxagore, conſequenterque eſt ibi confuſio.

Lucas. Reſp. Pro hac difficultate ſedanda, ſcias, quod circumminceſſio eſt alicuius ſubſiſtentis in ſubſiſtente realiter diſtinctio mutuæ præſentialitatis inexiſtentia in eadem natura numero, vbi ad circumminceſſionem quatuor requiruntur. Primum, quod illa, quæ ſic ſunt circumminceſſiuè, ſint in eadem natura numero. Vnde ſi duo corpora eſſent in eodem loco, non eſſent circumminceſſiuè, quia non habent eamdem naturam numero. Secundum, Requiritur, quod illa ſint ſubſiſtentia, ideſt incommunicabiliter exiſtentia, ideo, licet attributa ſint intimè præſentia Eſſentiæ diuinæ, non ſunt circumminceſſiuè, quia ſunt communicabilia. Tertium, Requiritur, quod ſint realiter diſtincta; idcircò eſſentialia, quia ſunt idem realiter, non ſunt ſic circumminceſſiuè; hinc ſi pater, & filius non diſtinguerentur realiter, vnus non eſſet in alio hoc modo eſſendi in. Quartum, Requiritur, quod inexiſtant mutua exiſtentia intimæ præſentialitatis, ideo licet pater, & filius ſint intimè præſentes vbique, quia tamen omnia alia non exiſtunt æquè patri, & filio, nec ſunt in eadem natura, pater, & filius non ſunt circumminceſſiuè in alijs rebus. Et nota, quod inexiſtentia capitur ſubſtantialiter. His dictis, ad difficultatem reſponſionem quære.

2. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 19. Quæſt. 2. ad B. dicit Subſiſtere autem, ideſt incommunicabiliter per ſe eſſe conuenit perſonæ primo. Oppoſitum ſic patet. Relatio eſt, qua perſona ſubſiſtit, ergo ipſa perſona ſubſiſtit.

Lucas. Reſp. Relatio, vt patet d. 5. lib. 1. non ſubſiſtit propriè. Hinc Scotus dicit, quod conuenit ſubſiſtere perſonæ, & relatio eſt ratio ſubſiſtendi. Expende. Circumminceſſio eſt relatio communis, poſterior ſimilitudine, æqualitate, & identitate, quia illæ fundantur in extremis, vt ſunt vnum, ſed circumminceſſio fundatur in extremis, vt ſunt diſtincta; modo illa, quæ ſunt vnita, præcedunt illa, quæ ſunt diſtincta, & eſt circumminceſſio relatio realis, ſicut aliæ relationes communes, & non relatio rationis.

XX. DISTINCTIO

QVAESTIO VNICA.

LIBRI PRIMI.

1. *Iacobus*. SCOTVS lib. 1. d. 20. Q. 1. ad A. dicit. Potentia logica eſt illa, quæ dicit modum compoſitionis factæ ab intellectu, id etiam habet d. 2. p. p. 2. Q. 4. & d. 7. & alibi. Oppoſitum ſic patet. Chimera eſt ens, dicit modum compoſitionis factæ ab intellectu, tamen ibi non eſt poſſibilitas aliqua.

Lucas. Reſp. Diffinitio potentiæ logicę data à Scoto recta eſt; ſed vt magis intelligatur, hæc ſunt notanda. Primum, nullũ ens, ſiue creatũ, ſiue increatũ (incomplexè ſũptũ) eſt poſſibile poſſibilitate logica; idque ſic patet. Nam tale poſſibile eſt modus compoſitionis factæ ab intellectu, ſed incomplexa non ſunt talis compoſitio Secundum. Nullum ens prohibitum, ſiue fictitium eſt poſſibile poſſibilitate logica, & per id patet ad contradictionem. Tertium, tantum propoſitiones poſsibiles ſunt poſsibilitate logica. Quartum, ſi nullus intellectus eſſet, nihil eſſet poſsibile tali poſsibilitate. Quintum, Talis potentia non eſt ſincathegorema, patet, quia eſt modus compoſitionis. Sextum, poſsibilitas logica eſt propoſitio poſsibilis. Septimum omnis propoſitio neceſſaria eſt poſsibilis tali poſsibilitate. Octauum, omnis propoſitio contingens, & omnis falſa poſsibilis eſt tali poſsibilitate poſsibilis, & ſola propoſitio impoſsibilis caret tali poſsibilitate. Et ſcias, quod ex p. 3. & 4. dictis patet differentia inter potentiam logicam & obiectiuã, de qua differentia alibi diximus. Et nota amplius id quod habet Scotus lib. 2. d. 1. Q. 2. quod in primo ſigno eſt potentia logica, in ſecundo res cognita, & in tertio potentia obiectiua. Et ſi dicas. Sco. d. 7. pr. dicit, quod potentia logica eſt in Deo, ſed non potentia obiectiua. Dico, quod potentia obiectiua non eſt in Deo intrinſecè, ſed benè extrinſecè, ſeu non eſt in Deo obiectiuè, ideſt quod Deus ſit obiectũ talis potentiæ, ſed benè poteſtatiuè.

2. *Iacobus*. Scotus lib. 1. d. 20. Q. v. ad F. & alibi lib. 1. dicit, quod idem abſolutum eſt in patre, & filio, ſuper quod fundatur potentia æqualis ſecundum extenſionem. Oppoſitum ſic patet. Filius non habet potentiam ſuper generationem, quomodo eſt igitur eadem memoria fœcunda?

Lucas. Reſp. Ad hanc difficultatem, ita reſp. à multis. Primo ab Henr. quia habet terminum adæquatum. Secundo, filius non generat, non quia non potuit, ſed quia non oportuit, & adducunt auct. Aug. contra Maximum. At hoc nequit ſtare, quia à poſſe ad eſſe valet conſequentia in diuinis, vt habetur 3. phiſ. 32. Tertio, dicitur à Thoma, quod eſt propter defectum materiæ. At hunc modum impugnat Scotus Q. 2. Quol.. Quarto ab Henr. ſignatur hæc ratio, quod virtus eſt exhauſta. At impugnatur 2. Q. Quol. Quinto, à Franc. lib. 1. d. 7. dicitur, quod filius non poteſt generare, quia generatio illa eſt æterna, & quod filius

ſemper

ſemper ſtat. Hic modus eſt Bonauenturę, & impugnatur. 2. Q. Quol. Sexto, quia tunc filius eſſet ſub relatione oppoſita, & tunc eſſet pater, & filius, Septimum, dicitur à Scoto d. 7. lib. 1. Report., quod memoria fæcunda, filius, generare, ſunt de ſe hæc, itaquod, quærenti, quare filius non plurificatur, reſpondetur, quia eſt de ſe hic, & de quoqunq; alio ſimiliter. Et 2. Q. Quol. ait Scotus, quod hoc repugnat rationi formali ipſius filij, & quęrenti, quare ſibi repugnat; quia eſt tale ens, & 20. d. 1. ait Scotus. Dico, & ſi idem abſolutum, quod eſt potentia ſit in patre, & filio, non tamen ſub ratione potentiæ; quantum ad actum notionalem eſt in vtroque, quia non eſt ſub ratione prioris ad illum actum, & potentia, ſiue principium dicit ordinem prioritatis ad terminum.

XXI. DISTINCTIO, QVAESTIO VNICA, LIBRI PRIMI.

1, *Iacobus.* SCOTVS lib. 1. d. 21. Q. v. tenet, quod hæc propoſitio, ſolus pater eſt Deus, vllo pacto ſit vera. Oppoſitum ſic videtur: hæc eſt vera, ſolus pater generat, pater eſt Deus, ergo ſolus pater eſt Deus.

Lucas. Reſp. pro iſta difficultate ſcias, primo, particula excluſiua, ſolus, & aliæ ſimiles, vt habet Scotus d. 21. p. Q. v. poſſunt cathegorematicè, & ſinchategorematicè capi, & in Prædicam. Subſtantiæ, & lib. 3. d. 9. ſiuè capiatur primo, ſiue ſecundo modo, propoſitio non eſt vera propter illam excluſiuam, quę aliter excludit poſita à parte ſubiecti, & aliter à parte prædicati; quia addita ſubiecto præcise excludit reſpectu prædicati omne illud, de quo verè non dicitur ſubiectum, nec per ſe, nec per accidens, Et ſcias ex Scoto lib. 3. d. 6. Q. 2. quod logica communiter non eſt tradita de excluſiua poſita, à parte prædicati, & ex parte prædicati excludit reſpectu ſubiecti quicquid non formaliter, vel eſſentialiter dicitur de prædicato, & maximè eiuſdem generis. Et quando ponitur à parte ſubiecti, non eſt pars ſubiecti, ſed eius determinatio, at poſita à parte prædicati, eſt eius pars, & nullo modo determinat ſubiectum. Et poteſt dictio excluſiua capi ſubſtantiuè, adiectiuè, & aduerbialiter. Tertio modo eſt tantum pu-

rum ſinchategorema, primo modo, pure cathegorema, ſecundo modo, partim ſic, & partim ſic. Expende ſecundo, ex Franc. lib. 1, d. 21. Q. v. has concluſiones. Prima, dictio excluſiua addita perſonę à parte ſubiecti reſpectu prędicati communis non determinat ſubiectū, ſed facit propoſitionem falſam, ſicut iſtam. Solus Pater eſt Deus. Secunda concl. dictio excluſiua addita perſonæ à parte ſubiecti, reſpectu ſui prędicati notionalis proprij, determinat ſubiectum, & facit propoſitionem veram: ſicut hæc, ſolus pater generat, & ſolus filius generatur, quia talia conueniunt tantum vni perſonæ. Tertia, dictio excluſiua addita prædicato eſſentiali, & communi determinat prædicatum reſpectu perſonæ, & dimittit propoſitionem veram; & ſic hæc, Pater eſt ſolus Deus, eſt vera. Quarta; dictio excluſiua addita ex parte prædicati prædicato perſonali non videtur admitti in diuinis, ſicut hæc. Pater eſt ſolus generans, de virtute ſermonis videtur importare, quod ille qui generat ſit ſimpliciter ſolus, ſed quia ſcriptura videtur tribuere ſolitudinem in diuinis, iuxta illud pſal. 85. Tu es ſolus Deus: ideo eſt intelligendum, quod dictio excluſiua nō tantum repugnat termino eſſentiali, ſicut perſonali, eo quod perſonalia ſunt multa, eſſentialia verò non multiplicantur; ideo rationabilius eſt dicere, Deum ſolum, quam patrem ſolum. Hæc Franc. Bargius addit duas alias concluſiones. Prior eſt, dictio excluſiua addita termino communi reſpectu etiam prædicati quod ſit terminus communis, eſt vera, vt ſolus Deus eſt omnipotens. Altera, quando, ſolus, determinat extremum abſolutum, non in ordine ad aliud extremum, facit propoſitionem non excluſiuam, ſed de ſubiecto excluſo tantum; & poteſt addi indifferenter, tam eſſentialibus, quam notionalibus, & in iſto ſenſu conceduntur iſtæ. Tantum pater eſt Deus, tantum pater creat, pater eſt ſolus Deus, & ſic de alijs. At vtrum iſta ſit vera? ſolus pater eſt pater. Dic de ſinchategorematico, & cathegorimatico, de ſecundo eſt vera, & de primo falſa. D. Thomas d. 21. ſcrip. notat in iſta propoſitione, ſolus pater eſt Deus, eſt diſtinguendum, ſolus, aut poteſt negare perſonam, vt ſit ſenſus, nulla alia perſona a patre eſt Deus, & ſic eſt falſa, aut tenetur neutraliter, & tunc ſignificat, quod nihil aliud á patre eſt Deus; & ſic eſt vera; nam licet filius ſit alius à patre, non tamen aliud.

2. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 21. Q. v. ad E. tenet, quod dictio excluſiua addita relatiuo excludit correlatiuum. Oppoſitum huius patet ex illo dicto communi Philoſophi. Vnum correlatiuum eſt de conceptu quidditatiuo alterius

Lucas. Reſp. In via Doct. ſubt. tenendum eſt dictionem excluſiuam excludere correlatiuum, ſi addatur relatiuo, idque ſic patet. Dictio excluſiua excludit omne illud, quod non cadit ſub diſtributione ſigni vniuerſalis additi relatiuo, ſed relatiuum non cadit ſub diſtributione ſigni vniuerſalis additi ſuo correlatiuo, ergo &c, Tum quia ſequeretur tunc, quod hæc eſt falſa. Solus pater eſt pater, & ſolus filius eſt filius, & ſimilia; & tamē omnes tales ſūt veræ. Tum ex Ariſt. 1. Phiſ. 8. arguente in antiquos. Si tantum principium eſt, principiatum non eſt, ergo correlatiuum non eſt de intellectu correlatiui. Hanc opinionem tenet Vorilion. Alphon. Baſol. Rubion. Occam etiam d. 21. pr. ſ. quod dictio excluſiua addita relatiuo excludit correlatiuum ſuum, & ex hac opinione vera, ſequitur quod omnes propoſitiones excluſiuę, quæ ſunt de prædicatis, quæ non poſſunt ineſſe vni relatiuo, niſi inſint alteri, ſunt falſæ, & illę,

quæ

quæ ſunt de prædicatis, quæ poſſunt ineſſe vni ſine altero, poſſunt eſſe veræ. Vnde hæc eſt vera, ſolus pater generat, & hæc eſt ſimpliciter falsa, ſolus pater eſt, quia ſequitur, Pater eſt, ergo filius eſt; filius eſt, ergo non ſolus pater eſt. His viſis, dico ad formam contradictionis, dum aſſumitur. Vnum correlatiuum eſt de conceptu quidditatiuo alterius, id eſt falſum. Nam relatiuum non eſt de intellectu correlatiui, ſicut ſi aliquid eius, vt puta pars eſſentialis, vel integralis; ſed ſicut aliquid, ad quod terminatur intellectus eius, vt docet Scotus d. 21. pr. & Q. 15. vniuerſalium ſolu. 5. princip. & clarius, eſtque locus proprius 25. Q. Prædica. Dices, dictio excluſiua non excludit id, quod de neceſſitate ſequitur illud cui additur, ſed vnum relatiuum neceſſariò ſequitur reliquum, ergo &c. Dico, nego aſſumptum, & vt dictum eſt, ſi prædicatum ſit commune ambobus, tunc talis propoſitio eſt falſa, ſi verò non ſit commune, poterit eſſe vera. Dices adhuc, dictio excluſiua non excludit accidens ſui ſubiecti, quod contingenter ſequitur, ergo non excludit relatiuum, quod neceſſario ſequitur; Dico, ideo dictio excluſiua non excludit accidens, quia inhæret ſubiecto; non autem ſic ſuum correlatiuum. Dices tandem, Sæpe ambo correlatiua incidunt in idem, vt mouens, & motum, ergo dictio exluſiuo addita vni non excludit aliud. Dico. In iſto caſu, ſi non excludat, eſt ens per accidens, ratione talis coincidentiæ, Vel dic, quod ſi non excludat id pro ſubſtrato, excludit tamen ipſum pro formali. Baſolus dicit, quod hoc habet intelligi, quando relatiua ſunt diſtincta ſubiecto, ſeu ſuppoſito. Sicque patet ad preſens dubium. Vigerius notat, quod in propoſitionibus de ſecundo adiacente, dictio excluſiua addita non excludit: Bargius verò ait, quod excludit, & tales propoſitiones eſſe falſas, quia prædicatio competit ambobus, vt iam ſuperius dictum eſt.

XXII. DISTINCTIO, QVAESTIO VNICA. LIBRI PRIMI.

1. *Iacobus.* SCOTVS lib. 1. d. 22. Q. v. Diſtinctius poteſt aliquid ſignificari, quam intelligi. Oppoſitum patet ex Scoto 2. Meth. Q. 5. arg. contra Thom. aiebat enim Thomas. Infinitum non cognoſcitur. Contra, inquit Sco. ei nomen imponimus, ergo cognoſcimus. Diceret Thom. poſſumus alicui, nomen imponere dato, quod non cognoſcatur. Contra, dicit Scotus, quia voces ſignificant mediantibus conceptibus, ergo nihil poteſt ſignificari, niſi cognoſcatur.

Lucas. Reſp. Et primo dico, quod Scotus 2. Meth. loco citato, arguitiuè ſe habet; ſecundo, Sco. vult, quod cognoſcatur, ſed non ita perfectè, ſicut ſignificatur, & ita eſt neceſſaria cognitio, ſed non diſtincta. Expende. Circa hoc eſt poſitio Tho. & Sco. Thomas vuult, quod aliquid non poteſt diſtinctius ſignificari, quam concipi. Et ex 3. p. ſum. Q. 13. art. 1. Hæc colliguntur. Primum. Deus poteſt nominari diuerſis nominibus. Secundum, nec Angeli, nec Beati, nec aliqua creatura poſſunt Deum nominare propriè ſub ratione ſuę infinitatis, quia ſic, cum non cognoſcunt, & nihil poteſt nominari, niſi eo modo, quo cognoſcitur. Tertium, Beati poſſunt nominare Deum eo modo, quo ipſum intelligunt. Quartum, nomen, quod Beati imponunt Deo, non poteſt eſſe notum viatoribus. Quintum, viatores ſecundum modum ſuæ cognitionis poſſunt Deum nominare, eique nomen imponere. Hæc omnia habent pro fundamento, quod res non poteſt nominari, niſi eo modo, quo cognoſcitur, & quod nomen ſignificat conceptum, & conceptus ſignificat rem, quod quidem in via Scoti non poteſt ſtare. Nam nomen ſignificat rem, mediante conceptu, vt patet ex Scoto d. 27. Q. 1. lib. 1. ſolu. 2. & proprius locus eſt 2. de Interpr. Q. 2. vbi Sco. multis ſenſatis fundamentis probat voces ſignificare res, & non rerum conceptus.

2. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 22. Q. v. Viator, ait, poteſt nominare Deum aliquo nomine ſignificante Eſſentiam diuinam, vt hæc. Oppoſitum patet ex Aug. 5. de Trin. dicente. Non ſolum mea vox ſilet, ſed, & Angelorum, ergo Deus eſt innominabilis.

Lucas. Reſp. Hic eſſent multa dicenda de nomine Dei, quæ tanquam nota mitto; At ſi quis velit de nominibus Dei plurima videre legat Hieron. t. 2. Epiſtola ad Marcellum, vbi ponit decem nomina Dei. Legat Petrum Galatinum contra Iudeos, & videat Albertum de Padua ſerm. 3. ſuper Epiſt. Chriſtus aſſiſtens &c. Et dico ad dictum Aug. vt dicit Sco. in Repor. lib. 1. d. 22. Deus non ſufficienter exprimitur, ideo ex hoc dicitur, quod vox ſilet &c. Dices. Aug. lib. 6. de Trin. ait. Verius cognoſcitur Deus, quam dicatur, ſed non poteſt cognoſci, ergo nec nominari. Reſp. Scotus in Repor. quod verius cognoſcitur, quam dicatur, comparando

parando veritatem ad ſignum vocale, quia cognitio eſt ſignum naturale, quod eſt verius, quam vocale, quod non eſſet ad placitum. Dices adhuc Auguſtinus 3. de Trin. ait non poteſt per humanum ſermonem explicari. Reſp. quod non poteſt explicari per ſermonem vſitatum. Dices amplius. Paulus 2. ad Cor. c. 12. dicit, quod audiuit, quę nō licet homini loqui, quanto ergo magis eſt ineffabilis ille, qui talia dixit, ſcilicet Deus. Reſp. Sco Deus dicitur ineffabilis, quia non poteſt perfectè intelligi. Vel dicitur ineffabilis reſpectu creaturæ omnis, ab aliqua tamen creatura poteſt aprehendi. Expende. Thomas Angl. reſp. quod non ſignum fecit rem, & non conceptum, dixitque multa, quæ nolo recitare, Et addit ex Aug. quod quis concipit animo, lingua ſequente declarat. Dicitur ad id, & ad omnia, quod cognoſcimus, ex quibus imponimus ad ſignificandum, ſed non ita perfectè, ſicut ſigna illa ſignificant, quæ imponimus ad ſignificandum illas res, per talia ſigna ſignificata.

XXIII. DISTINCTIO, QVAESTIO VNICA. LIBRI PRIMI.

1. Iacobus. SCOTVS lib. 1. d. 23. Q. v. ad A. diffiniens ſecundam intentionem ſic ait. Omnis intentio ſecunda eſt relatio rationis, non quæcunque, ſed pertinens ad extremum vel actum intellectus componentis, & diuidentis, vel ſaltem conferentis vnum ad alterum. Oppoſitum huius videtur habere Sco. lib. 4. d. 2. Q. 2. vbi dicit, quod ens rationis non eſt niſi comparatio paſſiua, hic verò, quod ſecunda intentio cauſatur per actum comparatiuū intellectus.

Lucas. Reſp. Antequam ſatisfaciam contradictioni, pauca ſunt exponenda de prima, & ſecūda intētione, quid ſit prima, intētio Occā, & Gabr. d. 23. p. ſic ait. Prima intētio eſt ens realiter exiſtens. Rubion. Prima intentio eſt vniuerſaliter omnis res, ſiue in anima, ſiue extra animam exiſtens non eſt alia ab alia, ab actibus cognitiuis. Vnde ſecundum iſtum, ſpecies intelligibiles, habitus, & alia, quæ ſunt in anima, ſunt primæ intentiones, ſed non ſunt actus cognoſcitiui. Franc. d. 23. lib. 1. Q. 1. dicit, quid non ſit, ſecundo quid ſit. Prima intentio non eſt actus intelligendi, non eſt ſpecies intelligibilis, non eſt quidditas obiecti in eſſe

cognito

cognito, non eſt quidditas in eſſe intelligibili. Deinde dicit. Prima intentio eſt quidditas in eſſe quidditatiuo, intelligo autem per quidditatem in eſſe quidditatiuo, quidditatem præciſam ab omni alio, quod non eſt de primo modo dicendi per ſe. Hæc Franc. Hi deuiant à via Sco. Idcircò Scotiſtæ, vt recitat Mauritius in Q. 3. vniuerſalium, diffiniunt primam intentionem. Prima intentio eſt primum obiectum cognitum, vel cognoſcibile in actu recto, vel actu reflexo &c. At cōmuniter ſic diffiniunt. Prima intentio eſt primus conceptus rei, & hæc diffinitio eſt Thom, vt ibi refert Mauritius. Bargius ſic diffinit. Prima intentio eſt omne id, quod non eſt ſecunda intentio. Sed melius ſic eam diffiniunt Scotiſtæ. Prima intentio eſt res primo cognita, vt cognita. Maior, notat differentiam inter hæc. Prima intentio, res primæ intentionis, & nomen primæ intentionis. Nam prima intentio eſt potentia, vel actus, vel habitus, quibus tendo in obiectum. Res primæ intentionis eſt obiectum cognitum. Nomen primę intentionis eſt ſignum ad placitum ſignificans rem primæ intentionis. Hæc quo ad primam intentionem. Quo ad ſecundam. Occam, & Gabr. ſic eam diffiniunt. Secunda intentio eſt aliquid in anima prædicabile de nominibus rerũ. Franc. ſic. Secunda intentio eſt aptitudo rerum, quę conuenit ipſis quidditatibus. Rubion ſic. Secunda intentio eſt ſolus actus cognitiuus; At omnia, quæ iſti dicunt ſecundas intentiones, ſunt primæ, vt patet; accipiendo ergo diffinitionem Scoti 23. d. 1. quia, nullibi itá clarè eam diffinit Scotus ſicut ibi, & ſi plura vis videre, conſule Maur. in vniuerſalibus. Ad formam ergo contradictionis ſic dicitur. Scotus in 4. noluit habere quod ſecũda intentio ſit ens rationis, appellauit eã ens rationis, quia per eam immediatè cauſatur ens rationis, & non ſic immediatè cauſatur per actum rectũ. Vel dic, quod Scotus loquitur ibi communiter diffiniendo ens rationis ad mentem Thomæ, & aliorum, &c.

3. *Iacobus*. Scotus lib. 1. d. 23. ad B. dicit. Res autem non videtur dicere ſecundam intentionem, & tamen eſt communis tribus perſonis, & numeratur in eis &c. Oppoſitum dicere videtur Scotus 2. Q. Quol. vbi ait. Res eſt quid æquiuocum, & eſt communis non ſolum realibus, & intentionalibus, ſed etiam poſitiuis, & fictitijs.

Lucas. Reſp. Res (quemadmodum capit Scotus rem in quolibetis) eſt quid æquiuocum, ſed non eſt ſimplicter æquiuocum. Ob id Scotus vtitur hoc verbo, videtur d. 23. p. Res autem non videtur dicere ſecundam intentionem &c. vel recurre ad d. communem de re, vt venit à Reor reris, quod eſt opinor opinaris, vel vt res dicitur à ratitudine, vt docet Scotus lib. 1. d. 3. Q. 5.

4. *Iacobus*. Scotus lib. 1. d. 23. in corpore quęſiti acceptat diffinitionem perſonæ datam à Riccardo 4. de Trin. cap. 22. Perſona eſt incommunicalis exiſtētia intellectualis naturæ. Oppoſitum. Patet ſic. Nam materia prima non communicatur nec vt quo, nec vt quod, & tamen non eſt perſona; ergo perſona non eſt incommunicabilis exiſtentia.

Lucas. Reſp. Scotus, per incommunicabilem quo, non intellexit ipſam formã taliter, ſed etiam intellexit incommunicabilem per modum partis, quod non conuenit materiæ. Nota, quod ratio perſonæ in diuinis eſt relatiua; ſed in creaturis non eſt abſoluta, nec relatiua; cum abſolutum & relatiuum dicant ens poſitiuum, & dicant ens poſitiuum; ſed pro ſubſtrato, tam in diuinis, quam in creaturis eſt ens abſolutum, ſaltem

tem in creaturis, & in diuinis erit ens aggregatum ex abſoluto, & relatiuo. Sed an perſona dicatur vniuocè de perſonis diuinis. Reſp. Franc. lib. 1. d. 23. Q. 3. Quod ſic, & benè inquit. Deinde dubitat. An perſona dicatur vniuocè de creata, & in creata. Reſp. affirmatiuè. Sed id non poteſt ſtare, quoniam ratio perſonæ in diuinis eſt poſitiua, quam concomitatur triplex negatio, ſcilicet actualis, aptitudinalis, & potentialis; ſed in creaturis eſt tantum duplex negatio, cui nullum poſitiuum correſpondet. At poſitiuo puro, & negatiuo nihil eſt vniuocum. Dices. Intellectus certus de vno, & dubius de duobus &c. ſed in paſſione Chriſti, quis potuit eſſe certus, quod aliqua perſona patiebatur, dubitando, an eſſet perſona creata, vel increata, vt aliquis infidelis, ergo &c. Dico quod illius certus non fuiſſet ſuper conceptum perſonæ formalē; ſed tantum pro ſubſtrato. ſicque concedo, quod vniuocantur, ſed non pro formali. Dubitabis adhuc, Si perſona de ſe includit incommunicabilitatem, quomodo poteſt eſſe communis tribus? Reſp. Franc. quod ratio formalis perſonæ eſt incommunicabilis, vt ſupponit pro ſubſtracto, non autem vt ſupponit pro formali, quia tunc non repugnat ſibi communicabilitas. Dices ergo communicabile erit incommunicabile. Reſp. quod perſona in communi, quæ communicatur perſonis eſt perſona vt quid, & eſt natura, vt modus, & non eſt perſona, vt modus.

4. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 23. Q. v. ad F. dicit. Ab vltimis diſtinctiuis, & conſtitutiuis perſonarum nihil poteſt commune abſtrahi. dictum de eis in quid, quia illa ſunt primo diuerſa, ideſt nihil id ē realiter includentia. Idque etiam dicit d. 13. lib. 1. Oppoſitum habet eamet d. 23. pr. ad A. arguendo contra Egidium, vbi ait. Ab vltimis conſtitutiuis poteſt abſtrahi aliquod reale commune primę intentionis. Hoc idem habet lib. 1. d. 2. p. 2. Q. 1. & d. 26. pr.

Lucas. Reſp. Vigerius ſic conciliat, quod Scotus concedit conceptum communē vniuocum, ſed non vniuocè, & in quid dictum, iſtaque diſtinctione vult contradictionem eſſe ſolutam. At iſta reſponſio non euacuat, quoniam Scotus locis citatis, concedit conceptum abſtractum ab vltimis conſtitutiuis vniuocum vniuocè dictum in quid. Reſp. quamuis de hac controuerſia alibi dixerimus, nunc dico ſic. Conceptus abſtractus ab vltimis conſtitutiuis in via Scoti vniuocè, & in quid prędicatur. Ad dictum autem Scoti quod non poteſt conceptus communis in quid: verum eſt, quod non abſtrahitur conceptus communis realis, ſed non negat conceptum negatiuum; hæcque reſponſio elicitur ex Scoto d. 26. p. & ex verbis d. 13. p. Nihil idem realiter includentia &c. Dices, Scotus d. 23. pr. Negat conceptum quidditatiuum. Dico, negat quidditatiuum realem, communem correſpondentem illi negationi communem incommunicabilitati, ita quod merito illius ineſſet talis negatio.

5. *Iacobus.* Scotus lib. 1, d. 23. Q. v. ad G. tenet, quod negatio poteſt eſſe communis pluribus, & negatio eiuſdem rationis, tamen non ineſſet illis pluribus per aliquam affirmationem communem illis, ſiue per aliquod poſitiuum commune illis. Oppoſitum habet lib. 1. d. 3. Q. 1. contra Tho. & alibi, vbi ait. Negatio non poteſt ineſſe alicui, niſi per aliquam affirmationem.

Lucas. Reſp. Lichetus ſic ait. Facilis eſt reſponſio. quia ibi ideſt d. 3. lib. 1. dicit quod negatio non prædicatur de aliquo, niſi præſupponat aliquam af-

firmationem in illo, ſicut, non lapis, non conuenit homini, niſi propter aliquam affirmationem, ſiue propter aliquam realitatem poſitiuam exiſtentem in homine, cui repugnat affirmatio lapidis, & ſic dicit in propoſito, quod illa negatio communis non poteſt competere inferiori, niſi per aliquod poſitiuum, vel affirmationem in illo, & non eſt neceſſe, quod competat ſoli per aliquod poſitiuum commune in inferioribus, &c. Hæc Lich.

7. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 23. Q. v. in calce diſt. ait. Poteſt dici, quod ab indiuiduis non tantum poteſt abſtrahi ſpecies indiuiduorum, quæ dicit quidditatem, ſed etiam aliquid quaſi proprium. Oppoſitum habet 7. Meth. Q. 17. & lib. 1. d. 3. Q. 3. & lib. 2. d. 3. Q. 6. & lib. 4. d. 11. Q. 6.

Lucas. Reſp. Dicunt aliqui, quod Scotus d. 23. lib. 1. voluit, quod talis conceptus eſſet communis, & tamen quod eſſet tantum negatiuus, & non affirmatiuus, ſicut eſt conceptus ſpeciei. Vigerius ſic dicit, quod talis conceptus eſt poſitiuus, non tamen dicitur vniuocè de ipſis indiuiduis, nec in quid, ſed tantum denominatiuè, vt puta, aliquis conceptus traſcendens dictus denominatiuè de ipſis conſtitutiuis. Lich. ſic ait, quod talis conceptus dicitur quaſi proprius, quia non dicit quidditatem. At Franc. 23. d. 1. Q. 3. ad hoc ſic reſpondet. Sed circa iſta ſunt adhuc aliquæ difficultates. Prima. Vtrum à principijs conſtitutiuis poſſit abſtrahi aliquod commune. Dico quod ſic. Iſta conſtitutiua ſunt tres relationes, ergo ratio relationis numeratur in eis, & per conſequens eſt eis vniuocè communis, & confirmatur, quia ratio diffinitiua relationis conuenit paternitati; in quantum relatio eſt, quæ etiam conuenit filiationi, in quantum eſt relatio, ſcilicet, eſſe ad aliud, ergo relatio eſt eis communis. Si dicatur, quod vltima conſtitutiua ſunt primo diuerſa; primo autem diuerſa in nullo conueniunt. Poteſt dici, quod in creaturis, licet vltimæ differentiæ ſint primo diuerſæ, tamen eis, quaſi denominatiuè conuenit ſecundum vnam rationem, ratio primæ diuerſitatis, quod non eſt aliud, niſi non habere quidditatiuè aliquod cōmune, ſed tantum aliquod conſequens quidditatem. Ita poteſt dici in propoſito, quod ratio relationis, licet dicatur ſecundum vnam rationem de conſtitutiuis perſonarum, non tamen dicitur in quid eo modo, quo genus dicitur in quid de ſpecie, quia tunc eſſent compoſitę, vel ſaltem reſolubiles, dicitur tamen de eis eo modo, quo genus de differentijs, ſicut dictum eſt ſuperius, quod ens dicitur de prædicatis, quæ conueniunt Deo, & creaturę. Hæc reſponſio ad dubium Sco. ægregia eſt, & tantum cenſuranda eſt in eo, quod ait; relatio prædicatur quidditatiuè, & in quid de diuinis perſonis. Dices. Vnde eſt, quod ab vltimis conſtitutiuis diuinarum perſonarum abſtrahitur vnus conceptus in quid dictus de eis vniuocè, & non conſtitutiuis indiuiduorum, ſeu ſingulariū creatorum? Ratio eſt, quia hæc faciunt vnum per ſe, & non illa, & ideo ſunt primo diuerſa, & non illa, idque patebit d. 26. p. & lib. 2. d. 12. Q. 1.

XXIV. DISTINCTIO, QVAESTIO VNICA. LIBRI PRIMI.

1. *Iacobus.* SCOTVS lib. 1. d. 24. Q. v. ait, quod in Deo non eſt numerus ſimpliciter, conceditur tamen ibi numerus ſecundum quid, ſcilicet, cum hac determinatione perſonarum. Oppoſitum patet ſic. Nam Boet. 3. de Trin. dicit. Illud eſt verè vnum, in quo non eſt numerus. Perſonæ autem diuinæ ſunt veriſſimè vnum, ergo, &c.

Lucas. Reſp. Pro iſta difficultate hęc ſunt notanda. Primum, ſi numerus capiatur, ut dicit vnitatem formalem, aliam ab vnitatibus materialibus, vt tenet d. 22. lib. 3. tunc numerus vllo pacto eſt in Deo. Secundum, ſi numerus ſit tantum vnus vnitate aggregationis, nec hoc modo numerus eſt in Deo. Tertium, Si numerus tantum habeat eſſe in intellectu, nec numerus ſic eſt in Deo. Quartum, Numerus a parte rei non eſt in Deo ſimpliciter. Quintum. Numerus eſt in Deo cum determinatione tollente imperfectiones, quæ ſolent numero accidere, &c. Franc. d. 24. p. Q. 1. circa finem docet, quomodo, non tantum numerus prędicamentalis, ſed etiam traſcendens eſt accidens rebus numeratis. Alphon. dicit, quod numerus capitur bifariam, ſtrictè, ſcilicet & ſic, eſt multitudo quantorum, large, & ſic eſt multitudo entitatum, quæcunque ſint illæ, & dicit, quod in Deo eſt tantum numerus ſecundo, & non primo modo. Rubion dicit, quod in Deo eſt verus numerus, qui nihil eſt, niſi res numeratæ: ille tamen numerus in Deo eſt vnicum ens, at in creaturis, tenendo quod ſit ipſæ res numeratæ, non eſt talis numerus vnicum ens, ſicut in Deo. De numero tres dantur deſcriptiones. Prima eſt Boetij. Numerus eſt multitudo ex vnitatibus aggregata. Secunda, Ariſt. 10. Meth. Numerus eſt multitudo numeratorum per vnum. Tertia, eſt Damaſc. lib. 3. cap. 8. Numerus, eſt eorum, quæ differunt differentia. His notatis, dico ad auct. Boetij inductam in contrad.. Illud eſt verè vnum, in quo non eſt numerus de genere quantitatis, ſed numerus, qui tantum importat diſtinctionem ſine aggregatione partium, & diuerſitate formæ, benè conceditur in diuinis; Dices. Vbicunque eſt numerus, ibi eſt totum, & pars. Verum eſt de numero prædicamentali, non autem de traſcendentali. Dices adhuc. Vbicunque eſt numerus, ibi eſt compoſitio. Nego, quia pluralitas non facit ſemper compoſitionem, niſi vnum ſit in potentia reſpectu alterius. Dices amplius. Si in Deo eſt numerus, vel eſt ſecundum ſubſtantiam, vel ſecundum relationem. Nec hoc, nec illud, quia in ſe ſunt diſtinctæ proprijs nominibus, nec propter hoc conuenit vni perſonæ: nec etiam habet correlatiuum, cum nullam vnam relationem determinatam importet. Dices tandem. Vbi eſt numerus; oportet, quod ſit finitus, vel infinitus, non poteſt ibi poni, vt finitus, quia

finitas dicit imperfectionem : nec vt infinitus, quia numerata erunt infinita, cuius oppoſitum tenetur. Dico. Numerus in Deo, quia accipitur cum determinatione, eſt finitus entitatiuè, non tamen dicit imperfectionem, cum determinata per ipſum ſint infinita eſſentialiter, & intenſiuè, vt perſonæ. Quæres. Numerus eſtne ens reale, vel rationis? Eſt ens reale extra animam. patet, quicquid eſt obiectum ſenſus eſt ens reale. Secundo, quod eſt per ſe in aliquo prædicamento reali eſt ens reale. Tertio, numerus eſt obiectum Arithmeticæ. Quarto, Per ſe notum eſt ens reale, ſed duo, & tria faciunt quinque eſt per ſe notum.

XXV. DISTINCTIO, QVAESTIO VNICA, LIBRI PRIMI.

1. *Iacobus.* SCOTVS lib. 1. d. 25. ad C. videtur dicere, quod perſona dicat aliquod poſitiuum abſtractum a tribus, & quaſi proprium. Oppoſitum, habet lib. 1. d. 27. ad finem, quod abſtrahitur à perſonis conceptus negatiuus.

Lucas. Reſp. Scotus probabiliter videtur loqui d. 25. quod, ſcilicet poſſit abſtrahi à tribus perſonis conceptus negatiuus, & poſitiuus. Et ſcias, quod de perſona creata non eſt difficultas. Nam in via Scoti perſona creata tantum importat duas negationes, & hęc eſt via communis, licet nominales velint, quod importet aliquod poſitiuum, vt patet lib. 3. d. 1. p. & 19. Quol. Eſt igitur tantum difficultas de perſona diuina. Tamen Scotus in Report. tenet quod à perſonis diuinis abſtrahatur conceptus poſitiuus, quem modum tenet Franc. d. 23. p. Q. vltima. Licet Baſolus dicat, quod colligitur tantum conceptus negatiuus, & addit, quod nullus conceptus poſitiuus poteſt eſſe vniuocus in Deo, quia, omne, quod eſt in Deo, eſt de ſe hoc. Dicas conceptus iſte non eſt vniuocus in realitate, licet in conceptu bene ſit. Dices; quærendo. Vtrum ille conceptus communis poſitiuus ſumatur ab aliqua realitate communi adæquata, & numerata in tribus perſonis, atque ad ipſas contracta per differentias indiuiduales? Dico, conceptus ille realis poſitiuus, non eſt potentialis, quia nihil potentiale eſt in Deo, ſed eſt conceptus acceptus à realitate inadæquata, ideſt imperfectè concepta, ſicut eſt realitas illa, à qua ſumitur conceptus communis entis vniuocus Deo, & creaturę. Vel ſi ſumatur à realitate adęquata tribus perſonis numerata

in eis

in eis, vt videtur dicere Sco. diſt. iſta, quod hic conceptus eſt diſtinctus in perſonis. Poteſt dici, quod talis realitas non eſt diſtincta in eis per differentias indiuiduales, ſicut realitas potentialis in creaturis, ſed eſt diſtincta aliquibus, quæ nullam actualitatem tribuunt illi realitati, nec aliquam perfectionem proprietatibus perſonalibus, & à tali actualitate ſumitur ille conceptus; hęc omnia videntur de mente Scoti d. 23. p. in ſol. p. dub. vbi ſic dicit. Omne commune abſtractum à perſonis, & à conſtitutiuis earum, vel eſt conceptus omnino negatiuus, vel ſaltem non eſt quidditatiuus conceptus vnius rationis, ſupple, ſumptus ab aliqua realitate potentiali perceptibili, & adęquata tali conceptui, qualis eſt conceptus animalis in creaturis; ſed bene ab eis ſumitur conceptus quidditatiuus vnius rationis, ſumptus à realitate inadæquata, vel à realitate adęquata diſtincta in eis, & tamen non eſt potentialis. Dices. Conſtitutiua ſunt primo diuerſa, ergo nihil includunt. Dico, ſunt primo diuerſa in realitate, ſed non in conceptu. Vel dic. Perſonæ ſolum in quid includunt talem conceptum, non autem conſtitutiua earum, ſed tantum includunt denominatiuè, quod à paternitate, & filiatione non poſſit abſtrahi conceptus communis, vide Lichetum, argumenta Occam id probantia, ſoluentem.

XXVI. DISTINCTIO, QVAESTIO VNICA. LIBRI PRIMI.

1. *Iacobus.* SCOTVS lib. 1. d. 26. Q. v. ad L. Exponens illud Damaſceni, Pater, Filius; & Spiritus Sanctus ſecundum omnia vnum ſunt, præter ingenerationem, generationem, & proceſſionem, tenet, quod dictio excluſiua, præter, non excludit alias proprietates patris. Oppoſitum huius patet ex Scoto d. 21. lib. 1. vbi vult, quod hæc, ſolus pater eſt Deus, eſt falſa, quia li, ſolus, excludit Filium, & Spiritum Sanctum.

Lucas. Reſp. Scotus d. 21. lib. 1. ait eſt verum logicè loquendo, vt ibi patet in litera, logicè enim diſputat de particula illa excluſiua. At 26. d. 1. eſt verum realiter.

2. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 26. ad M. dicit. Realitas proprię exiſtentię in creatura non facit compoſitionem cum natura. Oppoſitum habet lib. 1. d. 5. Q. 2. vbi vult, quod natura dicat potentialitatem reſpectu ſingularitatis, ergo compoſitionem.

Reſp.

Lucas. Reſp. Lichetus aliorum ſolutionem ponit iſtius dubij, ſic. Si dicatur, quod verum eſt de realitate ſingularitatis, ſed non de realitate ſubſiſtentiæ, ſeu ſuppoſiti. Contra, quæro, an ratio ſuppoſiti dicat aliquid poſitiuum, ſi ſic, idem videtur. Si non vt, videtur tenere Sco. d. 28. lib. 1. & lib. 3. d. 1. & Q. 19. Quol. tunc, licet non faciat compoſitionem in creaturis, in Deo faciet, cum dicat entitatem poſitiuam, vt tenet Sco. lib. 1. d. 23. & lib. 3. d. 1. Q. 1. Deinde, ſic reſpondet. Dico breuiter, quod entitas poſitiua, & ſi ſit contractiua naturæ, & actus naturæ, quia tamen identificatur cum natura, vt ait Franc. lib. 2. d. 3. non facit cum natura compoſitionem, & poſito, quod impropriè faciat quaſi compoſitionem propter diuiſibilitatem naturæ in plura indiuidua, in diuinis tamen non ſequitur, quia natura diuina ex ſua entitate formali eſt in vltima actualitate. Dico ſecundo, in creaturis poſito, quod actus indiuidualis faciat aliquam compoſitionem cum natura, actus tamen ſuppoſitalis etiam poſitiuus, ſi poneretur, nullam pænitus faceret compoſitionem cum natura ſingulari, cuius eſt talis actus, vt patet ex d. 26. primi. Vel dic, quod realitas propriæ ſubſiſtentiæ non facit compoſitionem, ideſt non facit maius ſecundum perfectionem, quia proprietas perſonalis non videtur addere aliquam perfectionem, cum ſit actus hipoſtaticus; ſed relatio, quæ eſt in creaturis, quæ dicit actum entitatiuum, facit compoſitionem; aut dic, quod Scotus non loquitur ſecundum mentem propriam, quoniam ille non tenet perſonationem fieri per aliquod poſitiuum. Eſt ergo aliorum opinio, quæ duo falſa dicit, quod proprietas perſonalis erat poſitiua, & quod cum natura non faciebat compoſitionem. Vel dic, quod Scotus loquitur exemplariter. Tandem, & melius. ideo non facit compoſitionem, quia dato quod proprietas perſonalis ſit poſitiua, non tamen dat eſſe, ſed tantum eſt ratio recipiendi eſſe. Idcircò non facit compoſitionem.

3. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 26. ad N. dicit. In diuinis, natura dat totaliter eſſe perſonæ diuinæ. Oppoſitum huius habet Aug. ſic dicens. Alio pater eſt Deus, & alio pater eſt pater, quia Deus deitate, & pater paternitate, ergo videtur, quod natura non dat totaliter eſſe perſonæ.

Lucas. Reſp. Scotus loquitur de eſſe dicente perfectionem, vel de eſſe communicabili, aut tandem, quia aliud eſt loqui de eſſe ſimpliciter, & aliud eſt loqui de eſſe tale, proprietas non dat aliquod eſſe, ſed facit eſſe tale ideſt incommunicabile.

4. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 26. ad O. dicit. Aequalitas eſt perfectior inęqualitate formaliter, & non ſolum ratione fundamenti. Oppoſitum habet lib. 1. d. 19. Q. 1. reſp. ad ſecundum principale vbi vult æqualitatem dici tãtum perfectionem præexigitiuè.

Lucas. Reſp. Scotus lib. 1. d. 19. loquitur de æqualitate inter perſonas diuinas, quæ non dicit perfectionem d. verò 26. p. loquitur de æqualitate in creaturis, quæ ſecundum ſuam rationem formalem dicit perfectionẽ. Dices, perfectio vniuerſi eſt in inęqualitate, ergo non videtur, quod ſimpliciter ęqualitas ſit proponenda inęqualitati. Reſp. Scotus 19. d. 1. quod ſemper æqualitas eſt perfectior inæqualitate in his, quæ ſunt eiuſdem ſpeciei, ſed non in alijs; quoniam inter ſpecies eiuſdem generis eſt ordo eſſentialis, & magis eſt eſſentialis, inter genera, ordo verò eſſentialis neceſſario vult inæqualitatem; & ſic habes, quando ęqualitas ſit pręponenda inæqualitati, & quando non,

Scotus

5. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 26. ad O. Habet pro inconuenienti, relationem fundari ſuper relatione, nolens æqualitatem fundari ſuper paritatem. Oppoſitum habet 3. & 6. Quol. & alibi, vbi vult proprietatem fundari ſuper proportionem.

Lucas. Reſp. Non negat Scotus abſolutè 26. d. 1. relationem fundari ſuper relationem, ſed tantum negat de æqualitate, & inæqualitate. Vult enim ęqualitatem non poſſe fundari in inæqualitate &c.

6. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 26. ad A. dicit. Ipſa etiam ex hoc quod eſt relatio, eſt oppoſiti neceſſario, vt termini. Oppoſitum huius habet lib. 4. d. 12. Q. 1 concl. 2. vbi vult, reſpectum ad ſui eſſe fundamentum requirere.

Lucas. Reſp. Si æquè eſſentialis ſit habitudo relationis ad terminum, vel ad fundamentum. Reſp. Quære. Dices. Vnde eſt, quod relatio conſtituit perſonam? Franc. 26. d. 1. Q. 4. dicit. Primo. Generatio actiua in patre, & paternitas ſunt idem realiter, ſimiliter filiatio, & generatio paſſiua in filio; & hæc talia ſunt diſtincta ex natura rei. Secundo dicit. Generatio actiua præintelligitur paternitati, & ſimiliter generatio paſſiua filiationi. Tertio dicit. Proprietas generatiua patris, magis videtur conſtitutiua ſub ratione generationis actiuæ, quam ſub ratione paternitatis, & ſic proportionabiliter dicatur de alijs, & addit. Relatio, in quantum comparatur ad oppoſitum, non conſtituit, ſed tantum, inquantum comparatur ad fundamentum, & quod relatio non conſtituit ſecundum ſuam quidditatem, ſed ſecundum ſuam paſſionem, & hęc ſequuntur ex dictis eius. Marſil. oppoſitum tenet Q. 30. p. art. 3. Quod relatio magis diſtinguit, vt proprietas, quam vt origo, & ita magis conſtituitur pater per paternitatem quam per generationem actiuam. Scotus d. 26. p. ait quod relatio conſtituit in quantum formaliter diſtincta ab eſſentia, & non curat, an conſtituat, in quantum origo, vel inquantum relatio, & 4. Quol. non vult, quod generatio actiua, & paternitas non diſtinguantur niſi per intellectum.

7. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 26. ad Q. dicit, quod eſſentia non refertur realiter. Oppoſitum huius ſic videtur. Si eſſentia non refertur ad filium, ergo refertur per intellectum, quod eſt falſum in via Scoti.

Lucas. Reſp. Eſſentia diſtinguitur ex natura rei a patre, & ita refertur ad eum, ſed illa relatio non eſt realis, at ob id non ſequitur, quod ſit per intellectum; nam eſt realis, ideſt a parte rei, ſed non realis, quod habeat conditiones diſtinctionis realis. Nam datur medium inter relationem purè realem, & purè rationis.

8. *Iacobus.* Scotus lib. 1, d. 26. ad R. dicit. Paternitas non prius ineſt Eſſentiæ, quam pater. Oppoſitum ſic videtur. Tum, quia paternitas immediate pullulat ab Eſſentia, vt ait Scotus 28. p. Tum, quia paternitas non præſupponit ſuppoſitum patris, vt patet à Scoto 4. Quol. Tum, quia quando ſunt duo conſtituentia intrinſecè prius eſt habitudo adinuicem, quam ad conſtitutum.

Lucas. Reſp. Lichetus ſic reſp. ad has inſtantias, Aliquid prius ineſſe alteri contingit dupliciter. Primo, vt actus informans, ſiue perficiens, alio modo, vt ratio ſubſiſtendi in natura, in qua ſubſiſtit. Primo, Paternitas non ineſt prius Eſſentiæ, quia non eſt actus perficiens Eſſentiam. Secundo Ineſt prius Eſſentiæ, quam patri, quia proprietas perſonalis prius præintelligitur in natura, cuius eſt, quam intelligatur ſuppoſitum conſtitutum ex natura, & tali proprietate; Si dicatur, Si paternitas prius

ineſt

ineſt Eſſentiæ, iſto modo, ergo paternitas denominat Eſſentiam. Reſp. quære ex 2. Q. d. 5. lib. 1. Vel dic. Relatio prius ineſt Eſſentiæ, quam patri, vt tale ens, ſed non ſub ratione denominatiui, quia primum, quod ab ea denominatur, eſt ſuppoſitum ipſum, licet altero modo, prius altero inſit. Et nota, quod relatio aduenìens Eſſentiæ non poteſt ipſam denominare, licet identicè de ea poſſit prædicari; poteſt tamen denominare Eſſentiam in concreto, vt dicendo, Deus generat.

9. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 26. ad R. dicit Animatum prędicatur de homine per ſe primo, & de corpore per ſe non primo. Idque clarius habet 3. Quol. art. 3. Oppoſitum patet ibidem ex 26. d. 1. a Sco. Nam animatum non dicitur de homine niſi prius dicatur de corpore, ergo videtur quod primo dicatur de corpore.

Lucas. Reſp. Quando dicitur, Animatum prædicatur de homine per ſe primo, li primo Dicit totalitatem, ſeu adæquationem, & ſic expoſitum, competit homini, & non corpori, quia homo eſt terminus totalis. Vide Scotus 3. Quol. art. 3. id expreſſe docet. Vide eum. Expende, quod forma prædicatur per ſe de ſuppoſito, vt dicitur. ſed Sco. exponit per ſe, ſecundo modo, vel per accidens.

10. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 26. ad B. dicit. Quod eſt quale qualitate non eſt poſterius qualitate. Oppoſitum ſic patet. Nam concretum eſt tale, & eſt poſterius ſuo abſtracto.

Lucas. Reſp. Scoti dictum intelligitur de quali fundamentaliter, non autem de quali pro formali, quia ſi ſic. poſterius qualitate.

11. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 26. ad T. dicit. Vniuerſaliter effectus dependens a principio actiuo, & paſſiuo neceſſario requirit relationem realem. Oppoſitum huius patet de ſecundis intentionibus, vbi eſt actiuum, & paſſiuum, & tamen non eſt relatio realis.

Lucas, Reſp. Sco. loquitur, ſi ille effectus ſit realis. Vel dic, ſecundæ intentionis ad ſuas cauſas eſt effectus realis proportionabiliter, eo modo, quo res eſt. Et nota, quod relationes reales ex natura rei, quæ non ſunt purè reales, nec purè rationis, poſſunt eſſe in eodem, vt patet de animali ad hominem, & è contra, & tales quandoque à Sco. appellantur reales, & quandoque rationis.

12. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 26. ad D. videtur dicere, quod ordo originis non ſtat in vno ſigno naturæ. Oppoſitum huius habet 4. Quol. in princ. & d. 28. 1. Q. 3. vbi ait, quod ordo originis ſtat in vno ſigno naturæ, ſicut ordo naturæ in vno ſigno temporis.

Lucas. Reſp. Arguitiuè ſe habet Scotus d. 26. pr. negando ordinem originis ſtare in vno ſigno naturę. Nam eſt in argumentis ſecundæ viæ contra viam communem de conſtitutione diuinarum perſonarum, quod id ſit verum patet, quia reſpondendo ad illa argumenta dicit id, quod habet Q. 4. Quol. Franc. 13. 1. Q. 2. arguit contra hanc ſententiam Sco. & vult, quod ſicut in vno inſtanti temporis poteſt eſſe totus ordo naturæ, ita & e conuuerſo, in vno inſtanti naturæ poteſt eſſe totus ordo temporis, & etiam in vno inſtanti originis poteſt eſſe totus ordo originis, & temporis; & id probat quadrupliciter. At hæc poſitio, Franc. aduerſatur Scoto, niſi velit dicere, quod Scotus 4. Quol. non dicit, quod totus ordo naturæ non poſſit eſſe in vno ſigno originis, ſed quod ordo originis nō neceſſario præexigit ordinem naturæ, & hoc eſt verum.

Scotus

13. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 26. ad D. Motus non poteſt eſſe in ad aliquid, niſi per accidens. Oppoſitū 8. Phiſ. aiunt Pariſienſes; quod ad relationem eſt per ſe motus, ſed non primo.

Lucas. Reſp. Scoti dictum, ita intelligitur, vt gloſat ipſe Q. 11. Quol. vbi per accidens, ideſt ad alterius acquiſitionem.

14. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 26. ad Q. videtur habere, quod relatio ſit terminus formalis, ſeu forma. Oppoſitum habet lib. 1. d. 5. Q. 2. vbi negat relationem eſſe terminum formalem.

Lucas. Reſp. Scotus 26. p. loquitur arguitiuè. Vel dic, quod vocat vltimum conſtitutiuum perſonæ, quod poteſt ſic dici forma: ſed alia ratione fuit dicta Eſſentia terminus formalis d. 5. Q. 2. ſicut etiam in creaturis, terminus formalis generationis eſt natura, & tamen differentia indiuidualis eius eſt forma, in quantum vltimatè conſtituit. Dices, ſi relatio eſt in Eſſentia, quare non denominat Eſſentiam? Dico, aliquid non poteſt denominare aliquod, niſi quando illud ſuſceptiuum ſit limitatū, niſi prædicatio illa denominatiua importet ſubiectum eſſe proprium, & diſtinctum ab oppoſito. Dices. Hæc non videtur ſolutio; nam voluntas eſt illimitata, vt eliciat, & recipiat volitionem, & tamen ab vno quoque illorum denominatur. Negatur ſimilitudo, & ratio eſt, quia voluntas diſtinguitur realiter ab eo, quod recipit, non autem Eſſentia ab eo, quod recipit, & cuius eſt proprium ſuſceptiuum.

15. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 26. ad V. dicit, quod omnis motus recipit ſpeciem à termino formali motus. Oppoſitum habet lib. 1. d. 2. p. 2. Q. 3. & lib. 3. d. 14. Q. 1. vbi tenet, quod idem terminus poteſt acquiri, per diuerſos motus, vt idem vbi poteſt acquiri per motum circularem, & per motum rectum, & tamen ſunt motus incomparabiles, vt ait Ariſt. 7. phiſ. 21. ergo videtur, quod à termino non fiat ſpecificatio motus.

Lucas. Reſp. Dico motus iſtos fore omnes locales, & tantum ſpecie accidentali differre, & Sco. d. 26. p. loquitur de differentia eſſentiali ſpecifica. Quæres, an relatio poſſit terminare motum? Dico, ſi ſit relatio extrinſecus aduenïens, poteſt terminare motum, vt patet de vbi, & de vnione naturæ aſſumptæ à verbo; ſi verò ſit intrinſecus aduenïens, oriens ex natura extremorum, tunc non poteſt per ſe primo terminare motum; ſi autem ſit relatio non veniens ex natura extremorum, ſed conſtituens extrema, tunc ſi non relatio, ſaltem relatiuum per eam conſtitutum, poterit per eam per ſe primo terminare generationem. Idque valde ponderabis.

16. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 26. ad E. tenet, quod continere formaliter eſt perfectius quam continere virtualiter. Oppoſitum habet lib. 1. d. 1. Q. 1. & d. 8. Q. vlt. vbi ait, quod prima cauſa eſt perfectior ex hoc, quod continet virtualiter cauſalitatem cauſarum ſecundarum, quam ſi contineret eas formaliter.

Lucas. Reſp. Scotus Q. 15. Quol. & lib. 2. d. 25. ſic reſpondet, quod ſi aliquid ſit capax alicuius formalitatis formaliter, tunc perfectius eſt, quod habeat eam formaliter, quam virtualiter tantum. exemplum ſit de intellectu, & de intellectione. Si autem non ſit capax recipiendi illud formaliter, tunc perfectius eſt, vt habeat illud virturaliter. Exemplum eſt de Deo, & cauſalitate cauſarum ſecundarum.

17. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 26. ad Y. dicit, quod poteſt haberi aliquis conceptus communis, qui dicitur in quid de generatione, & ſpiratione diuina; imò

Pp forte

fortè, qui dicatur in quid de paternitate diuina, & creata. Oppoſitum habet lib. 1. d. 23. vbi non vult, quod poſſit colligi talis conceptus communis, vltimis conſtitutiuis.

Lucas. Reſp. Quære reſponſum. Vigerius ait, dum Scotus inquit, quod fortè etiā datur conceptus, qui prædicatur in quid de paternitate creata, & increata, dicit quod potuit fortè, quia illud dictū non eſt de mente eius. Sed id non poteſt ſtare. Suppoſita enim vniuocatione entis in Deo, & creatura; ità conformiter debet dici de paternitate communi ad creatam, & increatam, & prædicatur formaliter, & in quid, & non tantum eſt prædicatum vniuocum, & ſcias, quod Sco. non loquitur de vltimis differentijs conſtituentibus vnum per ſe, ſed de conſtitutiuis diuinarum perſonarum, quæ non conſtituunt vnum Per ſe, ſed vnum per accidens, logicè loquendo. Ideo non eſt par ratio de differentijs vltimis, & conſtitutiuis vltimis, ſicque de vltimis differentijs non prædicatur in quid: de conſtitutiuis verò ſic. Lichetus inducendo ſic Sco. ad contrad. ſic ait. Nam d. 23. p. inquit Sco. Ab vltimis conſtitutiuis non poteſt abſtrahi conceptus dictus in quid. D. 26. verò dicit, quod ſic. Dico. Nego, quod Sco. d. 23. p. neget talem conceptum à perſonis diuinis, & ſimiliter ab earum conſtitutiuis, imò dicit, quod perſonis, & ſuis conſtitutiuis eſt conceptus communis poſitiuus; ſi enim negat, à conſtitutiuis indiuiduorum negat, & non ab iſtis. Dices. d. 23. p. ait Scotus quod perſona dicitur de tribus, & dicit conceptum poſitiuum, non ſpecificum, ſed magis proprium. Dico, quod, dum inquit Sco. quod ille conceptus non eſt conceptus ſpeciei; ſed proprij, loquitur de conſtitutiuis indiuiduorum, & non de conſtitutiuis perſonarum. Dubitat Lichetus dicens. Videtur, quod conceptus entis dictus de Deo, non propriè dicatur in quid; ſed hoc patet eſſe falſum in via Sco. At nunquid conceptus collectus ab vltimis conſtitutiuis ſit tantum realis, ideſt conceptus vniuocus, & non formalis, ideſt in quid. Litera Scoti eſt clara, quod eſt conceptus formalis, & in quid. Et ſi alicubi reperiatur in dictis Scoti, quod non ſit conceptus formalis, verificantur illa dicta de conceptu indiuiduorum, & vltimarum differētiarum: qui verò tenere vellet, quod non ſit conceptus formalis, dicat ſic, quod ab aliquibus poteſt abſtrahi conceptus communis, realis, formalis, & potentialis, ideſt formaliter incluſus, vt conceptus animalis ab homine, & aſino, aliquando abſtrahitur conceptus vniuocus communis, & formalis, qui tamen non eſt realis, nec potentialis contrahibilis, vt eſt conceptus entis, qui abſtrahitur à Deo, & creatura, qui præciſè eſt per intellectum, vt vult Scotus d. 8. p. q. 3. Aliquando abſtrahitur conceptus tantum realis, & non formalis, ita quod includatur in ipſis in primo modo dicendi per ſe, & iſte eſt entis, , & generum, reſpectu vltimarum differentiarum in creaturis. Alio modo poteſt eſſe conceptus non formalis, ſed tantum realis, tamen ille conceptus non eſt à parte rei, ſed tantum per intellectum, & non dicitur, quod ſit à parte rei, ſed dicitur realis, ita quod non formalis, & hic eſt conceptus entis, reſpectu vltimorum conſtitutiuorum perſonarum diuinarum, & ſic intelligatur Scotus d. 26. p. cum ait illum conceptum eſſe realem. ideſt non formalem. Si ſic teneas, opus eſt reſpondere Sco. d. 26. p. qui dixit, quod eſt prædicatum in quid, quod per li, in quid, intellexit prædicatum vniuocum, ſed non vniuocè dictum.

Vel

Vel quod accepit prędicari in quid impropriè, vt diſtinguitur contra prædicari in quale accidentale, & non propriè, vt eſt prædicatum quidditatiuum. Et ad dictum Sco. lib. 1. d. 2. p. 2. Q. 1. dicitur, quod dum Sco. dixit. Ens prædicatur de iſtis per ſe primo, li per ſe primo, non debet exponi in primo modo dicendi per ſe, ſed habet intelligi, quod per ſuam formalitatem de iſtis prædicetur, & non ſolum in quantum ſunt idem realiter cum eſſentia, ſicut ſi diceremus. Rationale eſt res per ſe primo, ideſt per ſuam rationẽ formalem, & non in quantum identificatur idem realiter cum homine. Tamen hæ expoſitiones videntur voluntariæ; hinc magis tenerem alium modum, quod ſint voluntariæ, & extorqueant textum, patet ſic. Paternitas (1. d. 1. lib, dicit Scotus) in quantum paternitas eſt ens, accipiendo ens vtroque modo, ſcilicet reduplicatiuè, & ſpecificatiuè, ſed quando ens ſtat reduplicatiuè, tunc reduplicat rationem formalem, quando ratio formalis adeſt; ſed quando non adeſt, reduplicat illam rationem, quam ibi neceſſario reperit conuenire ſubiecto, vt puta, conceptum realem, vt hic. Rationale, in quantum rationale, eſt ens. Vlterius, & melius dici poteſt, quod aliud eſt, quod li, in quantum, ponatur à parte ſubiecti. & quando ponitur à parte prædicati; quoniam primo modo reduplicat rationem formalem ſubiecti, & non prędicati; & ſi a parte prædicati reduplicat rationem formalem prædicati. Dicit ergo Scotus quod Paternitas, in quantum paternitas, eſt ens, & non dicit, quod ſit ens, in quantum ens. Vnde ſic, hæc eſt vera. Rationale, in quantum rationale, eſt ens, & non iſta. Rationale eſt ens, in quantum ens.

18. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 26. ad H. dicit. Secunda ſubſtãtia nõ includit aliquid, quod non ſit formaliter ſubſtantia. Oppoſitum ſic patet. Homo includit rationale; quod non eſt formaliter ſubſtantia, ergo &c.

Lucas. Reſp. Scotus d. 26. arguitiue ſe habet. Vel dic, quod intelligit, quod ſit formaliter, ideſt quod non ſit alterius generis, vt ibi patet ex proceſſu literæ Scoti.

19. *Iacobus.* Scotus 26. 1. d. ad H. dicit. Subſtantia non eſt ex non ſubſtantia. Oppoſitum habet in prædicamentis Q. 15. vbi dicit, quod ex non ſubſtantia fit ſubſtantia.

Lucas. Reſp. Scotus in prædicamentis intellexit, vt ipſe declarat, per non ſubſtantiam id quod non habet generaliſſimum ſubſtantiæ, quod de illo poſſit quidditatiuè prædicari, 26. vero primi intellexit per non ſubſtantiam, rem alterius generis.

20. *Iacobus.* Scotus d. 26. p. ad H. tenet, quod ſubſtantia per ea, quæ ſunt ſui generis, poteſt habere vltimum actum ſeu eſſe, idque non conuenit accidentibus, propter ſuam imperfectionem. Oppoſitum ſic patet. Quęro, quid intelligit hic Sco. per iſtud vltimum eſſe; ſi differentiam indiuidualem, accidentia hoc habent per aliquid ſui generis, ſicut ſubſtantia ex Scoto lib. 2. d. 3. Q. 2. ſi intelligat rationem ſuppoſitalem, illa non ſibi ineſt per aliquid ſui generis, cum ſit duplex negatio præciſè, ex Scoto vbique.

Lucas. Reſp. Sco. loquitur de differentia indiuiduali, & ſecundum illam poſitionem tenentem, quod indiuiduatio accidentium fiat ex habitudine ad ſubſtantiam; arguit enim ad hominem. Vel dic, quod loquitur de ratione ſuppoſitali, & ſubſtantiæ ex ſuo genere habent, quod eis inſint illæ duæ negationes, quod tamen non habent accidentia.

21. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 26. ad Bb. dicit. Ab abſoluto, & reſpectiuo poteſt abſtrahi aliquod commune quidditatiuè. Oppoſitum videtur habere eamet d. dicens, quod ab incommunicabili tali, & tali poteſt abſtrahi aliquod commune, ſed non quidditatiuè.

Lucas. Reſp. Scotus bene dicit, quod ab abſoluto, & reſpectiuo &c. Non autem ab incommunicabili tali, & tali abſtrahitur conceptus quidditatiuus, quia à tribus perſonis diuinis, cum non ſint entia per ſe, logicè loquendo, non poteſt abſtrahi conceptus quidditatiuus, quia nihil quidditatiuè poteſt de eis prædicari. Et ſi à diuinis perſonis non poteſt abſtrahi conceptus quidditatiuus, ergo à fortiori, non poterit à perſona creata, & increata abſtrahi. At, an poſſit abſtrahi conceptus quidditatiuus è conſtitutiuis perſonarum creatarum. Dico, quod, cum ratio perſonæ creatæ ſit duplex negatio non poteſt abſtrahi conceptus poſitiuus. Sed tenendo perſonam creatam perſonari, per aliquod poſitiuum; tunc dico poſſe abſtrahi conceptum communem, vniuocum, realem a poſitiuis creatis, & increatis, ſed non formalem, id eſt vniuocè dictum. Et nota, quod Boet. & Riccar. diffiniunt perſonam in communi, ad creatam, & increatam. Dices, ergo perſona ſic difinita in communi eſt vniuoca, cum ſolius vniuoci ſit diffinitio. Dico, quod non eſt diffinitio, ſed deſcriptio. Vel dic, quod eſt vniuoca, ſed non vniuocè dicta de perſona creata, & increata, & hoc in creaturis, capiendo poſitiuum pro ſingulari. Vel tenendo perſonam eſſe talem per aliquod poſitiuum, quod tamen non tenet Sco. ſed tenendo, vt Sco., quod conſtituatur per duas negationes, tunc nihil eſt commune vniuocum perſonę diuinę, & creatæ.

22. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 26. ad I. dicit. Poteſt exponi, quod origines non diſtinguuntur formaliter, ſed bene principiatiuè. Oppoſitum videtur habere eamet Diſt. quod ſcilicet relatio ſit ratio diſtinguendi.

Lucas. Reſp. D. Tho. p. 1. Q. 40. ar. 2. dicit, quod relatio conſtituit, non vt origo, ſed vt proprietas, & ſic inter originem, & relationem ex Thoma eſt diſtinctio ex natura rei. Occam non ponit diſtinctionem inter relationem, originem, & proprietatem. Sco. ſic reſp. inquantum proprietas conſtituit formaliter, & inquantum origo conſtituit quaſi principiatiuè. Dubitabis. Vtrum omnis relatio conſtituat. Occam dicit, Conſtitutiuum eſt duplex, primum, quod eſt de eſſentia alicuius, diſtinctum tamen ab eo ex natura rei, ſecundum, pro illo quod eſt de eſſentia alicuius, diſtinguens illud ab omni alio; primo modo, ſpiratio actiua conſtituit, ſecundo modo non, accipiendo conſtitutiuum. Scotus dicit, quod ſpiratio actiua eſt aduentitia, & quaſi accidens primę & ſecundæ perſonæ, & non conſtituit.

23. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 26. ad Dd. dicit. Intellectualitatem eſſe modum intrinſecum. Oppoſitum habet 1. Q. Quol. & d. 35. lib. 1. Report. vbi vult quod ſi Eſſentia diuina diffiniretur, intellectualitas eſſet de eius ratione formali.

Lucas. Reſp. Intellectualitas capitur dupliciter. Primo, vt eſt actus primus, & ſic eſt de formali ratione. Secundo, vt eſt quædam habilitas, & ſic poteſt dici modus intrinſecus, vel aptitudo, & ſic poteſt dici locutum fuiſſe Scotum lib. 2. d. 1. Q. 6. dum aiebat, quod licet Angelus, & anima differant ſpecie, tamen earum intellectualitates ſpecie non differunt. Vel dic, quod hæc inter ſe habent ordinem; primo, prædicata eſſentia-

lia

lia Dei. Secundo modi intrinſeci. Tertio attributa. Scotus hic probat intellectualitatem non eſſe attributum, & vt id faceret, ſufficiebat eam remouere a tertio loco, & collocare in loco priori; Idcirco dixit ipſam eſſe modum intrinſecum, vt excluderet eam non eſſe attributum, & non quod intendat eam eſſe modum intrinſecum, quia ibi in litera immediatè præcedente Scotus comparauit intellectualitatem rationali ſed manifeſtum eſt, quod rationale non eſt modus intrinſecus homini, ſed eſt de eius ratione formali diffinitiua.

XXVII. DISTINCTIO, QVAESTIO VNICA, LIBRI PRIMI.

1. *Iacobus.* SCOTVS lib. 1. d. 27. ad E. citans dictum Aug. 15. de Trin. cap. 13. Nihil plus in prole, quam in parente, videtur dicere, quod actus non perfectius, & verius repræſentat obiectum, quam ſpecies. Oppoſitum habet 14. Quol. & lib. 1. d. 3. Q. 6. & alibi, vbi vult, quod actus verius repræſentet obiectum quam ſpecies.

Lucas. Reſp. Scotus per prolem, non intelligit actum, ſed illam ſpeciem, quam ponebat Egidius, quæ erat ſpecies intelligibilis ſecunda, & per parentem intelligit primam. Vel dic quamuis actus perfectius repræſentet obiectum, tamen non in ratione intelligibilis, ſed in ratione cogniti. Aut dic. In parente eſt tantum vnum repreſentatiuum, ſcilicet ſpecies intelligibilis, ita & in prole debet eſſe vnum tantum repræſentatiuum, ſcilicet actus intelligendi. Et ſcias, quod de verbo noſtro variæ ſunt opiniones. Prima eſt, Verbum eſt ſola notitia actualis declaratiua. Secunda Verbum eſt ſpecies intelligibilis repræſentans obiectum. Tertia, Verbum eſt quidditas obiecti cogniti. Quarta, Verbum eſt obiectum cognitum. Quincta, Verbum eſt actus intelligendi rem productam continens in eſſe intellecto, exiſtens ſimilitudo, & imago rei notæ de quo gignitur. Sexta, Verbum eſt idolum ſeu ſimilitudo. Septima, Verbum non eſt ſolus actus intelligendi, nec ſolum actus dicendi, ſed aggregat hos duos actus. Octaua, Verbum eſt actus intelligendi in ſpecie, in qua obiectum relucet. Nona, Verbum eſt omnis actus intellectus, tam ſimplex, quam complexus. Decima, Verbum eſt ſpecies genita in intelligentia de ſpecie in memoria. Vndecima, Verbum eſt aliquid per actum intelligendi formatum. Duodecima, Verbum eſt ipſamet intellectio, vt quaſi

paſſio

paſſio cauſata a ſe, vt actio. Tandem ſecundum Scotum. Verbum eſt actus intelligentiæ a memoria perfecta productus, non habens eſſe ſine actuali intellectione repræſentans Verbum diuinum.

2. *Iacobus.* Scotus lib. d. 27. ad F. dicit, quod intellectio non poteſt eſſe productiua alicuius termini. Oppoſitum habet lib. 1. d. 3. Q. vult in ſolutione vult. arg. & d. 17. p. quod intellectus poteſt eſſe principium formale productiuum habitus.

Lucas. Reſp. Nulla eſt contradictio in verbis Scoti, ait Lichetus. Nam Scotus 27. p. dixit, quod intellectio non eſt actio de genere actionis, & productiua &c. Non autem negat quin ſit principium formale productiuum habitus. Si dicatur, ſaltem vna intellectio poteſt producere aliam, & tamen producta dicitur verbum; hoc nihil eſt, quia tunc non eſſet maior ratio de vna, quam de alia, vt diceretur Verbum. hæc Lichetus.

3. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 27. ad F. videtur dicere quod angelus non diſcurrat. Oppoſitum patet a Scoto lib. 2. d. 2. Q. 11. vbi vult, quod Angelus diſcurrat.

Lucas. Reſp. Quære reſp. loquitur enim Scotus 26. p. ad hominem, & arguit contra Thom. Dubitabis. An notitia cauſata à Deo in ratione alicuius veritatis ſit verbum. Reſp. Franciſcus d. 27. p. quod ſi totaliter cauſatur a Deo, non poteſt dici verbum, quia Deus non dicit ad extra, ſicut nec generat. Quæres iterum. Num notitia reuelata ab Angelo, ſit verbum? Franciſcus dicit quod eſt verbum. Adde tu, quod ſecundum tenentes notitiam, & verbum debere eſſe eiuſdem ſuppoſiti, dicendum eſt, quod non eſt verbum. Qui verò tenent hoc non requiri, dicant conſequenter, & talis notitia ſecundum Scotum, appellatur auditio, non viſio. Quæres adhuc. Vtrum Deus poſſit cauſare aliquod verbum ad Extra. Reſp. Franciſcus, quod Deus non poteſt cauſare verbum ad extra, quia quicquid cauſat ad extra, cauſat mediante voluntate, ſed voluntati repugnat dicere, ergo non poteſt ad extra verbum cauſare. Dices Scotus 2. d. 1. parte 2. Q. 4. ſolu. 4. dicit, quod diſparitas ortus non variat ſpeciem, ergo actus cauſatus a Deo verbum erit. Reſp. Et ſi diſparitas ortus ſpeciem eſſentialem non variet, accidentalem tamen variat, ſed quod notititia alicuius obiecti ſit verbum, vel non, eſt tantum variatio accidentalis, ideſt vnius exiſtentis in tali notitia, & hæc differentia accidentalis poteſt variari ex diſparitate ortus.

4. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 27. ad G. dicit, quod quælibet intellectio actualis, quæ gignitur de memoria, eſt verbum, Ex quo ſequitur, quod beati in patria non habent verbum. Oppoſitum habet ibidem paulo ante, vbi videtur in tertio argumento contra D. Thom. ponere, quod beati in patria habent verbum.

Lucas. Reſp. Franc. dicit, quod ſi potentia intellectiua beati concurret actiuè, poteſt dici, quod habeat verbum, ſi concurrat paſſiuè, minime. Scotus autem qui tenet, quod intellectus ſe habeat actiuè minus principaliter conſequenter habet dicere, quod eſt verbum. At quia Scotus oppoſitum dicit hic. Dico, Ad hoc quod aliqua notitia ſit verbum oportet quod intellectus ſe habeat actiuè principaliter, ſi habet ſe actiuè minus principaliter non eſt verbum, vel ſi eſt, eſt verbum diminutum. Et in ſumma apud Scotum, vt eſt videre 14. Quol. Beatus non habet propriè verbum in patria. Quicquid dicat Vorilion. p. ſententiarum

& ad

& ad dictum Scoti 27. p. dico quod eſt ad hominem, & in parte argui- tiua, vbi non eſt accipienda aliqua determinatio.

5\. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 27. ad G. dicit, quod notitia actualis diſtincta, quæ habe- tur via inquiſitionis, imprimit habitualem in memoria perfecta. Op- poſitum, habet pluribus in locis. Nam ſpecies non cauſatur per actum ſed ab intellectu agente in phantaſmate.

Lucas. Reſp. Verum eſt, quod ſpecies non cauſatur per actum, ſed bene auge- tur per ipſum, ſicque ſi non cauſat memoriam abſolutè, cauſat tamen eam in quantum eſt perfecta. Et ſcias, quod hęc ſpecies habitualis, quæ imprimitur à notitia, eſt ſpecies diſtincta in intellectu repræſen- tans tale obiectum diſtinctè, cuius merito ſemper cum voluerimus in- telligere diſtinctè, intelligimus ſine aliqua inquiſitione.

6\. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 27, ad H. dicit. Operatio ſeu notitia non eſt productiua alicuius, ſed eſt ipſa producta actione, quæ eſt de genere actionis. Op- poſitum habet d. 12. p. Q. 2. vbi vult notitiam eſſe productiuam habitus.

Lucas. Reſp. Scotus 27. p. intendit hoc, quod operatio non eſt productiua ſicut actus productiuus producit, qui eſt de genere actionis: ſed eſt princi- pium formale, vt eſt qualitas actiua, & producit habitum, & licet ipſa notitia non ſit actio de genere actionis, tamen appellatur actio. Ex Scoto 13. Q. Quol. art. 3. propter duas conditiones, in quibus conue- nit cum actione prima, & ſicut actio eſt in continua dependentia, quia propriè non fit, ſed elicitur, nam ſi propriè fieret, eſſet proceſſus in infinitum; ita, & operatio licet non ſit ens ſucceſſiuum; altera eſt, quia operatio tranſit in obiectum, ſicut in terminum licet per ipſam non accipiat eſſe, quia præſuppoſitum eſt in ſuo eſſe.

7\. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 27. ad I. tenet, ſicut & in tota quæſt. Quod detur tantum verbum notionale in Deo, non autem verbum eſſentiale. Oppoſitum ſic patet. Nam dicitur communiter, quod Beati vident omnia in ver- bo, & ibi verbum capitur eſſentialiter.

Lucas. Reſp. Franc. 27. d. 1. Q. 4. Baſol. Rubion, & Riccard. negant verbum eſ- ſentiale in diuinis, & huiuſmodi ratio eſt, quia verbum, filius, imago patris, & notitia genita ſunt vnum, & idem, ſed manifeſtum eſt, hæc tantum eſſe in ſecunda perſona. Ad illud, quod dicitur. Beati vident in verbo, dicitur quod abutuntur vocabulo, & ſenſus eſt, vident in verbo, ideſt in Eſſentia diuina. Et notat Franc. quod tenentes verbum eſſe ſpeciem, & notitiam declaratiuam, & obiectum cognitum, ne- ceſſariò habent ponere verbum eſſentiale, quia omnia illa ſunt com- munia tribus. Sed tenentes, quod verbum ſit notitia genita (vt tenet Scotus) dicere habent, quod tantum detur verbum notionale. Quæ- res, per quod magis exprimitur ſecunda perſona, nomine filij, an verbi? Dico, quod magis nomine filij, quia filius vult naturam viuen- tem, vt dicit Sco. d. 8. 3. & hic, non autem verbum ſic. Et ſcias, quod verbum noſtrum, & Verbum diuinum conueniunt, & differunt. Con- ueniunt, quia vnumquodque producitur per memoriam. Secundo, conueniunt; quia ſicut Verbum diuinum eſt declaratiuum memoriæ perfectæ, ita & verbum noſtrum eſt declaratiuum obiecti relucentis in intellectu. Differunt, quia Verbum diuinum eſt ſubſtantia per ſe ſubſiſtens, ęquè perfectum cum producente; verbum autem noſtrum eſt totum oppoſitum.. Etiam Verbum noſtrum perficit verbantem, quod

quod non facit Verbum Diuinum. Et nota, quod verbum, & filius in creaturis non poſſunt coincidere, in diuinis autem coincidunt. Dices Aug. 7. de Trin. c. 2. ait. Eo eſt filius, quod Verbum, ergo videtur, quod filius, & Verbum habeant eamdem habitudinem. Dico, quod Aug. intendit, quod ſicut ſola ſecunda perſona dicitur Verbum, ita ſola ſecunda perſona dicitur filius, & non quod ſit eadem ratio vtriuſq; Quæres, an eadem proprietate dicatur ſecunda perſona filius, Imago, & Verbum? Bonau. ait. Dicitur Verbum, quia procedit ex interioribus; Imago, quia imitatur in exterioribus, & filius complectitur vtrũq; Ideo communius dicitur filius, quam Imago, & Verbum. At, an Verbum ſit translatum à Deo ad nos, vel e contra? Dicit Bonau. quod ratio paternitatis, per prius reperitur in Deo, quam in nobis, tamen ipſum nomen translatum eſt a nobis ad Deum, ſic etiam ratio lucis. Sapientiæ, & ratio Verbi.

XXVIII. DISTINCTIO,

QVAESTIO PRIMA.

LIBRI PRIMI.

1. *Iacobus.* SCOTVS lib. 1. d. 28. Q. 1. in initio dicit, quod innaſcibilitas conuenit patri tanquam proprietas. Oppoſitum ſic apparet. Innaſcibilitas dicit priuationem, & nulla priuatio ponitur in patre, cum ſonet imperfectionem,

Lucas. Reſp. Franciſcus d. 28. p. dicit, quod ſunt quædam priuationes, quæ priuant perfectiones, ſicut ignorantia, & neſcientia, & iſtæ dicunt imperfectionem. Aliæ ſunt, quæ priuant non perfectionem ſimpliciter, ſed ſolum perfectionem ſecundum quid, vt inanimatum, & incorporeum. Aliæ ſunt, quæ priuant imperfectionem, vt immortale, & incorruptibile, & iſtę ponuntur in Deo, quia dicunt perfectionem pro connotato ſaltem, Aliæ ſunt, quæ priuant aliquid. quod non ponit perfectionem, vt ingenitum, & innaſcibile, & iſtæ etiam ponuntur in Deo, ſed non in omnibus perſonis. Dices, Quomodo priuationes ſunt in Deo, quomodocunque ſit, cum Deus habeat quicquid ſit aptus natus habere. Reſp. Franc. quod in Deo ſunt priuationes ad quas eſt aptus natus ſecundum rationem tranſcendentem, & non propriam; priuationes verò, quæ videntur in Deo ratione ſui, vt immortale &c. connotant aliquod poſitiuum, & tamen non differunt à negationibus, quia dicunt ſolam carentiam

rentiam præſcindendo ab omni fundamento.

3. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 28. Q. 1. ad D. dicit fæcũditas non eſt ali quod vnum poſitiuum in patre, niſi Eſſentia. Oppoſitum habet lib. p. d. 2. part. 2. Q. 4. & alibi in doctrina ſua, vbi vult memoriam fæcundam, & voluntatem fęcundam eſſe fæcunditatem, ſeu fontalem plenitudinem.

Lucas. Reſp. Dum dicit Scotus hic, quod Eſſentia eſt fæcunditas, ſub Eſſentia comprehendit potentias, quia non loquitur de Eſſentia, vt diſtinguitur contra Eſſentiam, ſed tantum contra perſonale.

4. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 28. Q. 1. ad D. dicit. Et tunc eſſent quinque notiones, quod non conceditur communiter. Oppoſitum patet. Nam ferè omnes Theologi concedunt quinque notiones, vt patet ex Gabriele. Voril. &c.

Lucas. Reſp. Vigerius Dicit, quod litera Scoti ſic debet iacere; tunc eſſent ſex notiones, quod tamen non conceditur communiter. At hoc non videtur ſtare. Nam ſi conſideres literam Scoti non poteſt ſequi ex ſuo argumento, niſi quod ſint quinque notiones, & ſic litera Scoti bene iacet, & tunc dico, quod non conceduntur quinque notiones communiter apud antiquos doctores, & etiã quantũ ad doctores poſteriores, vt patet de Occam. Aut dic quod non ſunt quinque notiones poſitiuæ: idq; ſonant verba Scoti, ſi rectè inſpiciantur.

5. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 28. Q. 1. ad D. arguit Bonau. eo quod dicat ingenitum præſupponere connotatum. Oppoſitum ſic patet à Scoto. Nam vult quod omnis negatio præſupponat affirmationem, ingenitum autem, cum ſit negatio, connotabit poſitiuum.

Lucas. Reſp. Ingenitum ex Scoto præſupponit poſitiuum aliquod, quia præſupponit conſtitutiuum patris: ſed tantum negare vult Sco. quod non connotat id, quod dicebat Bonau. ſcilicet illam totalem plenitudinem; nam ingenitum præſupponit paternitatem, tanquam priorem proprietate, quia in via Sco. vt colligitur 4. Quol. art. 1. paternitas pręcedit ingenitum. Nam primo eſt paternitas. ſecundo eſt primitas originis. tertio ingenitum.

6. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 28. Q. 1. dicit, dando regulam, quomodo valeat conſequentia, a negatiua de prædicato finito ad affirmatiuam de prædicato infinito, ſcilicet de negatione in genere, & extra genus & d. 4. lib. 1. Q. 1. dat aliam limitationem, ſcilicet quod illa regula non valet in prædicatis compoſitis. Oppoſitum habet 2. de Interp. Q. 2. vbi vult, quod valeat in compoſitis.

Lucas. Reſp. Exponit ſe Scotus 2. de Interp., ſcilicet, quod verum eſt, quando illa prædicata ſic ſe habent, quod vnum non eſt neceſſe dici de quolibet & quando non dicitur de quolibet, tunc non valet, vt hoc eſt album lignum, hoc eſt non album lignum, de Sorte vtrumque negatur, ideo non valet conſequentia. Vel dic, quod tantum valet in negatione extra genus, non autem in negatione in genere, & non requiritur conſtantia ſubiecti ad hoc, vt illa conſequentia teneat.

7. *Iacobus.* Scotus lib. l. 1. d. 28. Q. 1. ad K. dicit. Negatio non eſt de ſe incommunicabilis, nec etiam ineſt alicui, niſi per aliquod poſitiuum. Et id patet 4. Quol. & lib. 2. d. 3. Q. 2. Oppoſitum habet lib. 3. d. 1. Q. 1. Et 10. Quol. vbi vult naturam creatã perſonari per duas negationes abſq; correſpondentia alicuius poſitiui.

Lucas. Reſp. relicta prolixitate Licheti, breuiter inquam. Perſona diuina perſonatur

ſonatur per tres negationes, actualem, ſcilicet aptitudinem, & potentialem, quæ faciunt vnam negationem ſimpliciter. Perſona creata per duas perſonatur, quæ eſt illa duplex incommunicabilitas, vt quo, & vt quod, quæ faciunt vnam negationem ſecundum quid. Tunc dicitur quod negatio ſimpliciter non poteſt ineſſe, niſi per aliquod poſitiuum, ſed benè negatio ſecundum quid poteſt ineſſe ſine aliquo poſitiuo ſibi correſpondente.

XXVIII. diſt. Quæſt. tertia, lib. primi.

1\. *Iacobus.* SCOTVS lib. 1. d. 28. Q. 3. dicit. Sortes non vt ſubſtratum, ſed ſub paternitate eſt prior origine filio. Oppoſitum huius habet 4. Quol. vbi vult, quod tantum Sortes pro ſubſtrato præcedit origine filium, & non pro formali.

Lucas. Reſp. Standum eſt in hac difficultate ad id, quod determinat Sco. 4. Quol. quia ibi ſe correxit, & dixit exemplum poſitum eſſe dubium. Vel dic, non eſt curandum de veritate huius exempli, nam ponitur ad declarandam prioritatem originis in Deo. Nam filius pro formali non habet eſſe pro formali à patre, & tamen pater prius origine eſt &c. Et ſcias, quod in creaturis paternitas non eſt ratio agendi, nec conditio concomitans ſuppoſitum in quantum agens, ſed requiritur ad ſuppoſitum; at in diuinis, & ſi paternitas non ſit ratio agendi, vt patet ex 7. d. 1. eſt tamen conditio requiſita ad ſuppoſitum. Ex quo ſequitur, quod filius producitur à patre, capiendo patrem pro formali, ſed non in creaturis, ſed tantum à patre pro materiali &c.

2\. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 28. Q. 3. ad G. citat dictum Auic. 6. Meth. Cauſa, in quantum cauſa, eſt prior natura cauſato, in quantum cauſato, quod exponitur prior natura, ideſt origine. Vel quod exponitur pro ſubſtrato, & non pro formali. Nam pro formali ſunt ſimul natura. Oppoſitum huius videtur habere Sco. lib. 2. d. 1. Q. 2. & alibi, vbi dicit, quod primo eſt abſolutum in cauſa; ſecundo, eſt abſolutum in effectu; tertio, eſt reſpectus effectus ad cauſam, & quarto, ſi quis ſit, eſt reſpectus cauſæ ad effectum, ergo ex Sco. relatiua non ſunt ſimul natura, nec pro fundamento, nec pro formali.

Lucas. Reſp. Si illi duo reſpectus exurgant ex natura extremorum, tunc ambo ſunt ſimul in tertio ſigno; ſi autem vnus ſit ex natura rei, & alius per intellectum, vt eſt reſpectus ad propoſitum Scoti in 2. Tunc reſpectus realis eſt in tertio ſigno, & reſpectus rationis in quarto ſigno.

XXIX. DI-

XXIX. DISTINCTIO, QVAESTIO VNICA. LIBRI PRIMI.

1. *Iacobus.* SCOTVS lib. 1. d. 29. Q. v. ad A. dicit. Relationi reali, & rationis non eſt aliquod commune idem, quia ei, quod eſt ſecundum quid tale, & ei, quod eſt ſimpliciter tale, non eſt commune vniuocum. Oppoſitum tamen huius videtur dicere Sco. 3. quol. vbi dicit, quod ens eſt vniuocum enti reali, & enti rationis.

Lucas. Reſp. Communiter in via Scoti tenetur, quod ens commune enti reali, & enti rationis, eſt æquiuocum, & confugiunt Scotiſtæ ad ſic tenendum ad iſtum locum. Et ad dictum Sco. 3. Quol. dicitur, quod non loquitur ibi aſſertiue, vel quod in reſpectiuo ſermone ſe habet. Nam ibi comparat ens commune enti reali, & enti rationis, & enti fictitio ad ens commune tantum enti reali, entique rationis, & manifeſtum eſt, quod ens tantum commune ad iſta duo debet dici vniuocum per reſpectum ad illa tria; ſicque poteſt eſſe vniuocum reſpectiuè.

XXX. DISTINCTIO, QVAESTIO VNICA. LIBRI PRIMI.

1. *Iacobus.* SCOTVS lib. 1. d. 30. Q. v. ad C. tenet, quod ſimilitudo inter perſonas diuinas, & æqualitas non dicunt relationes reales, his verbis. Quia modo non ponitur eſſe rationis, niſi per intellectum comparantem illam magnitudinem vnam. Oppoſitum habet lib. 1. d. 19. Q. 1. & d. 3. & 6. Quol. vbi ponit ſimilitudinem in diuinis, & æqualitatem relationes reales.

Lucas. Reſp. Lichetus ait, quod Scotus ſibi non cotradicit, quia hic vult exemplum ponere, quod ſi per impoſſibile eſſent ibi duę magnitudines realiter diſtinctæ, vna non ordinaretur ad aliam realiter

& non negat, quod ibi non ſit ſimilitudo realis: ſecundo, dico, quod ibi poteſt eſſe ſimilitudo rationis, comparando illam magnitudinem tantum ad ſe ipſam, & hoc per actum intellectus negociantis, quia omnis comparatio eiuſdem ad ſe, ſiue relatio eſt tantum rationis. Sco. autem in locis præallegatis ponit; extrema æqualia, & ſimilia inter ſe realiter diſtincta habentia eamdem magnitudinem, quæ eſt fundamentum æqualitatis, & poſitis talibus extremis, ex natura rei oritur æqualitas eorum. Vel ſi hoc dicit hic, quod eſt tantum ſimilitudo, & æqualitas relatio rationis, quia fundamentum eſt vnum, loquitur Sco. ſecundum opinionem Henr. qui expreſsè negat in Deo, vel in perſonis diuinis ſimilitudinem, & æqualitatem, & identitatem eſſe relationes reales, vt patebit d. 31. Hęc Lich. & hęc tertia reſponſio eſt ad mentem Sco. Bargius addit, quod litera Scoti, vbi ait, quod ſimilitudo, & æqualitas eſt relatio rationis, eſt vnum extra, & vacat, cum intercipiatur inter ſex puncta, vt patet.

2. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 30. ad F. habet, quod relatio creaturæ neceſſariò non terminatur ad relationem in Deo, ſed ad abſolutum, ſcilicet ad Dei voluntatem. Oppoſitum patet. Nam relatiua, ex Ariſt. dicuntur ad conuertentiam, ergo vnum eſt terminus alterius, & e contra.

Lucas. Reſp. Concedo relatiua dici ad conuertentiam, at nego vnum relatiuum eſſe terminum alterius. Dices, in poſt Prædicam. cap. de Oppoſ. dicitur. Quæcunque, vt relatiua opponuntur, ea ipſa quidem oppoſitorum dicuntur, ergo relatiua dicuntur ad ſua oppoſita, ſed quod opponitur relatiuo, non eſt abſolutum, ſed relatiuum, ergo &c. Nego hanc conſequentiam, ſcilicet dicutur, ergo terminantur. Vel dic, quod capitur oppoſitum pro fundamento, & non pro formali. Dices adhuc. In diuinis, pater refertur ad filium, & non ad aliquod abſolutum. Nego conſequentiam, tenendo quod perſonę conſtituantur per abſoluta; ſed tenendo viam communem, dico, quod cum in diuinis relatio conſtituat ſuppoſitum, refertur filius ad relatiuum, non ſic autem in creaturis. Et ſcias de mente Sco. relationem creaturę referri ad aliquod abſolutum, & non ad aliquam relationem. Baſolus ait. Dei ad creaturam nulla eſt relatio rationis noua per intellectum diuinum facta. Secundo, ait, Dei ad creaturam eſſe multas relationes nouas factas per intellectum creatum. At melius Vorilion inquit, quod non ſunt nouæ, nec per intelllectum diuinum, nec per intellectum creatum, ſecundum patet, quia deſtructo intellectu creato, cęteræ res non terminarentur ad Deum, quod eſt falſum. Quod non per intellectum diuinum; quia ſi intellectus diuinus de nouo produceret ens rationis, cum id ens rationis de nouo eſſet in eo; tunc mutaretur, quod eſt abſurdũ. Confirmatur, quia dato, per impoſſibile, quod primum ens non intelligeret, adhuc res terminarentur in eum. Vnde dico, quod res referuntur in Deum, non ratione alicuius noui reſpectus, ſed ſub ratione abſoluta. Hæc Vorilion. Dices. Si tales relationes rationis ponuntur in Deo, an ſimul ſint cum reſpectu creaturę ad Deum? Sco. lib. 2. d. 1. Q. 2. dicit. Non: nam primo eſt abſolutum in cauſa. Secundo abſolutum in effectu; tertio reſpectus ad cauſam; quarto, reſpectus cauſæ ad effectum, ſi talis reſpectus in cauſa detur. Dices. Relatiua ſunt ſimul natura, ergo &c. Dico, quod eſt verum, vbi reſpectus exurgunt ex natura rei, ſed non vbi vnus eſt ex natura rei, & alius per intel-

intellectum tantum, vt in propoſito.

5. *Iacobus*. Scotus lib. 1. d. 30. ad I. citando Ariſt. 5. Meth. 20. dicit. Tertius modus relatiuorum diſtinguitur a duobus primis per referri mutuo, & non mutuo. Idque habet etiam d. 31. p. & 13. Quol. & alibi. Oppoſitum huius habet 5. Meth. Q. 13. vbi ait. Tertius modus non diſtinguitur à duobus, niſi per ſua fundamenta.

Lucas. Reſp. Diſtinctio modorum relatiuorum duobus modis inueſtigatur. primo, effectiuè, & extrinſecè, & ſic diſtinguuntur per fundamenta, quibus applicantur. ſecundo modo intrinſecè, & formaliter, & ſic tertius modus à duobus diſtinguitur per mutuo, & non mutuo. Et ſcias, quod omnes relationes creaturę ad Deum in via Scoti, ſunt in tertio modo relatiuorum, quicquid dicant alij.

6. *Iacobus*. Scotus lib. 1. d. 30. ad G. dicit, Diffiniri relatiuum per fundamentum ſui correlatiui, & non per correlatiuum. Hoc idem habet Sco. d. 35. & 43. pr. & alibi. Oppoſitum huius patet Q. 15. Vniu. ſolu. vlt. & in Prędica. Q. 26. vbi vult Scotus, quod relatiuum diffinitur per ſuum correlatiuum.

Lucas. Reſp. Sco. in logica, & Meth. ferè eſt inſecutus opinionem communem. At tenendum eſt id, quod determinat in ſententijs. Vel dic, vt ait Sco. dictum Relatiuum debet diffiniri per abſolutum, habet intelligi de diffinitione data per prius, & notius; ſed non de diffinitione abſolutè, ſicque gloſari poſſunt auct. Ariſt. Auer. in cap. de ad aliquid. Si quis diffinitiuè nouerit vnum relatiuorum, diffinitiuè noſcet, & reliquum. Altera 6. Top. vbi dicit. Duplum non ſine dimidio diffiniri, & quæcunque per ſe, & ad aliquid dicuntur. Et auct. Porphirij cap. de ſpecie. Neceſſe eſt in vtrorumque rationibus vtriſque vti. Vel dic, vt ait Scotus 15. Vniuerſalium. Ad Quintum, dico, quod abſolutum poteſt cognoſci in ſe per eſſentialia, & notiora. Et ideo in eius diffinitione alia poni non debent. Illud autem quod per ſe, ſecundum, quod eſt dependet ad aliud, ſine illo cognoſci non poteſt, ſicut dicitur in Prædicam. cap. de Relatione, & ideo ponitur, quod relatiuum non vt notius, ſed quia ſine eo diffinitum cognoſci non poteſt. Hæc Scotus. Tatar. cap. de ſpecie ait, relatiuum diffinitur per ſuum correlatiuum, ideſt per fundamentum ſui correlatiui, quod eſt prius, & notius. Et in Prædicam. ait. Dicta Ariſt. & Porph. de rigore ſermonis falſa eſſe, niſi exponantur ad ſenſum datum, & quod communiter tales diffinitiones ſunt inſufficientes; & addit, quod relatiuum refertur ad correlatiuum, ſed non terminatur ad illud, ſed ad eius fundamentum, & quod debet diffiniri per ſuum fundamentum, & per fundamẽtum ſui correlatiui. Et quod quis poteſt cognoſcere diffinitè vnum relatiuum per ſuum fundamentum, & per fundamentum ſui correlatiui, abſque hoc quod cognoſcat ſuum correlatiuum.

7. *Iacobus*. Scotus lib. 1. d. 30. ad N. dicit. Nihil autem aliud a Deo eſt ita formaliter neceſſarium, ſicut Deus, ſecundum quamcunque poſitionem. Oppoſitum videtur habere Scotus lib. 1. d. 8. Q. vlt. vbi vult, quod Intelligentię à prima ſunt ſecundum Phil. ex ſe neceſſariæ formaliter.

Lucas. Reſp. Scotus hic tantum negat, quod illud tale non erit formaliter neceſſarium ex ſe, & a ſe, ſed non negat, quod non ſit in ſe formaliter neceſſarium. Dubitat Vorilion. Si Deus poſſet aſſumere relationem aliquam in unitate ſuppoſiti, & illius gratia referri realiter. Dico primo, quod

quod repugnat relationi aſſumi per ſe, & primo, quia ad eam non eſt per ſe primo motus 5. Phiſ. 10. ſecundo, quod ſi aſſumeret, non referretur naturaliter illa relatione, quia in communicatione idiomatum exigitur, quod illud, quod communicatur, primò conueniat communicanti; ſicut quia homo vnitus Deo dicitur mortuus, ideo Deus dicitur mortuus: relatio verò non refertur, quia eſſet proceſſus in infinitum ideo non poteſt dici Deum ea referri. Hæc Vorilion. Et ſcias quod Sco. in Report. meminit de partibus organicis reſpectu animæ intellectiuæ, & in via eius anima immediate informat formam totalem, & non formas organicas particulares, & partiales. Idque docet Scotus lib. 3. d. 2. Q. 3. lib. 4. d. 10. Q. 6. d. 43. Q. 5. art. 3. & d. 44. Q. 1.

XXXI. DISTINCTIO, QVAESTIO VNICA. LIBRI PRIMI.

1. Iacobus. SCOTVS lib. 1. d. 31. ad A. dicit. Ad relationem realem tria ſufficiunt. Primo, quod fundamentum ſit reale, & terminus realis. Secundo, quod extremorum ſit diſtinctio realis. Tertio, quod ex natura extremorum ſequatur relatio abſque opere intellectus. Oppoſitum patet de relationibus mouentis, & moti, quando idem mouet ſe ipſum, quia tunc non omnis relatio realis præſupponit extrema realia realiter diſtincta.

Lucas. Reſp. Quicquid ſit de relatione in ſe reali, an requirat hæc, quæ dicit Sco. tamen relatio, de qua eſt hic ſermo, ex 6. Quol. requirit illa tria, & neceſſario præexigit extrema realiter diſtincta. Ad illud de relatione mouentis, & moti, inquam, vt dicit Scotus lib. 2. d. 25. quod ad hoc, vt relatio ſit realis non requiritur, quod mouens, & motum ſint diſtincta realiter, ſed ſufficit, quod ſit diſtinctio realis inter mouens, & id quod cauſatur in motu, vt voluntas, quando mouet ſe ipſam ſufficit diſtinctio realis inter ipſam voluntatem, & volitionem cauſatam in ea, & ita proportionabiliter dicatur de alijs.

2. Iacobus. Scotus lib. 1. d. 31. ad M. concedit in patre eſſe aliquam æqualitatem ad filium, & aliquam ad Spiritum S.. Oppoſitum ſic patet. Nam ſi ſic, tunc in patre erunt plures res, quod videtur repugnare dictis Theologorum.

Lucas. Reſp. Aliqui dicunt, in patre eſſe plures res formaliter, & vnam rem tantum realiter. At iſta ſententia conſiſtere non valet, quia termini ſunt realiter diſtincti, ſcilicet filius, & Spiritus Sanctus reſpectu æqualitatis patris, ergo erunt realiter diſtincti. Dic igitur ad mentem Scoti: non fore inconueniens in patre plures res notionales, realiter diſtinctas eſſe. Hecque ſententia patet ex Scoto lib. 3. d. 8. Q. vn.

XXXII. DI-

XXXII. DISTINCTIO, QVAESTIO VNICA. LIBRI PRIMI.

1. *Iacobus.* SCOTVS lib. 1. d. 32. ad A. tenet, quod reſpectus notitiæ genitæ expreſſus, vt dicit relationem ad exprimẽtem, eſt in ſecundo modo relatiuorum. Oppoſitum habet d. 6. p. vbi ait; gignitionem verbi eſſe de genere actionis.

Lucas. Reſp. Quod generatio diuina, prout correſpondet actioni de genere relationis. eſt in ſecundo modo relatiuorum; ſed prout correſpondet actioni de genere actionis, ſic dicitur de tali genere. Quæres. Num ſicut pater dicit filio, ita filius dicat patri? dico quod non, quia vna perſona non dicit alia ablatiuè formaliter, ſed benè principiatiuè, & hoc tantum competit patri reſpectu filij, & non e contra. Et hæc eſt ratio cur hæc non conceditur. pater eſt ſapiens ſapientia genita, & tamen. Hæc, filius eſt ſapiens ſapientia ingenita. Marſilius ponit has concluſiones. Prima, filius eſt ſapiens ſapientia genita formaliter. Secunda, filius formaliter eſt ſapiens ſapientia, quæ non eſt formaliter genita, nec ingenita, quæ eſt ſapientia eſſentialis. Tertia, filius eſt ſapiens ſapientia ingenita originatiuè. Quarta, filius non eſt ſapiens ſapientia ingenita formaliter. Adde, quod nuſquam. Pater eſt ſapiens ſapientia genita, ſed tantum ſapientia ingenita, & eſſentiali, & ita pater eſt tantum ſapiens formaliter, & non originatiuè. Dices, cur iſtæ duæ conceduntur. Pater diligit Spiritu Sancto. Pater dicit Verbo, & tamen iſta non conceditur. Pater ſapit filio? Bon. d. 32. p. art. 2. dicit. Id eſt, quia diligere, & dicere poſſunt indifferenter accipi, & eſſentialiter, & notionaliter, & mixtim; ſed ſapientia ſemper eſſentialiter, & hoc, eſt, quod eſſe ſapientem ſemper eſſentialiter, & nullo modo notionaliter ſumitur.

XXXV. DISTINCTIO, QVAESTIO VNICA, LIBRI PRIMI.

1. *Iacobus.* SCOTVS lib. 1. d. 35. in p. arg. ad oppoſitum videtur dicere, quod in Deo ſit actus reflexiuus. dicit enim ſic Deus prius intelligit alia a ſe, quam intelligat ſe intelligere illa, quia actus reflexiuus præſupponit actum rectum. Oppoſitum patet ſic. In Deo non eſt actus reflexiuus, quia actus reflexiuus vult aliud obiectum, ab obiecto actus recti, ſed cum inteligere Dei ſit Deus, &

ſi in-

ſi intelligat ſuam intellectionem, non tamen habet actum reflexum.

Lucas. Reſp. Clarum eſt, in via Scoti, non eſſe in Deo actum reflexum, & quando ait hic, quod in Deo ſit actus reflexus, arguitiuè ſe habet in alios. Vel dic Scotum in Deo ponere actum reflexum ſecundum æquiualentiam, ſed non verè. Et ſcias, quod quandoq; actus reflexus eſt perfectior actu recto, vt quando intelligo, me intelligere aliquam relationem, ſeu ſecundam intentionem. Dices. Scotus d. 27. p. ait, quod actus rectus ſemper eſt perfectior actu reflexo. Reſp. quære. Vel dic, quod litera illa d. 27. p. eſt vnum extra, quia in veteribus impreſſionibus non habetur.

2\. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 35. ad A. dicit. In intellectu non oportet ponere diſtinctionem, ad hoc vt diſtinctè intelligat, quia etiam intellectus noſter, vt omnino indiſtinctus, ſecundum rationem potentiæ poteſt plura intelligere. Oppoſitum huius habet Scotus lib. 2. d. 1. Q. 6. vbi vult notitiam Angeli, & hominis reſpectu eiuſdem obiecti differre ſpecie ex parte potentiarum.

Lucas. Reſp. De vno, & eodem intellectu ad diuerſa comparato hic loquitur Scotus, & lib. 2. de duobus intellectibus ad vnum obiectum comparatis loquitur, vnde ſtante hac intelligentia ceſſat omnis difficultas.

3\. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 35. ad C. dicit. Principium quo operandi; debet eſſe per ſe vnum. Oppoſitum tamen huius habet lib. 1. d. 3. Q. 6. & 7. vbi ait. Intellectus, & ſpecies intelligibilis faciunt vnum per accidens, & tamen ſunt vnum quo cognoſcedi.

Lucas. Reſp. Non inconuenit ex obiecto, & potentia fieri vnum per accidens, ſed eſt inconueniens, quod, aliquid ſolum ſe habens in ratione potentiæ, vel ſolum in ratione obiecti, ſit vnum per accidens: hic verò eſſentia, & relatio ambo ſe habent in ratione obiecti, & hoc eſt inconueniens.

4\. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 35. Q. 1. ad C. dicit, quod cognitio lapidis in Deo eſt vna operatio per ſe. Oppoſitum huius dicit ibidem, vbi vult, quod ens abſolutum, & ens rationis dicantur tantum vnum per accidens, ergo non erit vna operatio per ſe.

Lucas. Reſp. Poteris ex Franciſco reſponſum habere. Vel a Franc, Licheto hic optimè difficultatem explicante.

5\. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 35. ad F. dicit. Terminus relationis eſt abſolutum, vt abſolutum. Oppoſitum tamen huius babet 3. Quol. & alibi vbi ait, quod proportionabilitas fundatur ſuper proportione, ergo relatio poteſt terminari ad aliud, quam ad abſolutum.

Lucas. Reſp. Dico, quod tunc relatio habet vicem abſoluti, ſicut paternitas, quando refertur ad aliud. Vel dic Sco. loqui de fundamento vltimo, ſiuè mediato, ſiuè immediato.

6\. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 35. ad I. quod intellectio noſtra, inquit, menſuratur à ſuo obiecto. Oppoſitum patet ſic. Nam cum intellectio noſtra terminatur ad aliquid vilius ſe, vt ad quantitatem, ad ens rationis, & ſimilia; quomodo poteſt tunc talis intellectio menſurari à tali obiecto?

Lucas. Reſp. Duplex eſt menſura, perfectionis, & quantitatiua. Omnis ſcientia menſuratur a ſuo ſubiecto menſura quantitatiua, ſed non menſura perfectionis, & ita ab obiecto dicitur communis, vel particularis. Dices, etiam ab obiecto dicitur intellectio perfecta, vel imperfecta, ergo videtur quod menſuratur menſura perfectionis ab obiecto, & non

tantum

tantum quantitatiua; dicimus enim logicam imperfectam eſſe, quia de tali obiecto, & Theologiam perfectam, quia de tali obiecto. Dico quod ſcientia tribus modis dicitur perfectior, & imperfectior. primo ratione ſuæ vltimæ differentiæ nobis ignotę, quod eſt a priori intrinſecè, & formaliter. Secundo, a priori extrinſecè, & effectiue. Tertio, a priori, & a cauſa ſine qua non, & ſic dicitur talis à priori ab obiecto terminatiuè. Gratianus lib. 2. d. 3. Q. v. ſic ſoluit. Scientia menſuratur ab obiecto menſura perfectionis, eſt verum de menſura innoteſcentiæ, quia videlicet perfectio ſcientiæ innoteſcit nobis, per ſuum obiectum. Dices, ſi ſcientia dicitur perfecta a priori, ab obiecto motiuo, ergo logica erit ſcibilior Mathematica. Quod eſt falſum, patet ſic Capio ſcientiam de ſpecie fundata in homine, manifeſtum eſt, quod hæc ſcientia habet perfectius obiectum motiuum, quam Mathematica, ergo erit perfectior ea. Dico, ad hoc, quod vna ſcientia ſit perfectior alia, non ſufficit, quod habeat perfectius obiectum, ſed quod illa perfectio illius ſcientię non repugnet, modo repugnat logicæ habere tantam perfectionem, ſicut habet Mathem. At quare ſibi repugnat? Quia hoc eſt hoc, & illud eſt illud, ſi tamen dare vellemus logicam, diceremus, quia ſibi repugnat per ſuam vltimam differentiam. Vel dic ad principale dubium, ſcientia dicitur perfecta, & imperfecta ab obiecto denominatione extrinſeca, ſeu menſura innoteſcentię &c. Dices, ſi logica non menſuratur ſuo obiecto menſura perfectionis, a quo ergo menſuratur? Dico, quod menſuratur a perfectiſſima ſpecie ſui generis, ſcilicet à Meth. menſuratur per acceſſum, & receſſum ad illam. Quod ſpecies imperfectiores a perfectiori ſpecie menſurari debeant. Docet Ariſt. 10. Meth. 2. licet talis imperfectio nobis innoteſcat per talem obiectum, & ita denominatione extrinſeca a ſuo obiecto debet menſurari. Et ſcias, quando obiectum eſt perfectius ſcientia, tunc ſe habet ad ſcientiam ſecundum triplicem reſpectum, ſcilicet effectiuum, menſuratiuum, & terminatiuum.

7. Iacobus. Scotus lib. 1. d. 35. ad I. dicit. Idea eſt ratio æterna in mente diuina; ſecundum quam aliquid eſt formabile extra ſecundum propriam rationem eius. Oppoſitum tamen huius ſic patet. Nam quilibet artifex habet rationem, & exemplar, & tamen non eſt æterna.

Lucas. Reſp. Idea capitur dupliciter propriè, & impropiè; propriè eſt tantum ratio in mente diuina ęterna. Impropriè dicitur Idea in quolibet artifice agente ſecundum rationem. At cum hic ſit de Ideis ſermo, aliquid de eis dicamus. Idea, inquit Alex. 2. p. ſum. dicitur ab Idor, quod eſt aqua, ſicut enim in aqua repræſentantur varię imagines, ſic in Deo repræſentantur ipſę res per Ideas. Seneca lib. 8. Aepiſt. Aepiſt. 1. dicit, quod Idea dicitur Idor veri in artificiato, & in greco habet tria nomina. Idea ſcilicet Ethimogium, & Paradigma. In latino, vocatur ars, exemplar, & ratio, De Ideis, quadruplex eſt opinio. Prior, Idea eſt Eſſentia diuina, & non aliud, & illi, reſpectu omnium ponunt vnam ſolam Ideam. Et hæc eſt opinio Marſilij & Rubionis d. 35. pr. Altera opinio, quod Idea ſit relatio, & eſt opinio Tho. Henr. & Franc. & illi ponunt infinitas Ideas. Tertia opinio dicit, quod ex eſſentia, & relatione eſt aggregatio. Quarta eſt opinio Sco. Gabr. Occam, Baccon, Voril. & Scotiſtarum comuniter, quod Idea, ſcilicet eſt ipſa res cognita. Et ſecundum iſtos, hæ propoſitiones verificantur. Prima Ideæ in Deo

ſunt obiectiuè, & non ſubiectiuè. Secunda. Rerum factibilium diſtinctæ ſunt Ideæ. Tertia, omnes partes tam integrales, quam eſſentiales habent proprias Ideas. Quarta, Ideæ primo ſunt ſingularium, & non vniuerſalium, quia ſingularia ſunt primo producibilia. Quinta, Deus habet infinitas Ideas, cum habeat infinitas res cognitas. Sexta, Priuatiua, & negatiua non habent Ideas in mente diuina. Septima ſecundæ intentiones non habent Ideas, ſed hæc vltima propoſitio eſt dubitabilis, quia ſecundæ intentiones cum ſint cognitæ, vt patet d. 3. Q. 1. videntur habere Ideas; tamen Baſol. dicit, quod reſpectus, & entia rationis Ideas non habent, quia illa ſolum, quæ in eſſe reali ſunt producibilia Ideas habent. Adde tu, quod eſſe volitum non eſt Idea, quia non eſt in mente diuina. Impoſſibilia non habent Ideam in mente diuina, quia non ſunt factibilia, & ideo non ponitur vt ratio cognoſcendi, quia Eſſentia eſt vnica ratio cognoſcendi in Deo, ſed ponitur, vt Deus ſit rationabiliter operans. Sed an Idea ſit eadem realiter Deo? Bonau. lib. 1. d. 35. Q. 3. dicit, quod omnes Ideę ſunt vnum in re cum Eſſentia, & differunt ſola ratione. Voril. & Viger. dicunt, quod Ideæ non ſunt idem realiter cum Deo, cum ex parte ſui non ſint res, & ſic Idea, & diuina Eſſentia non identificantur realiter; quia Idea formaliter eſt ens rationis, nec eſt diſtincta realiter, quia Idea non dicit rem diſtinctam veram & ad hunc ſenſum poteſt dici realiter cum Eſſentia, vt ait Franc. d. 47. p. Q. 1. quod non differunt realiter, ſed tantum formaliter à diuina Eſſentia. Sed an ſint infinitæ? Communiter aiunt Doctores, quod ſunt infinitæ. At an beatus videat omnes Ideas infinitas? Reſp. Franc. quod non, & addit, quod eſt adoranda realiter, ſed non formaliter. Et Voril. dicit, quod in Ideis eſt ordo, quia qualis eſt ordo rerum, talis eſt ordo Idearum, & quod Idea abſtrahit ab abſoluto. & reſpectiuo, ſicut, & Ideatum, & nota quod complexa contingentia non habent Ideas, quia intellectus diuinus cognoſcit ea tantum poſt determinationem diuinæ voluntatis. Sed an Ideæ dicant perfectionem? Reſp. Voril. & Ricc. quod non. Et idem quod dicit Scotus, quod terminatiuè non dicunt perfectionem. Quæres, quidnam ſentit Plato circa Ideas? Scotus dicit. Intentionem Platonis fuiſſe ponere Ideas in mente diuiuina ad modum Aug. & non Ariſt. qui Platoni falſum impoſuit. Quęres. Cur Ariſt. Platoni impoſuit iſtud falſum? Reſp. Franc. d. 47. p. Q. 1. quod id fecit ex inuidia. Secundo, quia Ariſt. fuit optimus Phiſ. ſed peſſimus Meth. & ideo nequiuit abſtrahere, ob idque fecit peſſimá Methaph. Voril. ait, quod intentio Platonis fuit ponere Ideas in mente diuina, & hanc Ideam vocauit Noin. vt refert Macrobius in lib. de ſomno Scipionis, mediantibus, quibus vniuerſa creauit, vt patet in Thimeo. Vide Boet. citans eius dictum Metricè. 3. de conſol. ait. Mundum mente gerens, ſimilique imagini formans, ideſt gerens in mente mundum exemplarem, & ad eius imagines mundum creans ſenſibilem & ideo non poſuit Ideas realiter diſtingui à Deo, & hoc probatur triplici auctoritate. Prima eſt Aug. 7. conf. dicentis. Formaſti mihi domine quoſdam Platonicorum libros, ex greca lingua in latinam verſos; ibi legi non eiſdem verbis, ſed eiſdem ſententijs, quod in principio erat Verbum &c. vſque ibi, & Verbum caro factum. Vbi Aug. per Verbum capit Ideas, & ita eſt realis Identitas, quia dicitur, & Deus erat Verbum. Secunda eſt Euſtratij in com. p. Ethic. in expoſitione opinio-

nis

nis Platonis, qui ponit bonum per ſe eſſe hominis fælicitatem. Vbi increpans Ariſt. de impugnatione Platonis ait. Poteras ò Ariſt. aliud dicere, & ſubdit, quod aliud impugnabat Ariſt. & aliud ſentiebat Plato quod non apparet, niſi quia Plato ponebat Ideam boni, Deum eſſe. & Ariſt aiebat, quod ponebat ſingulare ſeparatum. Tertia eſt Franc. d. 4. p. Q. 3. vbi dicit Platonem rectè de Ideis ſenſiſſe, & Ariſt. ex inuidia eum impugnaſſe. Hæc Vorilion. Poſſunt tamen conciliari Plato, & Ariſt. ſic primo per Auer. 12. Meth. c. 18. vbi dicit, quod iſtæ proportiones, & virtutes, quæ fiunt in elementis à motibus ſolis, & aliarum ſtellarum, ſunt Ideæ, quas reputauit Plato formas, & eas intendit, ſed longè reſpiciebant eas, quia eas dicebant formas. Secundo poſſunt conciliari; dicendo, quod Plato per Ideas intellexit naturas rerum, ſiuè ſpecies annexas, & ſecundum ſe conſideratas per abſtractionem intellectus à ſingularibus, eo modo, quo Auic. 5. Meth. dicebat. Equinitas eſt tantum equinitas; ſi ſic intellexit, non eſt arguendus Plato, nec Ariſt. rationes contra eum valent. hoc concilium eſt Zerbi. Tertio, poſſunt conciliari per Aug. ſcilicet quod Plato poſuit Ideas in mente diuina ad modũ theologornm, quo loquuntur de Ideis theologi d. 35. p.

2. *Iacobns.* Scotus lib. 1. d. 35. ad L. ponens ſigna, in quibus contemplatur abſoluta & relationes; dicit, quod in tertio ſigno conſurgit relatio effectus ad cauſam, & e contra ſi relatio ſit mutua. Oppoſitum habet lib. 2. d. 1. Q. 2. vbi ait, quod relatio effectus ad cauſam ſequitur in tertio ſigno, & cauſæ ad effectum in quarto.

Lucas. Reſp. Vigerius dicit ſic. Scotum in 2. loqui vniuerſaliter ex parte effectus, ideo ſi primum non debet exponi, ideſt prius, ſed primum, ideſt vniuerſaliter quia in cauſa aliquando nullus eſt reſpectus; imo ſi ſit relatio, dato illas relationes eſſe ſimul natura, tamen vna eſt prior, alia origine, ſcilicet relatio cauſæ ad effectum.

XXXVI DISTINCTIO, QVAESTIO PRIMA. LIBRI PRIMI.

1. *Iacobus.* SCOTVS lib. 1. d. 36. ad B. videtur habere, quod ex potentia obiectiua, & actu ſibi correſpondente non fiat compoſitio; nam potentia obiectiua, & actus ſibi correſpondens ſunt incompoſſibiles. Oppoſitum habet lib. 1. d. 8. Q. 2. vbi dicit, quod ex actu, & potentia obiectiua fit compoſitio.

Lucas. Reſp. Lich. ita ſoluit quod non eſt compoſitio potẽtię obiectiuæ, & actus rei, & rei, ſed non negat Sco. quod ex actu & potentia obiectiua non fiat compoſitio ſimpliciter. Vel dic, quod non eſt compoſitio ex actu, & potentia obiectiua correſpondente illi actui; ſed ex illo actu, & potentia obiectiua illius gradus en-

titatis, quo caret. vel relatione entis fit compoſitio, & iſto modo, & non alio fit compoſitio ex actu, & potentia obiectiua.

2. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 36. ad F. dicit. Prima diſtinctio entis videtur eſſe in ens extra animam, & ens in animam. Oppoſitum habet 5. quol. vbi vult quod prima diuiſio entis ſit in ens quantum, & non quantum.

Lucas. Reſp. Viger. ait Scotum hic loqui de diuiſione entis in ens reale, & rationis, & iſta eſt prima diuiſio entis, at 5. Quol. loquitur de prima diuiſione entis realis. Si verò intelligatur dictum Scoti hic, quod diuidatur ens in animam, & extra animam in realia, vt exponit Lichetus tunc non eſt prior diuiſio. obidque Scotus vtitur illa notula, videtur; ſed prima diuiſio eſt per quantum, & non quantum, & ſic, data iſta diuiſione entis, notes, quod membra huius diuiſionis non ſunt ordinata, ſed excedunt, vt patet ex litera hic. Dices, hic autem Scotus ait. Quod ens extra animam diuiditur in actum, & potentiam, & quod vtrumque iſtorum, ſcilicet ens in actu, & ens in potentia (quæ ſunt extra animam) poteſt habere eſſe in anima, & quod quodcunque ens vt habet eſſe in anima diminuit de ſua entitate, quia li, cognitum, eſt determinatio diminuens. At ſi hoc ſit verum, ergo habet minus eſſe in intellectu ens in potentia obiectiua, quam in ſe ipſo, quod tamen non videtur verum, cum in ſe ipſo habeat eſſe purè negatiuum, & in intellectu poſitiuum, ergo res non habet verius eſſe in ſe ipſa; quam in intellectu. Vtique habet verius eſſe in intellectu, quam in ſe ipſa, loquendo de eſſe ſimpliciter, ſed non de eſſe tali, nam quantum ad eſſe tale diminuuntur, & omnis res quantumcunque minima, etiam pura negatio, quo ad hoc, poteſt habere eſſe diminutum. Quæres, An hæc entia diminuta aliquid horum perfectius alio viuat in Deo, vt puta, homo, muſca? Aiunt aliqui, quod ſic, quia Idea hominis eſt perfectior Idea muſcæ. Sed Voril. quod Ideæ nullam dicunt perfectionem, idcircò vnum non habet Ideam perfectiorem alio, ſed Ideam principaliorem Idea alterius: ſicque viuit in Deo vnum alio principalius, ſed non perfectius, & gradus iſtius principalitatis cognoſcuntur ſecundum proportionem graduum Ideatorum, quia alia ratione conditus eſt homo, & alia aſinus. Sed qua vita viuunt in Deo ſpeculatiua, an practica? Reſp. Sco. in Report. d. 36. Q. 4. Quod illa vita eſt practica, quia Ideę ſunt exemplaria ad modum artis, ſummè dirigentia artificem in executione operis,

3. *Iacobus.* Scotus d. 36. p. ad I. videtur dicere, quod intellectus diuinus ſit Metha. Nam intellectio ſua eſt Meth. & realis. Oppoſitum habet 3. Q. Prol. & 15. Quol. & lib. 4. d. 16. Q. 2. vbi vult, quod Deus ſit tantum Theologus, quia ex quo cognoſcit, tantum in Eſſentia cognoſcit.

Lucas. Reſp. Vocat Scotus intellectum diuinum Meth. eo quia non eſt logicus; & ratio eſt, quia illud eſt ens logicum, cui repugnat efficiens reale, vt ſunt ſecundæ intentiones, ſed res cognitæ ſic ſe habent, quod eis non repugnat per diuinam potentiam habere verum eſſe reale, & ideo talium cognitio dicitur cognitio Meth. non abſolutè, ſed in reſpectiuo ſermone.

4. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 36. ad L. dicit, quod negatio poteſt in eſſe alicui, non propter repugnantiam alicuius poſitiui. Oppoſitum videtur habere 19. Quol. & alibi, quod negatio non ineſt alicui, niſi per affirmationem oppoſitam.

Reſp.

Lucas. Reſp. Scotus ſe exponit lib. 1. d, 3. Q. 2. quod illud dictum, non eſt negatio, niſi per affirmationem &c. non verificatur de omni negatione; ſed tantum de illa, quæ ponit formalem repugnantiam, vt ibi declarat Scotus, & talis non eſt negatio hæc, de qua loquitur Scotus in ſuperficie.

XXXVII. DISTINCTIO, QVAESTIO VNICA. LIBRI PRIMI.

1. Iacobus. SCOTVS lib. 1. d. 37, in argumento ad oppoſitum tenet quod Deus non ſit extra vniuerſum, licet aliquid poſſit cauſare extra vniuerſum. Oppoſitum patet ſic. Quod nuſquam eſt, videtur eſſe extra omnem locum. Deus nuſquam eſt, ergo &c.

Lucas. Reſp. Riccard. d. 37. Q. 4. art. 1. tenet cum Scoto, quod Deus nõ eſt extra vniuerſum ſecundum eſſentiã quia Deus in nullo eſt, quod non ſit in ipſo, ſed extra mundum non eſt aliquid, quod ſit in Deo, ergo Deus non eſt extra vniuerſum. Tum, extra mundum nihil eſt, Deus non eſt in nihilo, ergo Deus non eſt extra mundum. Vnde Deum eſſe extra mundum ſtat dupliciter, vno modo quod eius immenſitas excedit mundum, & non dependet a mundo, nec diffinitur à mundo, & ſic eſt, verum, Deum eſſe extra mundum; infinitum enim excedit finitum, nec dependet à finito, nec concluditur finito, quia finiti ad infinitum nulla eſt proportio. Alio modo poteſt intelligi eſſe extra mũdũ, ità quod ſit dare ſpatiũ extra mundũ, in quo ſit Deus, quod eſt falſum, ſcilicet Deum ſic eſſe extra mundum; nam id ponere, eſſet confirmare opinionem illorum ponentium vltra vltimum cælum eſſe ſpatium actu infinitum, quæ opinio reijcitur. Hæc Riccard. firmat id Bonau. d. 37. 1. art. 2. Q. 2. vbi vult, quod eſſe vbique non conueniat Deo æternaliter, ſed tantum creaturis creatis, & poſitis ineſſe. Et per Riccardi diſtinctionem patet ad difficultatem, & ad dictum Eccleſiæ, Virgo Dei genetrix, quem totus non capit orbis. Dices, Ariſt. primo cæli 99., & 100. dicit. Extra cælum non eſt locus, nec vacuum, nec tempus, & ſubiungit. Vita ergo illic eſt fixa, ſempiterna, quia nec finitur, nec deficit: ſi igitur vita ſempiterna ſit extra mundum, ſequitur Deum eſſe extra mundum. Reſpondet. Riccardus, quod fortè Ariſt. noluit intelligere vitam illam eſſe extra cælum, ſed in vltimo cælo, ita quod per, li, illic, demonſtretur vltimum cælum, de quo immediatè ante loquutus eſt. Vel dic, Deum eſſe extra cęlum vt ſupra, Ioan. Maior tenet quod extra vniuerſum eſt ſpatium infinitum, imaginarium in quo eſt Deus. Ariſt. 8. Phiſ. 84. dicit, quod Deus habitat in circumferentia primi cęli, quia ibi magis apparet eius actio. Et Auer. ibidem

ait

ait, quod omnes leges conueniunt in hoc quod habitat in cælo. Dices. Quomodo dicit primo cæli. Quod vita ſempiterna habitat extra cęlum. Reſp. Paris. primo cæli Q. 2. quod Deus & Intelligentię non ſunt in cælo, nec extra cælum circunſcriptiuè, quia carent ſitu, & magnitudine. & quod Deus, & intelligentiæ ſunt extra mundum priuatiue, quia non habent ſitum in mundo, & ſi dicatur. Intelligentiæ ſunt partes mundi, ergo ſunt in mundo. Verum eſt, at non ſunt in mundo circunſcriptiuè, & quando Ariſt. ait, Quod extra cælum ſunt entia, capit li, extra, priuatiuè, ideſt ſunt entia, quæ non habent ſitum in cælo. Plato in Timeo dicit. Deum habitare in centro terræ, quia dicit Deum habitare vbi eſt maxima quies. Saraceni imaginantur Deum eſſe in cælo ſedentem, ſuper ſolium excelſum ſubſtentatum ab octo ſpiritibus. Iudei dicunt. Quod Deus habet caput in cælo, & pedes in terra iuxtà illud Cælũ Eſa. c. 66. mea ſedes, terra autẽ ſcabellum pedum meorum. Chriſtiani verò volunt Deum eſſe vbique præſentialiter, & nullibi circunſcriptiuè, nec diffinitiuè. Et notat Voril. quod in eodem ſenſu, quo conceditur Deum eſſe in loco, ita etiam debet concedi Deum eſſe in tempore, at iſta ſecunda propoſitio non eſt in vſu ſicut prima. Rurſus notat, quod quando Ariſt. 1. Poſt dicit. Vniuerſalia eſſe vbique, Verum eſt per abnegationem, ideſt nullibi. Quæres. An Deus ſit ęqualiter in omnibus creaturis. Reſp. Ric. quod ſic per naturam, & non per gratiam. Sed an eſſe vbique per præſentiam, potentiam, & eſſentiam, ſit proprium Deo? Reſp. Ric. quod eſſe vbique per ſe, & primo, ſoli Deo conuenit; poteſt tamen per accidens competere creaturę, ſicut ſi Deus annihilaret omnia reſeruando ſolum hominem, tunc competeret illi animæ eſſe vbique, & id per accidens, & non per ſe ſibi competit. Dices. Creatura eſt vbique, ergo eſſe vbiq; non eſt proprium Deo. Reſp. Mars. Q. 39. p. quod & ſi creatura ſit vbique nulla tamen creatura eſt vbique. Bon. dicit, quod eſſe vbique vt dicunt Sancti, conuenit ſoli Deo, & non alij, nec conuenire poteſt. Occam dicit poteſt intelligi dupliciter, vno modo ſimpliciter, vt verba ſonant, ita quod aliquo caſu poſſit eſſe in omnibus. Alio modo, quod hoc neceſſario ſequitur ad ſuum eſſe, ita quod repugnet ſuum eſſe, & non eſſe omnibus exiſtẽtibus primo modo non eſt proprium ipſi Deo, quia per potentiam diuinam poteſt alicui creaturæ cõmunicari. Nam ſicut Deus poteſt facere vnum corpus, in diuerſis vbi, ita poteſt facere ipſum eſſe in omnibus vbi, quia non eſt maior ratio de pluribus, quam de omnibus. Secundo modo, dicit, quod eſt proprium ſoli Deo, & ita loquuntur Sancti, ſicque ſunt intelligendi. Dices. Inquit Aug. Potius dicitur, quod in Deo ſunt omnia, quam ipſe ſit in omnibus; ſi enim Deus eſſet in alijs, & alia eſſent in ipſo, Deus eſſet in ſe, quod eſt falſum. Dico, quod conſequentia deducta ex dicto Aug. non valet, niſi accipiatur vniformiter eſſe in ſe. Deus enim eſt in rebus per præſentiam, potentiam, & eſſentiam; ſed iſto modo non ſunt res in Deo; ſed tantum virtualiter, & in ipſo cognito obiectiuè, & ideo non ſequitur, quod Deus ſit in ſe. Dices adhuc. Si Deus eſt vbique Deus incepit eſſe, vbi non fuit, quod eſt falſum, ſicque mutaretur. Dico. quod mutatio eſt in creatura, & noua relatio eſt in creatura ad Deum. Dices tandem. Totum eſt extra quod nihil eſt 3. Phiſ. ſed totus eſt Deus in aliquo loco, ergo non eſt extra illum locum. Dico, quod ſi, extra

referatur ad totum, ſic propoſitio eſt vera, ſub hoc ſenſu. Totum eſt alicubi, ideſt in aliquo loco, extra quem locum nihil eſt, quod ipſum totum eſt. ſecundo modo poteſt dici de anima, quæ eſt tota in digito, extra enim ipſum digitum nihil eſt ipſius, ipſa tamen bené eſt tota extra digitum, primo modo eſt vera. ſecundo eſt falſa. Sic pariformiter de Deo dicatur, ſcilicet quod li extra referatur ad Deum, extra quem nihil eſt, quod ſit ipſum, ſed in arguendo refertur ad locum limitatum & ſic non concludit.

XXXIX. DISTINCTIO, QVAESTIO VNICA. LIBRI PRIMI.

1. *Iacobus.* SCOTVS lib. 1. d. 39. ad Y. dicit quod coexiſtentia æternitatis ad tempus dicit relationem realem. Oppoſitum patet d. 30. pr. quod Dei ad creaturam non eſt relatio realis.

Lucas. Reſp. quod coexiſtentia eſt relatio realis, ſed tantum ex parte creaturæ, & non eſt realis ex parte Dei, & hęc coexiſtentia eſt relatio æquiparantię realis tantum in vno extremo.

2. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 39. ad Y. dicit, quod eſt imaginatio Mathematicorum punctum fluentem cauſare lineam. Oppoſitum habet lib. 2. d. 2. Q. 9. ſolu. 3. princip. vbi vult, punctum fluentem cauſare lineam, ergo non eſt imaginatio Mathematicorum, ſed veritas.

Lucas. Reſp. Scotus dicit, quod ſecundum imaginationem Mathem. punctus fluens cauſat lineam, & hæc veritas rei eſt, quam ſuſtinet Sco. lib. 2. loco citato. Vbi oſtendit per multa experimenta ita eſſe. Dices. Si veritas eſt ita, cur ait, quod ſit imaginatio Geometrorum? Dico, quod hic loquitur cōmuniter, cum nō ſit locus proprius. At quid ad Ariſt. 2. Phiſ. 61. & 6. Phiſ. 32. & 8. Phiſ. 40. & 46. dicentem Indiuiſibile non poſſe moueri. Reſp. quære.

3. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 39. ad B. dicit. Cauſa prius naturaliter, ſimpliciter reſpicit effectum ſuum, quam cauſa poſterior, ergo in illo priori &c. Oppoſitum habet lib. 2. d. 37. vbi vult, quod cauſa prima non præcedat natura cauſam ſecundam in agendo.

Lucas. Reſp. in via Scoti, id eſt tenendum, ſcilicet quod cauſa prior, ſeu ſuperior non prius natura cauſet, quam poſterior, ſed ſimul natura, & ad dictum Sco. hic, quod eſt auct. de cauſis, ſic inquit Sco. quod debet exponi, prius naturaliter reſpicit obiectum, ideſt perfectius. Dices. Si ſic eſt, ergo argumentum Sco. non procedit contra D. Tho. igitur debet intelligi, quod ſit prior de ordine naturæ. Vigerius dicit: argumentum eſſe ad hominem. Alij, quod eſt argumentum tantum topicum: & alij, quod loquitur de ordine negatiuo. De quo loquitur lib.

2. d. 1.

2. d. 1. Q. 2. Et alij, quod loquitur hic, ſicut lib. 4. d. 13. Q. 3. ſolu. 3. princ. videlicet, quod hæc prioritas eſt tantum prioritas agentis ex parte, ſed nō ex parte actionis, vel termini, vt recipitur in paſſo; quia ſic ſimul natura terminatur actio agentiū ordinatorū in paſſo ad formam, & ſic eſt ordo agentium inter ſe, ſed non reſpectu tertij. Alij reſpondent, Scotum noluiſſe dicere cauſam primam in aliquo inſtanti priori naturæ cauſare prius, quam cauſam ſecundam, quia in eodem inſtanti cauſat; ſed voluit; quod ex parte effectus prius exurgat reſpectus ad cauſam primam, quam ad ſecundam. Nam ad primam eſt eſſentialis & ad ſecundam non.

4. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 39. ad C. videtur dicere, quod diffinitio paſsionis ſit medium in demoſtratione; ait enim ſic. Et ideo non poteſt eſſe medium inter ipſum, & ſuam paſſionem, quia neutrius eſt diffinitio, quæ poſſit eſſe medium in demoſtratione. Oppoſitum habet lib. 2. d. 3. Q. 6. vbi vult diffinitionem ſubiecti eſſe medium.

Lucas. Reſp. Vtique diffinitio ſubiecti eſt medium in demoſtratione potiſſima in via Sco. & propter quid, & dicit lib. 2. & ad eius dictum hic dicitur, quod non ſe determinat, quid ſit medium, cum non ſit locus proprius. Dices. Ariſt. 2. Poſter. paſſionem vult prędicari per ſe ſecundo modo de ſubiecto, & conſequenter poſſe demonſtrari. Dico, quod Ariſt. loquitur de paſſionibus habentibus diffinitionem, vel quæ diffiniuntur. Dices amplius. Omnis paſſio eſt ſimpliciter ſimplex, ergo nulla erit diffinibilis. Reſp. quod paſſiones limitatæ ſunt ſaltem deſcriptibiles, licet paſſiones entis nec diffinibiles, nec deſcriptibiles exiſtant. Vel dic, paſſiones limitatas non eſſe omnes ſimplices, nec vnquam Sco. hoc dixit, ſed lib. 1. d. 3. Q. 3. dixit tantum, omnes vltimas differentias, & entis paſſiones eſſe ſimpliciter ſimplices; ſed non dixit de paſſionibus aliorum, quia lib. 2. d. 12. Q. 1. dicit, quod ſicut ens poteſt eſſe ſimplex, vel compoſitum, ita, & paſſio eius, ſcilicet vnitas poteſt eſſe ſimplex, vel compoſita.

5. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 39. ad C. dicit, quod non eſt ordo inter paſſiones entis, & ſi eſſet, non viderentur propoſitiones aſſumptæ pro præmiſſis eſſe euidentiores concluſionibus, & ſic non demonſtratur vna paſſio de alia. Oppoſitum videtur habere 1. prol. & lib. 3. d. 14. Q. 2. & alibi, vbi vult, quod paſſio poſterior per priorem demonſtrari poteſt.

Lucas. Reſp. Illis in locis conditionaliter, vel exemplariter Sco. loquitur; hic autem, vbi eſt locus proprius, oppoſitum tenet. Si velis defendere Ant. And. dic conſequenter. Dices, ordinem eſſe in paſſionibus videtur dicere Sco. 17. d. 1. ſic. Idem ſubiectum in quo eſt neceſſario determinatus ordo, quia vna immediatius ſequitur ſubiectum, quam alia, & 5. Meth. Q. 9. ponit expreſſe hunc ordinem. Dico, & ſi de hoc Sco. dubitarit, declinat tamen ad hanc partem, quod talis ordo non detur; ita Viger. & Barg. tenent, & ad illud d. 17. 1. ſic reſp. quod Scotus loquitur exemplariter, vel conditionaliter, vel communiter. Aut, quod ibi hoc dicit in parte, qua arguit ad partem negatiuam. Idque patet, nam argumenta ibi facta, ab eodem ſoluuntur. Ad illud de 5. Meth. dicitur, quod Sco. ibi non loquitur de paſsionibus entis, ſed de paſſionibus quantitatis, vel cum ſi videtur, & non aſſertiuè, vel quod in Meth. ſequitur viam communiter.

6. *Iacobus.* Sco. lib. 1. d. 39. ad G. dicit, quod potentia logica concomitatur poten-

tiam

tiam realem ipſius voluntatis. Oppoſitum huius habet lib. 2. d. 1. Q. 2. vbi vult in primo ſigno eſſe potentiam logicam, in ſecundo rem cognitam, & in tertio potentiam obiectiuam, & etiam d. 36. vbi apparet Sco. velle potentiam logicam præcedere potentiam obiectiuam, & ſemper; & potentiam obiectiuam præcedere realiter, ergo potentia logica præcedit realem.

Lucas. Reſp. Omnis comparatio debet fieri vniformiter; potentia logica tantum reperitur in complexis; potentia autem realis, tam in complexis, quam in incomplexis, & cum incomplexa præcedant cõplexa, ideo potentia realis præcedit potentiam logicam, in quantum potentia realis reperitur in incõplexis, in quibus nõ eſt potẽtia logica. Inſuper. Potẽtia realis nõ poteſt dari, nullo intellectu ſtãte, & nulla propoſitione ſtãte, nõ autẽ potẽtia logica. Ex quo patet, quod ordo Sc. in 2. & 36. intelligitur in cõplexis, & non in incomplexis. Vel dic, quod potentia logica ſequitur realem, non reſpectu effectus, quem iam habet, ſed reſpectu effectus quem non habet, poteſt tamen habere loco illius, quem habet. Vel tandem dic, quod Sco. in illis locis comparat potentiam logicam ad potentiam obiectiuam, hic vero ad potentiam actiuam reſpectu duorum effectuum. Adde, quod Scotus dicit, concomitatur, & non dicit, ſequitur.

8. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 39. ad O. impugnat Bon. de diſtinctione compoſita, & diuiſa; quomodo Deus neceſſario ſciat lapidem. Oppoſitum patet intuenti literam Scoti, quia eius ſententia videtur omnino coincidere cum ſententia Bon.

Lucas. Reſp. Bon. poſuit diſtinctionem neceſſitatis ſcientiæ in ſe, & vt tranſit ſuper obiectum Sco. verò non addit, vt tranſit ſuper obiectum. Vel dic Sco. conuenire cum Bon. in ſententia, & eum tantum impugnare, quod diſtinctio ſua non ſit logica; ſed an ſcientia Dei poſſit augeri, & minui? ideſt quod poſſit ſcire plura, quam ſcit, vel pauciora? Bon. d. 3. 1. ar. 1. dicit, quod cognitio Dei eſt triplex, approbationis, viſionis, & intelligentiæ, cognitio approbationis eſt ſolum de his, ad quæ ſe extendit beneplacitum voluntatis, & hæc eſt ſolummodo de his, quæ fiunt, & bona ſunt, & hæc poteſt eſſe plurium. Cognitio viſionis eſt eorum, quorum ab æterno fuit præuiſio, & hæc eſt ſolum eorum, quæ ſunt, fuerunt, vel erunt; hæcque cognitio poteſt eſſe plurium, quam ſcit. Cognitio intelligentiæ eſt, qua ſcit omne poſſibile, & ſibi, & alijs, & hac cognitione ſcit Deus infinita, & hæc nullo modo poteſt eſſe pluriũ.

8. *Iacobus.* Scotus lib. 1, d. 39. ad P. tenet, quod Deus cognoſcit determinate futura contingentia, quantum ad alteram partem. Oppoſitum habet Ariſt. primo, Periherm. Quod de futuris contingentibus non eſt determinata veritas.

Lucas. Reſp. Riccard. d. 38. 1. Q. 5. ſolu. 1. dicit, quod hoc eſt intelligendum, aut accipiendo determinatam veritatem, pro neceſſaria veritate, aut pro veritate certa per comparationem ad intellectum noſtrum ſuis naturalibus derelictũ, quamuis enim in illis de futuro contingenti non ſit altera pars determinatẽ de neceſſitate vera neceſſitate abſoluta: tamen altera pars vera eſt, & a diuino intellectu certitudinaliter cognita. Hæc Riccard. Tu vero dic, quod propoſitio Philoſophi eſt vera ſecundum eum, at non ſecundum Theologos, & maximè eſt vera, ſecundum Philoſoph. ponendo quod Deus nihil intelligit extra ſe, & ſecun-

dum Theologum debet verificari per comparationem ad cauſas ſecundas, ſed non per comparationem ad Deum, & ad Theologos contradictionis cuiuslibet altera pars eſt determinata; ſed ad Philoſ. nulla pars futuri eſt determinata. Sed quæ ſit illa, ſolus Deus nouit, & cui voluerit reuelare. vel dic, quod propoſitio Philoſophi, quantum ad realem exiſtentiam, intelligitur, quia ſic veritas nondum eſt determinata: ſed non intellexit, quod non ſit veritas determinata quantum ad Dei præſcientiam. Chriſtianorum aliqui dicunt, quod de futuro contingenti non eſt determinata veritas de poſſibili, ſed bene de ineſſe. Dic tu cum maioribus tuis, quod Ariſt. turpiter errauit in propoſitionibus de futuris contingentibus. Dices. Si voluntas Diuina alteram partem determinat, ergo vanum eſt conſiliari. Dico, quod hæc determinauit, contingenter, & ideo eſt conſiliandum. Vel dic, quod ſicut determinauit aliquod, ita, & media ad illud. Conſule exemplum Sco. apud Voril. dum diſputabat, cum ruſtico Anglico. Aut dic, quod, licet omnia futura ſint determinata in notitia diuina, ob id tamen non oportet ceſſare à conſilio, & alijs medijs, quia, & ſi ſint determinata, vt cadāt ſub determinatione diuinæ volūtatis, in ſe tamē ſunt indeterminata, & modus deueniendi ad illa eſt cōſiliū apud illos, quibus nō sūt determinata, nec in ſe, nec in notitia, antequam fiant, determinatum eſt apud Deū, nec oportet Deū conſiliari, cū nō oportet determinari. Ex quo patet prouidentia Dei ſuper omnia, & ſi dicas. Nunquid de bobus cura eſt Deo? Reſp. quere. Si addatur. Omnis prouiſor excludit mala in quantum poteſt. Dico, prouiſor particularis excludit omne malum quantum poteſt, ſed non prouiſor vniuerſalis, quia permittit aliquem defectum in particulari, vt vniuerſum manuteneatur, Vel dic, quod Deus permittit multa mala penæ ad vtilitatem noſtram, & mala culpę non excludit ob liberum arbitrium.

9. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 39. ad Q. dicit, ex vna de ineſſe, & altera de poſſibili propoſitione, nec ſilogiſticè, nec neceſſario ſequitur concluſio de poſſibili. Oppoſitum habet Ariſt. 1. Poſter. vbi vult, quod ex vna de ineſſe, & altera de poſſibili, ſequatur concluſio de poſſibili; ſicut etiam, ex vna de ineſſe, & altera de contingenti, ſequatur concluſio de contingenti.

Lucas. Reſp. Lich. ad hoc dicit dupliciter, primo quod Sco. hic non loquitur vniuerſaliter, ſed tantum de iſtis propoſitionibus, Deus nouit me ſeſſurum cras, & poſſum non ſedere cras, ergo Deus poteſt decipi, ſed id mittit, quod regula Ariſt. nō ſit vera vniuerſaliter. Idcirco ait. Secūdo, quod quando illa de ineſſe eſt de ineſſe, vt nunc, tunc non licet ex tali de ineſſe, & vna de poſſibili inferre vnam de poſſibili, vt omne animal currit, ſed posſibile eſt hominem non currere, ergo posſibile eſt hominem non eſſe animal; hæc concluſio non ſequitur, quia illa de ineſſe eſt tantum vera, vt nunc, ſed quando eſt de ineſſe ſimpliciter, tunc eſt bonum argumentum, vt homo eſt animal, ſed posſibile eſt album eſſe animal; hæc ſequitur, quia de ineſſe vera eſt ſimpliciter. Dices, bene valet, animal currit, posſibile eſt album eſſe animal, ergo posſibile eſt album currere, & tamen propoſitio eſt vera, vt nunc. Dico, quod quando illa de ineſſe eſt ſimpliciter, tunc talis modus arguendi eſt formalis, & de forma tenet, at quando eſt de ineſſe, vt nunc, tunc ſi tenet, de materia tenet, & non formaliter. Et ſcias, quod propoſitio de

conti-

contingenti, & de poſſibili conuertuntur, etiam conuertuntur de ineſſe ſimpliciter, & neceſſaria.

10 *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 39. ad R, dicit, quo d ad poſitionem poſſibilis, non ſequitur impoſſibile. Oppoſitum videtur habere lib. 4. d. 49. Q. 15. ſolu. princ. vbi ait, quod ex poſitione poſſibilis in eſſe, ſequitur noua impoſſibilitas.

Lucas. Reſp. à poſitione poſſibilis in eſſe certum eſt, ex Ariſt. & Sco. non ſequi impoſſibile, ſed ſi cum poſſibili addatur aliqua propoſitio de ineſſe ſibi repugnans, tunc ſequitur impoſſibile, non ratione poſſibilis, ſed ratione repugnantis, ex hoc patet contra diſtinguentes, poſſibile eſſe duplex, cui annexum eſt impoſſibile, & cui non eſt annexum impoſſibile, & de iſto eſt verum. quod poſſibili poſito ineſſe nullum ſequitur impoſſibile; ſed non eſt verum de alio, cui eſt annexum impoſſibile: ſed hoc non diuidit poſſibile, ſed diuidit poſſibile, & impoſſibile. Alij aiunt, quod propoſitio hęc, Poſſibili poſito ineſſe non ſequitur aliqua impoſſibilitas. eſt vera per ſe, & falſa per accidens. Et iſte modus videtur Sco. in Vniuerſ. Q. 33. & declaratur ex Ariſt. 6. Phiſ. 76. voluit.n. motũ eſſe determinatæ velocitatis, & tarditatis, & ſic illa propoſitio. Motus eſt in infinitum velocitabilis, eſt vera per ſe, & falſa per accidens. Tamen hic modus reijcitur à Scoto 7. Meth. Q. 2, Vide ibi. Alij, quod hæc propoſitio, poſſibili poſito ineſſe &c. eſt vera, ceſſante, & remota obligatione, ſed non ſtante obligatione. Id parum eſt, quia nulla obligatio poteſt tollere, quin paſſio competat ſuo proprio ſubiecto. Dices. Ariſtoteles 6. Phiſicorum. 36. ſic ait, licet igitur ponamus poſſibile eſſe, nullum impoſſibile accidit, falſum fortaſſis, & ita Ariſt. videtur velle, ex poſſibili poſito ſequi falſum. Hoc nihil facit, quia Auer. in com. ibi ait, quod ex poſſibili poſito in eſſe, bene ſequitur falſum poſſibile, ſed non falſum impoſſibile, ergo ſecundum Ariſt. ex poſitione poſſibilis in eſſe ſaltem ſequitur falſum. Dico, vt ait hic Scotus, quod non ſequitur ratione, quia poſſibile eſt poſitum in eſſe, ſed illa de ineſſe repugnat huic. Aut dic, quod Ariſt. loquitur, cũ fortaſſe. Alij faciunt differentiam inter propoſitioné eſſe poſſibilé, & propoſitioné de poſſibili. Et alij quod propoſitio de poſſibili, poteſt eſſe de ſenſu compoſito, vel de ſéſu diuiſo, ſi ſit de ſéſu cõpoſito, ſi ponatur in eſſe, nullũ ſequitur impoſſibile, ſi ſit de ſenſu diuiſo, tunc ſequitur impoſſibile, ſed modo, quo dicit Sco. Et ſcias, Vallam abſolutè negaſſe hanc propoſitionem. Poſſibili poſito in eſſe nullum ſequitur impoſſibile. At grammaticus, & orator fuit, & parum, aut nihil habuit de Philoſophia, & Theologia. De ſilogiſmo ex oppoſitis conſule Tatar. 2. Prior. optimè dicentem.

11 *Iacobus.* Scotus lib. 1, d. 39. ad V. dicit. Neceſſitas immutabilitatis non priuat, niſi poſſibilem ſucceſſionem oppoſiti ad oppoſitum. Neceſſitas verò ſimpliciter priuat abſolutè poſſibilitatem huius oppoſiti. Oppoſitum habet d. 8. p. Q. vl. vbi præponderat neceſſitatem immutabilitatis, ſuper neceſſitatem ineuitabilitatis, igitur videtur, quod neceſſitas immutabilitatis magis ſit neceſſitas ſimplipliciter, quam alia

Lucas. Reſp. Simpliciter neceſſitas ineuitabilitatis eſt neceſſitas, quia negat actũ & potentiam ad oppoſitum; neceſſitas verò immutabilitatis eſt neceſſitas ſecundum quid, cum ſolum actum neget, & ad Scotum 8. p. dico, quod in permanentibus, præualet neceſſitas ineuitabilitatis,

& non poteſt in talibus eſſe ſine alia neceſſitate, & ſi non in ſe, ſaltem in ſuis cauſis, ſed in ſucceſſiuis, vt in motu; & maximè in via Phil. eſt neceſſitas ineuitabilitatis abſque neceſſitate immutabilitatis; & ſic Sco. prepoſuit neceſſitatem immutabilitatis alteri neceſſitati.

12. Iacobus. Scotus lib. 1. d. 39. ad X. dicit. Quod intelligere B. in Deo non eſt perfectio ſimpliciter. Oppoſitum habet 35. p. contra Thom. & Henr. vbi ſupponit hanc propoſitionem, vt veram. Intelligere lapidem eſt perfectio ſimpliciter.

Lucas. Reſp. Bargius refert; plures reſp. datas ad id a Gaddio. Prima, quod 35. p. arguit ad hominem. Secunda, quod, illud dictum eſt verum, quoad abſolutum, & non quoad connotatum. Tertia, quod eſt vera in ſenſu diuiſo, & falſa in ſenſu compoſito. Quarta, quod Scotus ibi loquitur de perfectione extrinſeca, & non intrinſeca. Quinta, quod eſt verum ſubiectiuè, & non terminatiuè. Sexta, quod eſt vera præexigitiue, & non formaliter. Septima, quod eſt vera complexiuè, quia complectitur perfectionem ſimpliciter. Et ad dictum Scoti hic dicas, quod eſt perfectio ſimpliciter cum addito, quod neceſſario concomitatur perfectionem ſimpliciter.

13. Iacobus. Scotus lib. 1. d. 29. ad Y. dicit. Ad hoc, quod ſequatur conſequentia, ex maiori de neceſſario, & minori de ineſſe, opus eſt, quod illa minor ſit de ineſſe, ſimpliciter, & hoc non tantum quod ſit vera pro omni tēpore, ſed quod ſit neceſſario vera, vt. Neceſſe eſt omne animal eſſe ſubſtantiam. Omnis homo eſt animal, ergo neceſſe eſt hominem eſſe ſubſtantiam. Oppoſitum habet Ariſt. Primo, Priorum, & ibidem Sco. Q. 28. vbi dicunt, quod non requiritur minorem de ineſſe fore neceſſariam, ſed ſufficit eſſe de ineſſe, vt nunc.

Lucas. Reſp. Dico, quod in ſenſu compoſito, vt loquitur hic Scotus, requiritur quod minor ſit de ineſſe, & neceſſaria. In ſenſu verò diuiſo, vt primo Prior, loquitur Ariſt. indifferenter eſt bonum argumentum, ſiue ſit de ineſſe vt nūc, ſiue ſit de ineſſe ſimpliciter ſic Petrus 1. Prior. Q. 4. ar. 3. du. 1. Dices ergo non docuiſſet, aliū modū arguendi præter eū, quē docuit, quomodo ex duab⁹ de neceſſario ſequitur cōclu. de neceſſario. Dico aliū modū docuiſſe; quoniā in ſenſu diuiſo valet, quādo minor eſt de ineſſe, nec tūc requiritur, quod ſit de ineſſe ſimpliciter, vel dic quod nō eſſet eadē mixtio, quia licet omnis propoſitio de ineſſe ſit ſimpliciter neceſſaria nō tamē omnis de neceſſario eſt neceſſaria; ideo Ariſt. debuit dare alium modū arguēdi. Nec propoſitio de ineſſe ſimpliciter eſt neceſſaria, quia aliqua ſemper eſt vera de ineſſe ſimpliciter, nec tamen eſt neceſſaria, vt iſta, Nix eſt alba, non eſt per ſe, neceſſaria, & tamen eſt de ineſſe ſimpliciter, quia vera pro omni tempore.

XXXX. DISTINCTIO QVAESTIO VNICA. LIBRI PRIMI.

1. *Iacobus.* SCOTVS lib.1. d. 40. ad A. ait Prædeſtinatio eſt actus voluntatis. Oppoſitum ſic patet. Nam prædiſtinatio vi- detur inſequi præſciétiã iuxta illud Pauli ad Rom. c. 8. Præſciuit,& prædeſtinauit; ergo non videtur eſſe actus ipſius voluntatis.

Lucas. Reſp. Voril. & Paulus ſcriptor aiunt, quod prædiſti- natio inſequitur præſcientiam, & actum intellectus inſequitur, ſicut electio conſilium; ſed id non poteſt tueri in via Scoti. Nam veritas contingens prius eſt determinata a vo- luntate diuina, quam ſit ſcita ab intellectu, quia vt dicit Scotus, Actus intellectus concomitatur prædeſtinationem. Et ſcias, quod prædeſti- natio capitur tribus modis; vno modo impropriè, & ſic quodcunque contingens præuiſum dicitur prædeſtinatum. Alio modo magis pro- priè,& ſic eſt ordinatio creaturæ rationalis,tam ad bonum, quam ad malum, & hoc pacto damnati poſſunt dici prædeſtinati. Tertio mo- do capitur proprijſſimè, & ſic de ea loquitur Scotus hic. Et nota,quod nulla voluntas creata poteſt prædeſtinare, nulla creatura irrationalis poteſt prædeſtinari, & nulla gratia in via facit hominem prædeſtina- tum ſimpliciter, ſed finalis gratia facit hominem ſimpliciter prædeſti- natum, at ſecundum quid,ſeu ſecundum præſentem iuſtitiam gratia in pręſenti prædeſtinat, & differunt hęc nomina, ſcientia, præſcien- ſcientia, prouidentia, prædeſtinatio, reprobatio, propoſitum, & ele- ctio. Scientia eſt cognitio Dei, omnium poſſibilium bonorum,& ma- lorum. Præſcientia eſt ſcientia reſpectu futurorum tantum, tam bo- norum, quam malorum. Prouidentia eſt præſcientia practica futuro- rum in finem ordinatorum. Prædeſtinatio eſt reſpectu futurorum ſal- uandorum. Reprobatio eſt reſpectu futurorum damnandorum. Pro- poſitum eſt actus volendi, tam reſpectu futurorum agendorum,quam permittendorũ. Electio addit ſupra propoſitum diſcretionem electi à ſuo contrario. Inſuper ſcias: quod liber vitæ eſt duplex: ſimpli- citer, & ſecundum præſentem iuſtitiam,qui ſunt ſcripti ſim- pliciter in libro vitæ, ſunt indelebiles, at qui tantum ſe- cundum quid, ſunt delebiles, & de his intelligitur illud pſalmi. Deleantur de libro viuentium. Et Exodi 32. Dele me de libro tuo, & Dominus ad Moiſen. Qui peccaue- rit mihi delebo eum de libro meo.

XXXXI. DISTINCTIO, QVAESTIO VNICA. LIBRI PRIMI.

SCOTVS lib. 1. d. 41. recitat opinionem Aug. & Tho.
1. *Iacobus.* qui tenent, quod prędeſtinationis non detur cauſa, quod etiam Scotus tenet. Oppoſitum huius ſic patet. Nam ſi Deus ſine cauſa prædeſtinat, videtur irrationabiliter prædeſtinare, quia voluntas faciens aliquid ſine ratione eſt irrationalis.
Lucas. Reſp. Voluntas quæcunque facit diuina, rationabiliter facit: ideo non irrationabiliter prædeſtinat: & Franc. ait hic, quod voluntas regulata à ratione, ſi agat ſine ea, irrationabiliter agit; at voluntas diuina in contingentibus eſt prima regula omnium à nullo regulabilis. Et Baſolus ait, quod iuſtitia accipitur vno modo ſtrictè pro iuſtitia commutatiua, ſeu diſtributiua, & non oportet ſic, quod in omnibus operibus iuſtitia reluceat Dei. Alio modo capitur pro condecentia diuinæ voluntatis, & ſic in omnibus relucet iuſtitia, quia nihil facit, niſi quod decet ſuam bonitatem, ſicque ſine cauſa prędeſtinat, ſed non irrationabiliter. Dices. Anſelmus ait. Sicut omnis volũtas habet quid, ita habet cur. Frãc. reſp. quod ſi, ly, cur, referatur ad obiectum, falſum eſt, ſed ſi referatur ad potentiam, habet, cur, ſcilicet complacentiam, quia ſibi complacet. Et ſcias de prædeſtinatione decem fore opiniones. Prima eſt D. Thomæ, quod in generali poteſt aſſignari ratio, at non in ſpeciali: ratio prędeſtinationis in generali eſt, vt bonitas diuina manifeſtetur, ratio reprobationis eſt, vt manifeſtetur iuſtitia diuina. Secunda op. eſt Henr. videlicet quod bonus vſus liberi arbitrij à Deo præuiſus eſt cauſa prædeſtinationis, & malus vſus præuiſus eſt cauſa reprobationis, & hæc opinio eſt tripartita. Nam quidam poſuerunt, quod eſt propter bonum vſum liberi arbitrij quo ad actum credendi. Alij dixerunt, propter bonum vſum in actu credendi, vt actus à Deo liberè procedentes. Alij dixerunt, quod bonus vſus liberi arbitrij eſt duplex, ſcilicet meritorius vitę æternæ, ſed iſte non eſt cauſa prædeſtinationis, ſed effectus eius, alius eſt bonus bonitate morali, & hic eſt cauſa prædeſtinationis de congruo, ſed non de condigno. Tertia op. eſt, quod ex parte prædeſtinationis non datur cauſa, at reprobationis extat cauſa; ratio eſt, quia reprobatio fit ex iuſtitia præſupponente culpam, ſeu defectum. Quarta eſt opinio Magiſtri in litera, tenentis, quod nec prædeſtinationis, nec reprobationis datur cauſa. In primo, & in ſecundo ſigno factę exponit Scotus; ſed bene datur cauſa prædeſtinationis factæ in quarto ſigno. Quinta opinio eſt Tho. de Argentina, quod Deus aliquos gratis prædeſtinat, vt Beatam V. M. Ioa. bap. & alios in vtero ſanctificatos. Alios vero propter merita prædeſtinat. Sexta opinio eſt Monachi Cirterienſis, quod Deus nullum ſine cauſa iuſtificat, nec reprobat, ſed quem videt diceſſurum in gratia, prædeſtinat, & quem videt diſceſſurum in peccato

morta

mortali, vel originali, reprobat. Septima opinio tribuitur Origeni, vt refert hic Ricc., & eſt, quod Deus prædeſtinat propter merita animarum, ante quam ſint corporibus vnitæ; ſed iſta opinio eſt falſa, quia non creantur animæ, antequam corporibus vniantur, vt patet lib. 2. d. 17. Octaua opinio eſt, quod cauſa prędeſtinationis eſt præſcientia meritorum. Nona opinio relata à Greg. eſt; quod cauſa prędeſtinationis tantum datur priuatiua, ſcilicet non ponere obicem gratiæ nobis oblatæ, & cauſa reprobationis eſt poſitiua, ponendo ſcilicet obicem gratiæ nobis oblatę. Decima opininio ęſt quorundam dicentium, quod prædeſtinationis, & reprobationis datur cauſa, ſed illa non poteſt cognoſci a nobis. At communiter tenetur quarta, vel quinta opinio. Scotus lib. 1. d. 41. dicit, quod præſcientia futurorum contingentium ſequitur determinationem diuinæ voluntatis, & ideo ſcit contingenter contingentia à parte obiecti accepta. Hoc idem ait clarius d. 39. pr. Oppoſitum inquit ad Rom. c. 8. Paulus. Nam quos præſciuit, & prædeſtinauit &c. ergo præſcientia præcedit, & non ſequitur determinationem diuinæ voluntatis.

Lucas. Reſp. Illa præſcientia, de qua loquitur Apoſtolus eſt tantum reſpectu ſimplicium complexorum contingentium, & talis cognitio pręcedit determinationem diuinę voluntatis, vt patet ex Scoto in materia prędeſtinationis. Vel dic, quod ſcientia capitur à Paulo, vt eſt eadem cum prædeſtinatione.

2. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 41. ad A. dicit, quod reprobationis eſt aliqua cauſa. Oppoſitum patet ad Rom. c. 9. vbi dicitur de Iacob, & Eſau. Cum nondum nati eſſent, aut aliquid egiſſent boni, vel mali, non ex operibus, ſed ex vocante, dictũ eſt, quod maior ſeruiet minori, & multæ auct. poſſunt induci.

Lucas. Reprobatio capitur dupliciter in via Scoti; primo vt idem eſt, quod nulli dare gloriam in primo inſtanti, & gratiam in ſecundo, & hic non eſt aſsignanda cauſa reprobationis; ſecundo, vt idem eſt, quod velle infligere pœnam, & hæc habet cauſam; & de iſta loquitur Scotus, & per hanc diſtinctionem conciliantur multæ opiniones, & ſatisfit multis locis ſcripturæ, & dictis ſanctorum. Prædeſtinationis autem non eſt cauſa. Dices. Non minus eſt Deus rationalis in dando, quam in non dando, ſed in non dando habet cauſam, ergo & in dando. Reſp. quære. Dices. finis eſt cauſa medij, & non econtra. Dico: verum eſt in intentione, at non in executione; quæres, quomodo temporale eſt cauſa æterni? prædeſtinatio, & reprobatio ſunt æterna, & meritum, & demeritum ſunt temporalia. Dico, quod meritum, & demeritum, vt præuiſa, eodem modo ſunt æterna, ſicut prędeſtinatio, & reprobatio.

XXXXII. DISTINCTIO QVAESTIO VNICA.

LIBRI PRIMI.

1. *Iacobus.* SCOTVS lib. 1. d. 42. ad B. dicit. Si Philoſophi non potuerunt per rationem naturalem concludere Deum poſſe contingenter agere, quanto magis, nec poſſe immediatè in quemcunque effectum, vel in quodcunque quod poteſt producere meditantibus cauſis ſecundis. Oppoſitum habet lib. 1. d. 2. Q. 1. & clarius d. 8. Q. vlt. vbi ait, quod nulla contingentia poteſt eſſe in rebus, niſi prima cauſa contingenter cauſet.

Lucas. Reſp. Quære ex Lich. reſp. Vel dic, quod Philoſophi ſic dixerunt, at non debuerunt ſic dicere. Scotus igitur hic loquitur ſecundum id, quod dixerunt Philoſophi, & in 8. d. 1. loquitur ſecundum id, quod dicere debebant; & ſic ſibi non contradicit.

2. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 42. ad R. tenet, quod obiectum omnipotentiæ eſt ens poſſibile. Oppoſitum habet lib. 1. d. 8. Q. vlt. vbi vult, quod ſtat aliquid eſſe in ſe formaliter neceſſarium, & tamen effectum ab alio:

Lucas. Reſp. Scotus 8. d. 1. loquitur ſecundum Philoſophos, & non ex mente ſua, imo in via ſua implicat contradictionem, aliquid eſſe in ſe neceſſarium, & eſſe effectiuè ab alio. Vel dic, quod Scotus per ens poſſibile intelligit ens cauſabile.

XXXXIII. DISTINCTIO, QVAESTIO VNICA.

LIBRI PRIMI.

1. *Iacobus.* SCOTVS lib. 1. d. 43. ad A. arguit contra pr. op. Henr. quod ſcilicet impoſſibilitas ſit ex parte rei, & poſſibilitas ex parte Dei. Oppoſitum ſic patet; nam Scotus tenet quoque hanc ſententiam, quomodo igitur impugnat?

Lucas. Reſp. Henr. vult, quod id, quod correſpondet potentiæ paſſiuæ in creatura, in Deo ſit omnipotentia, & hoc eſt falſum. Nam res producuntur in eſſe poſſibili ab intellectu diuino, & non à voluntate, quæ pro ſubſtrato eſt omnipotentià, & quo ad hoc impugnatur Henr. à Sco. quæres. Si impoſſibile eſt impoſſibile ratione ſui, quocunque extrinſeco remoto, an ſimiliter poſſibile ſit poſſibile, quocunque alio circumſcripto. Ad hoc reſp. Scotus d. 7. 1. quod loquendo de poſſibili logico, tale poſſibile

datur

datur ſine aliquo actiuo ſibi correſpondente, & ſi ſibi correſpódeat, hoc ſibi accidit, ſed poſſibile obiectiuum non datur ſine actiuo ſibi correſpondente.

2. *Iacobus.* Scotus lib. 1. d. 43. ad E. dicit quod res in eſſe poſſibili producuntur ab intellectu diuino. Oppoſitum ſic patet. In illo priori antequam producantur in tali eſſe, vel habent eſſe poſsibile, vel non; ſi habent eſſe poſsibile, ergo antequam producantur in eſſe poſsibili, habent eſſe poſſibile, quod eſt falſum. Si habent eſſe impoſſibile, ergo eis ſibi repugnat produci, & poni in eſſe poſſibili.

Lucas. Reſp. Scotus non dixit, quod res producantur in eſſe poſſibili, ſed quod producantur in eſſe cognito, & poſt in ſecundo ſigno concomitatur eſſe poſsibile, vt paſsio. Vel dic quod res antequam producantur in eſſe poſsibili, habent eſſe impoſsibile negatiuè, non autem contrariè, ſed impoſsibili negatiuè non repugnat poni in eſſe poſsibili contrariè. Vel dic, quod tunc habent eſſe poſsibile logicum, ſed non poſsibile obiectiuum. Dices, nihil recipit eſſe cauſabile ab aliqua cauſa, ergo nec ſimiliter eſſe poſsibile. Nego conſequentiam, nam poſsibile productũ non habet rationem cauſabilis, ſed cauſati eodem modo, quo eſt ibi cauſatio. Dices, eſſe poſsibile per Sco. in ſecundo ſigno ſequitur ex eſſe cognito rei. Contra, hoc medium eſt commune tam poſsibilibus, quam impoſsibilibus, quia impoſſibilia etiam habent eſſe cognitum, ergo ſi eſſe cognitum infert in ſecundo ſigno eſſe poſſibile, igitur impoſſibilia habent eſſe poſſibile. Dico, quod Scotus loquitur de eſſe cognito ſimplici, quale eſſe non habent impoſſibilia. Scias, quod Doctores mouent hic illam difficultatem. Si Deus poteſt facere præteritum non præterijſſe. Greg. Q. 1. d. 43. docet tenere ambas partes, & citat Porretanum tenentem Deum poſſe facere præteritum non præterijſſe, at ipſe declinat ad partem negatiuam, quam tenent fermè omnes Doctores. Franc. 2. Q. huius diſt. negat, quod potentia productiua Dei ſit infinita, nam tunc eſſet fruſtra, cum non producat effectum infinitum. Sed tu cum Scoto teneas, & nega, quod ſit potentia fruſtra, quia Deus poteſt multa facere, quæ tamen nunquam facit, & nihilominus illa potentia non eſt fruſtra. Secundo, non eſt fruſtra, quia potentia infinita non tantum requiritur reſpectu infiniti producendi, ſed etiam reſpectu cuiuſcunque finiti, creando, vt dicit Scotus lib. 4. d. 1. Q. 1. Tertio non eſt fruſtra, quia ſi non exit in actum, eſt, quia eſt repugnantia in adiecto, & illa propoſitio eſt vera, obiecto non repugnante, Vel dic, quod & ſi non exeat in actum, vt creatiua ad extra, exit tamen in actum vt productiua ad intra. Vide Lich. hic reſoluentem motiua. Occam, quia multa bona ibi dicit.

XXXXIV. DISTINCTIO.

QVAESTIO VNICA.

LIBRI PRIMI.

1. *Iacobus.* SCOTVS lib. 1. d. 44. dicit. Quod Deus de potentia abſoluta poteſt diſpenſare, quamcunque legem. Oppoſitum patet ſic. Nam d. 37. lib. 3. ait Præcepta legis non eſſe diſpenſabilia.

Lucas. Reſp. Duo præcepta primæ tabulæ non poteſt Deus diſpenſare, quia ſunt de iure naturæ ſtricte captæ, circa tertium præceptum Scotus remanet dubius. At præcepta ſecundę tabulæ tenet Deum poſſe diſpenſare, non tantum negatiuè, ideſt, vt non tenear ad illa præcepta, ſed etiam contrariè ita quod faciendo oppoſitum non ſolum erit licitum, ſed etiam meritorium, & ratio eſt; Quia non ſunt de iure naturæ, propriè acceptę. Idque habet Franc. lib. 1. d. 45. Q. 2. & addit, quod non omne, quod eſt melius ſecundum regulas naturales, eſt melius ſecundum voluntatem diuinam, quia dare Elemoſinam eſt melius ſecundum regulas naturales, quam actus baptizandi: ſed totum oppoſitum eſt ſecundũ voluntatem acceptam a volũtate diuina, quia actus baptizandi purgat originale peccatum, quod non facit elemoſina. Quærit hic Paulus. Si Deus poſſit me obligare ad impoſſibile. Reſp. quod non poteſt me obligare ad facere impoſſibile, at bene obligat me ad velle impoſſibile: quia obligatur peccator ad nolle peccaſſe, & tamẽ pręteritũ nõ poteſt nõ eſſe: etiam non baptizatus obligatur ad iuſtitiam originalem habendam vel ęquiualens ei, quod tamen ex ſe habere non poteſt, licet ex ſe poſſit ſe diſponere. Quoniam Magiſter hic quærit. An Deus potuit facere res melius quam fecit, & Scotus non diſputat hoc. Sed vtrum Deus poſſit facere aliter res, quam ab ipſo ordinatum eſt fieri. Quid dicendum eſt ad queſtionem Magiſtri in via Scoti? Hæ concluſiones in via Scoti ſunt habendæ. Prima. Deus non poteſt facere mundos infinitos numero actu eiuſdem rationis cum iſto, quia infinitas in numero actu eſt impoſſibilis, vt docet Scotus lib. 2. d. 1. Q. 3. Secunda. Deus non poteſt facere iſtum mundum maiorem extenſiue in infinitum, quia corpus actu infinitum non poteſt facere Deus in via noſtra. Tertia, Deus non poteſt facere hunc mundum meliorem in infinitum bonitate accidentali, quia qualitatem infinitam intenſiuè Deus non poteſt producere, vt habet Scotus lib. 3. d. 13. Quarta eſt, Deus non poteſt producere infinitos mundos ſpecie diſtinctos, quia multitudo numeralis in actu non poteſt dari, minus ergo dabitur infinitas ſpecierum in actu. Quinta, Tenendo quod ſumma natura ſit data (Nam de hoc Scotus videtur problematicus lib. 3. Q. 2. d. 13. & in Report. d. præſenti Q. 4.) Deus non poteſt facere alium mundum meliorem iſto eſſentialiter, ſed tenendo quod non ſit data, dicendum eſt, quod Deus poteſt facere alium mundum iſto meliorem eſſentialiter. Sexta, Deus poteſt facere hunc mundum, & etiam alium eiuſdem ſpeciei meliorem accidentaliter

ter; nam in accidentalibus, Deus non ſemper facit quod melius eſt, quia animę noſtræ ſunt tantæ capacitatis, ſicut anima Chriſti, & tamen eis non datur tanta gratia. Septima, Deus poteſt facere multos mundos eiuſdem rationis eſſentialis cum iſto, ſed non infinitos. Octaua, Deus poteſt facere hunc mundum, & alios eiuſdem rationis meliores ipſo extenſiuè, licet non infinitè, & hoc præſupponendo, quód de facto non ſit maximus homo, & ſic de alijs animalibus. Hæc in hac materia, in via Scoti. At dices, hæc determinatio eſt contra Ariſt. 1. Cæli 70. vſq; ad 90. vbi probat, quod non poſſunt eſſe plures mundi. Primo, ſi eſſent plures mundi, ergo terra vnius eſſet eiuſdem rationis cum terra alterius, & ita naturaliter mouerentur ad eundem locum, & terra alterius ad centrum noſtrum moueretur, & e conuerſo. Reſp. Quære ex Bargio recitante reſponſiones Occam, & aliorum, ad rationes Ariſt. ſuper d. 44. lib. 1. verſus finem.

XXXXV. DISTINCTIO, QVAESTIO VNICA. LIBRI PRIMI.

1. *Iacobus.* SCOTVS lib. 1. d. 45. ad B. dicit, Intellectus diuinus prius comparat obiectum intellectum ad ſe ipſum, quam ad volitum. Oppoſitum habet d. 39. pr. vbi dicit, voluntatem prius componere, antequam intellectus intelligat illam compoſitionem.

Lucas. Reſp. De complexis contigentibus loquitur Scotus d. 39. p. hic vero, de ſimplicibus, & ſic ceſſat contradictio; dum hic dicit Scotus. Intellectus prius comparat obiectum, vt volitum ad voluntatem, quam, vt obiectum intellectum ad ipſum intellectum, ſic intelligat. Sunt tria ſigna, primo eſt obiectum intellectum. Secundo, eſt volitum, & tertio eſt volitum intellectum, & in tertio ſigno intelligit Scotus, quod intellectus prius comparat obiectum voluntati, quam volitum cognitum voluntati cognoſcenti, &c.

XXXXVI. DISTINCTIO,

QVAESTIO VNICA.

LIBRI PRIMI.

1. Iacobus. SCOTVS lib. 1. d. 46. dicit, quod voluntas beneplaciti ſéper impletur. Oppoſitũ patet ex Paulo. 1. ad tiim. c. 2. Deus vult omnes ſaluare, & tamẽ nõ omnes ſaluantur.

Lucas. Reſp. Voluntas in Deo ſex modis capitur. Pro voluntate antecedente, conſequente, eliciente, concomitante, ſeu complacẽte, pro voluntate beneplaciti, & volũtate ſigni. Voluntas antecedens non aſpicit, merita, nec demerita, & coincidit ſic cum voluntatẽ ſigni, & diſtinguitur contra voluntatẽm cõnſequentem. Voluntas conſequens reſpicit merita, & demerita creaturarum, & coincidit cum voluntatę beneplaciti, & adimpletur. Voluntas eliciens eſt voluntas comparata ad aliquem actum, qui ſpectat propriè ad voluntatem, & ſic dicitur, quod Deus vult, diligit, & ſpirat voluntatę eliciente. Voluntas concomitans eſt voluntas ſibi complacens de aliquo actu alicuius potentiæ prioris ea, & ſic dicitur, quod voluntas Dei intelligit ſe & alia. Voluntas beneplaciti eſt, qua vult Deus aliquid efficaciter extra, & deſtinguitur contra voluntatem ſigni. Voluntas ſigni, ſecundum Franc. d. 45. Q. 3. lib. 1. nouem modis capitur, & ſic poſſumus dicere, quod nouem continentur ſub voluntate ſigni. Pręceptum, ſcilicet, prohibitio, conſilium, monitio, comminatio, punitio, permiſſio, impletio, & remuneratio. Licet Vgo a S. Victore ex his nouem, ponat tantum quátuor, ſcilicet preceptum, prohibitionem, permiſſionem, & operationem. Et Magiſter d. 45. addit his quatuor conſilium, & Marſilius notat, quod diuiſio voluntatis in voluntate beneplaciti, & ſigni eſt diuiſio analógi in ſua analogata. Ad formam autem contrad. reſp. quære. *Dices.* Pueris morientibus ante batiſmum non dat eis antecedentia ad ſalutem neceſſaria, quid enim dat morientibus in matris vtèro? Ioa. Maioris d. 45. ita reſp. Deus quantũ eſt ex ſe dat neceſſaria ad ſalutem ſecundum communem legem, ſed ex errore parentum interdum moriuntur, & ſic dat illis ſalutem antecedenter. Dices, Scotus d. 41. p. dicit, quod in primo inſtanti vult Petro gloriam & in ſecundo, gratiam, & in illis inſtantibus nihil vult Iudæ, quomodo dat omnibus æqualibus antecedenter? Dico, quod in illis ſignis vult ſalutem Iudæ antecedenter, quia nihil mali vult contra Iudam, non tamen, quod habeat aliquem actum poſitiuum, At poſſęt dici velle in quantum non eſt ibi nolle, licet ibi ſit non velle.

XXXVII. DISTINCTIO, QVAESTIO VNICA. LIBRI PRIMI.

1. Iacobus.

SCOTVS lib. 1. d. 47. tenet, quod permiſſio diuina non eſt actus poſitiuus voluntatis, ideſt, Deus non poteſt mala velle. Oppoſitum patet de Abraham cui pręcepit mala, ideſt interficere filium, & Hebreis præcepit vt furarentur Egyptios. Et Oſeæ mandauit, vt acperet vxorem fornicariam.

Lucas.

Reſp. Quo ad primum de Abraham inquam non peccaſſe, cepit enim poteſtatem à Deo. Dices. Deus maleſaciebat volens interficere iuſtum. Dic ex 44. 1. Quod Deus poteſt facere oppoſitum eorum, quæ fecit, alias inſtituendo leges, & ita iuſtè poteſt iuſtum flagellare. Vel dic ex Riccardo d. 47. 1. Q. 4. quod licet Iſaac fuerit innocens peccato actuali, erat tamē debitor mortis ex peccato originali. Quoad Egyptios furatos, ait Franc. d. 44. p. Q. 6. Deum diſpenſaſſe legem. At Scotus lib. 3. d. 37. inquit, quod Deus non diſpenſauit legem, ſed tranſtulit dominium vaſorum. Vnde Iſrael accepit rem ſuam, & addit quod filij Iſrael meruerunt talia accipere ſeruiendo longo tempore Egyptijs. Quoad fornicariam dicit Ric. non fuiſſe intentionem Domini, quod Oſeas fornicaretur, ſed quod acciperet in vxorem mulierem prius fornicariam. Ita quod filij ex ea nati dicerentur filij fornicationis, non quia nati de fornicatione, ſed quia de iam fornicaria nati. Baſolus dicit, quod Deus diſpenſauit legem vt Oſeas fornicaretur. Dices 3. Reg. 22. Dixit Dominus ſpiritui mendaci offerenti ſe ad decipiendum per mendacium Regem Iſrael. Decipies, & pręualebis. Egredere, & fac ita. ſed mendacium eſt malum, ergo Deus poteſt pręcipere malum. Ric. ſic ait in preſenti, quod illud verbum imperatiui modi, non tenetur imperatiuè, ſed tantū permiſſiuè. Addit etiam, quod verbum imperatiui modi, aliquando accipitur indicatiuè vt in iſta auctoritate.. Et ſcias, quod differentia eſt inter malefacere, & malumfacere, & inter malum facere, & facere malum, primum, & quartum non conceduntur in Deo, ſed tertium, & ſecundum poſſunt concedi de rigore ſermonis. At, vt dicunt Theologi noſtri non ſunt concedendę tales propoſitiones propter ſcandalum, & nota, quod, & ſi Scotus ponat in Deo hic actum reflexiuum, non tamen proprie ponitur, ita quod actus, ſuper quem fit reflexio, ſit aliquod poſitiuum diſtinctum á primo obiecto intellecto, ſed ponitur in Deo, vt reflectit ſe ſuper ſuum non velle.

XXXVIII. DI-

XXXXVIII. DISTINCTIO QVAESTIO VNICA. LIBRI PRIMI.

1. *Iacobus.* SCOTVS lib. 1. d. 48. in arg. ad oppoſitum dicit. Iudei voluerunt Chriſtum pati, & mori, quod etiam Chriſtus voluit. Oppoſitum habet ibidem dicens, quod Iudei peccauerunt occidendo Chriſtum, & probat ex dicto Lucæ c. 23. Dimitte eis, quia neſciũt quid faciũt, quomodo igitur conformati ſunt Iudei, & Chriſtus.

Lucas. Reſp. Rubion hic Q. 1. docet voluntatem eſſe conformem dupliciter, poſitiuè, ſcilicet, & ſic eſt velle id quod Deus vult, & negatiuè, & ſic eſt tantum non diſſentire ab eo, quod Deus vult, & iterum notat, voluntatem creatam eſſe conformem dupliciter in obiecto volito, & in modo volendi; nam Iudei, & Chriſtus erant conformes non in modo volendi, ſed in obiecto volito. Et addit, quod voluntas creata confirmata in malum, vt eſt voluntas damnatorum, non tenetur ſe conformare voluntati diuinæ. Et Ric. hic art. 1. Q. 2. notat, quod duplex eſt conformari voluntati diuinæ, habitualiter, & ſic tenemur: actualiter, & ſic non tenemur. Adhuc ſcias, quod conformitas poteſt eſſe quadrupliciter, in obiecto, ſcilicet, vt quando duo conueniunt in obiecto. In cauſa efficiente, vt ſi Deus vult mortem patris mei, tamen vult me velle vitam eius, non ſum concors Deo in obiecto, ſed in cauſa efficiente, quia volo id quod vult me velle. Tertio, in cauſa finali, ſicut Deus ordinat omnia in ipſum, quod etiam ego faciam. Quarto. in cauſa formali, tunc in tali cauſa eſt vera conformitas, ſicut, ſi id, quod diligo, facit Deus, qui omnia diligit charitate. Bon. dubitat an ſit dolendum de paſſione Chriſti, & reſpondet hic in dub. circa literam, quod dolere de aliquo, ſtat dupliciter, aut quod dolens voluntate rationis abſoluta velit contrarium eius de quo dolet, & ſic non licet dolere de paſſione Chriſti, alio modo eſt fieri ad oppoſitum voluntate pietatis, & ſic bonum eſt condolere Chriſto, & ſic B. Virgo M. & Sancti doluerunt. Ric. hic art. 3. Q. 1. ait. Paſſio Chriſti dupliciter conſideratur, vno modo ſub ratione, qua fuit afflictio innocentis naturę, ſicque nullus debuit velle paſſionem eius. Alio modo, in quantum Deus per illam ordinauit genus humanum redimendum, & ſic omnes paſſionem Chriſti velle debent.

2. *Iacobus.* Scotus lib. 1. dicit quod volũtas creata non tenetur ſe conformare voluntati increatę in omnibus, & per omnia. Oppoſitum patet in oratione dominica. Math. c. 6. Fiat voluntas tua ſicut in cęlo, & in terra.

Lucas. Reſp. Voluntas creata in via Scoti, vt patet hic, non tenetur ſe conformare in omnibus diuinæ voluntati, nam non tenetur ità intensè diligere aliquod obiectum, ſicut voluntas diuina, nec actu infinito, nec ſemper, ſicut diuina voluntas facit. Etiam voluntas diuina diligit, vt prima regula, non ſic voluntas creata. ſimiliter voluntas creata in diligendo mouetur ab obiectis, ſed non ſic voluntas diuina, & Franc. addit.

d. 45.

d. 45. Q. 5. lib. 1. Quod voluntas creata tenetur ſe conformare voluntati diuinæ quantum ad voluntatem ſigni, quia voluntas noſtra legi diuinæ eſt obligata, & ipſa lex pertinet ad voluntatem ſigni, ſeu antecedentem, at non tenetur voluntas creata ſe conformare voluntati beneplaciti, ſeu conſequenti, quia nullus tenetur velle damnationem ſuam, tamen Deus vult damnationem reproborum voluntate beneplaciti, ex hoc patet ad dubium. Si Deus reuelaret alicui ſuam damnationem, an iſte talis teneatur ſe conformare voluntati diuinę, vt vides Franc. dicit quod non. Bonau. hic circa literam negat caſum, tanquam non admittendum. At caſu conceſſo, in damnatione ſunt tria, ſcilicet ſeparari à Deo, æterno tempore, continua blaſphemia, & tandem pœna æterna. Tunc reſp. quod creatura tenetur velle damnationem quantum ad tertium, ſed non quantum ad duo prima, & hanc ſententiam ſequitur Voril. Greg. hic dicit, quod ille, cui fieret reuelatio iſta, teneretur velle ſuam damnationem. Occam dicit. Si Deus mihi reuelaret damnationem meam, non teneor hoc velle, ſed ſi Deus mihi reuelaret, quod vult me hoc velle, tunc teneor velle, & conformare me voluntati diuinę. Sed ſi Deus reuelaret mihi, quod peccarem mortaliter, an in hoc teneor conformare me voluntati diuinæ? aliqui negant caſum, & certè eſt negandus, vt patet ex his, quæ habet Scotus d. 44. lib. 1.. Nam ſi Deus pręciperet aliquid, non eſſet peccatum, quia eſſet ſecundum alias leges. Et hæc dicta ſufficiant pro ſolutione difficultatis 48. d. & pro complemento cont. libri primi. Omnia ſubijciendo cenſuræ ſanctæ Romanæ Eccleſię. Finis.

Laus Deo, Beatę Mariæ, Diuoque Franciſco.